IDEA DIUINAE BENIGNITATIS, IN SERUA SUA ANNA MARGARITA CLEMENTE, ...

Giovanni Agostino Gallicio

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
25 D
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

76 8. 25.
G 76
y
20

Digitized by Google

H 243.

Digitized by Google

Digitized by Google

IDEA DIVINÆ BENIGNITATIS, IN SERVA SVA ANNA MARGARITA CLEMENTE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SANCTIMONIALI VISITATIONIS Beatæ Mariæ;

Per D. Ioann. Augustinum Gallicium, Clericum Regularem S. Pauli, exposita.

SOCIETATIS JESU BIBLIOTHECA COLLEGII

LVGDVNI,
Sumptib. LAVRENT. ARNAVD, & PETRI BORDE.
M. DC. LXIX.
Cum Approbatione, & Permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO,

& inter Cœlites glorioſiſſimo

FRANCISCO SALESIO.

DIVTINIS conſiliis diſquirendum minimè fuit (Antiſtes Beatiſsime) cuinam hæc MARGARITA virtutum deuouenda foret. In Aſceterio quippe tui Magiſterij de rore cœleſtis doctrinæ tuæ formata, ſapientique digito tuo elaborata, tanquam proprius fœtus ad te Parentem, & Opificem debuit rediiſſe. Te illa de longè appetiit, & in Gymnaſio diſciplinæ tuæ expoliendam ſe tradidit. Tu venientem placidè ſuſcepiſti, & arte expoliuiſti tua. Tu prima magnarum virtutum ſemina ieciſti Author, excoluiſti Doctor, atque vt abundantiùs proficeret, exemplis impinguaſti ſanctiſſimis, donec Te Magiſtro diuinis theoriis erudìta ad familiares, eoſque caſtiſsimos thalamos cœleſtis Sponſi conſcenderet. Quare cùm magni interſit ſcire cui quippiam debeamus, ego, quem olim ſacri Diaconatus charactere ſignaſti pollice tuo, quemque humanitate tua totum deuinxiſti: ego, inquam, & vnà mecum Alum-

Digitized by Google

na, Filiaque tua Monasterij Melodunensis, gauisa quondam salutaribus documentis, & exemplis Matris ANNÆ MARGARITÆ CLEMENTIS, *cuius hîc vita, acceptaque à Deo charismata splendidissima referuntur; nunc verò gaudentes pretioso pignore cinerum eiusdem, Beatitudini tuæ tributum, non tam offerimus, quàm reddimus, sperantes abs te non aspernandum. Licet enim sublimitas, firmitasque inuiolabilis cœlorum ascendentes de terra vapores in Astrorum domiciliis non admittat; Te tamen, qui pro tua charitate Te facilè de superioribus ad humana refers, & de fastigio cœlorum infima hæc nostra oculo benigno adhuc intueris, quod meritis tuis, Sanctissime Præsul, rependitur, gratanter accepturum confidimus. Sit ergo pietatis, sit benignitatis tuæ exigua nostra non contemnere; beneuolè potiùs insignia opera tua recognoscere. Quamuis autem munus omninò gratuitum non sit, eo quod illud iure sibi vendicent labores tui; attamen ingratum apud te minimè sit, quod mecum grati animi ergo Parenti amantissimo porrigit Familia tua Melodunensis, etsi non æquali cum Matre tua* CLEMENTE, *ad supremas religiosæ perfectionis metas Te duce, Teque adiutore contendens. Quod vt feliciùs, & ad mentem succedat, enixè rogamus, vt Deum Optimum Maximum in nostra communia vota deprecationibus tuis flectas.*

D. IOANNES AVGVSTINVS GALLICIVS.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM
PRÆMONITIO.

HABES (pie , & candide Lector) in hoc Opuſculo Religioſæ Virginis ſplendores, habes diuitem theſaurum virtutum, fertilemque campum bonorum exemplorum; habes animæ Deum contemplantis præcellentias,& quod de hac ſcientia alij theoricè ſcripſere , hîc habes in praxi. Denique hîc habes ſpecimen cœleſtium communicationum, & vt præfert titulus Libri, veram diuinæ Benignitatis Ideam. Non equidem parui pretij, aut modici commodi æſtimanda ſunt iſthæc monumenta, vnde gloria Dei manat inſignior, doctrina pietatis ſublimior, & ad ſanctitatem via planior.

Ego dum iis expendendis intendo, magnum opus aggredior,ſublimitate ſua arduum, raritate ſcabroſum, inexperto difficillimum, & contentorum fide litigioſum. Sanè tanquam aduerſaria in dies, provt licuit, notata collegeram, non ad compingendum volumen vitæ, ſed vt præſto, & ad manum mihi eſſent, necnon cenſoribus, qui de probitate, vel improbitate actuum forent iudicaturi: volat enim irreuocabile verbum, nec ita facilè quiſpiam poteſt ſtabile, certumque iudicium de ſimplici ſer

Digitized by Google

mone eruere, ac de ſcripto, quod animaduerſioni æternam confert commoditatem.

Verumtamen coniiciens poſſe nonnullis prodeſſe aduerſaria mea, inde volumen texui, quod grato animo ſuſcipias velim, hilarique oculo percurras; liceat enim mihi hoc loco dicere, quod Paulo de Abraham *Rom.* 4. Non eſſe ſcriptum tantùm propter ipſam, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam; ſed & propter nos, quibus reputabitur, ſi imitabimur.

Mirabere inuſitatum dicendi genus, quo ſeries vitæ diſiungitur. Narrationem partiri in geminos libros ſuaſit diſpar actorum ratio. Prior ea magis exhibet, quæ in omnium oculis poſita fuere: poſterior, quæ magis latuere intra præcordia animæ. Illic natura iuncta humanæ conſuetudini fortè vices ſuas præſtitit; hîc numen cœleſte ſibi vendicat quicquid virtutis eſt, ſerua Dei inſtar emollitæ terræ recipiente atque fouente in gremio mentis ſuæ ſemina cœlitus demiſſa. Illic Marthæ actuoſæ geſta, hîc Magdalenæ contemplantis dulcedines: illic hominum inſtituta, hîc diuinæ leguntur reuelationes. Quoniam verò, vt docet Seneca *epiſt.* 40. epiſtolæ imagines quædam ſunt ſcriptoris, internam eius faciem oſtendentes, veraque veſtigia, & notas referentes; non æſtimaui poſſe me, aut paribus, aut viuacioribus pigmentis formam, ac dignitatem Seruæ Dei ANNÆ MARGARITÆ CLEMENTIS repræſentare, quàm quibus ipſa ſeſe in ſuis epiſtolis ſine fuco expreſſit. Quare eiuſdem litteræ conſtruent huius hiſtoriolæ, potiſſimùm in libro ſecundo, baſes, ac fundamenta: cætera etiam, quæ adnectentur, excerpta venient de ore, aut de ſcriptis eiuſdem. Parum de meo hîc leges, facileque manum ab opere

redu

Digitized by Google

reduxiſſem, ſi non præuiam habuiſſem ipſam Dei ſeruam ducem verbi, & vadem veritatis. Cæterùm ſi humili mea dictione extenuata putes acta, atque myſteria ſublimia, ſcito non prope attingi elocutione noſtra, & nos in rebus huiuſmodi intelligentiam non capere, authore Bernardo *homil. 22. in Cant.* niſi quantum capit experientia. Tertio prætereà loco aderit breuiuſculus libellus, nonnullos tantùm commemorans actus virtutum, quibus in hiſtoria idoneus defuerat locus.

Illuminata fuit libri frons egregio Titulo *Ideæ Benignitatis Diuinæ*, non eius quidem ideæ, quæ eſt in Creatore prima rerum omnium forma; ſed quæ in creatis elucet ſpecies diuinæ benignitatis. Hunc titulum appendere dextera mea minimè auſa fuiſſet, niſi priùs affixiſſet diuina, omniúmque oculis exponendum dixiſſet Interpres ille, qui de littera I, in nomine MARGARITA, hoc illi elogium traxit, provt legenti occurret *in lib.* 2. ſub anno 1631. menſe Februario. Quocirca tollitur dubitationis locus admiranti colloquia vſque adeò familiaria inter ſponſum, ac ſponſam, priuatos amores, inſolita chariſmata, aliaſque diuinæ Maieſtatis communicationes. Seruam ſuam, ideamque ſuæ bonitatis voluit Deus inuſitatis donis illuſtrare, vt magè diſceres, quàm bonus ſit Iſraël Deus his qui recto ſunt corde. Ad euitandam autem ingratam repetitionem ANNÆ MARGARITÆ CLEMENTIS, ſubſtrata fuit vox ſponſæ, qua ſæpiſſimè inſignitam reperies à ſponſo.

Porrò indubitatum eſt apud me, non defuturos Ariſtarcos, qui hæc geſta, ſcriptaque velut ridicula ſomnia fœminulæ ſubſannent, vel ſaltem tanquam parum ſana exſibilent. Fateor, non rarò, neque iniuriâ eiuſmo

eiuſmodi ecſtaticas reuelationes, quæ ſunt extra communem hominum vſum, magnam habere ſuſpicionem, eo quod non rarò dæmonum illuſionibus, fictis rebus, & malè ſanis dictis ſint permixtæ, dicamque audacter cum Auguſtino *in Geneſ. ad litt. lib. 2. cap. 18.* iſtarum viſionum, & diuinationum cauſas, ac modos veſtigare ſi quis poteſt, verboque comprehendere, eum magis audire vellem, quàm de me expectari, vt diſſeram. Verumtamen, ſi quid ſinceræ lucis humanum intellectum illuminet, id omne ſanam hîc doctrinam proteſtatur. Nihil hîc inuenies indecens, proteruum, ſimulatione, vanitate, aut ſpiritus elatione deprauatum; nihil diſſonans ab euangelica veritate, aut à recta regula morum; non hîc leges vanas diuinationes, non dubias prædictiones futurorum, non externa viſa, quæ ſæpiſſimè ſunt dæmonum præſtigiæ. Omnia referta ſunt præſtantiſſimis documentis, omnia redundant optimis virtutum exemplis, omnia conducunt ad perfectam ſanctimoniam. Adde, quod dum hæc Virgo viueret, non caruit cenſoribus, oculatiſque iudicibus, qui inuigilarent, ne quid mali ex ſubreptione immiſceretur bonis; fuiſſeque poſt mortem hæc eius ſcripta ad lineam doctorum virorum reuocata, ad eradendum ſi quid eſſet impurum. Quare remoto omni dubio erroris vtile viſum eſt, ſi ea publicæ lectioni darentur, eorum præcipuè, qui in theoriis vitæ contemplatiuæ verſantur.

Fortè quæres, quid cauſæ ſit, cur tam pauci congruè, & appoſitè de hiſce occultis actibus ſentiant? Accipe ab æterna Sapientia reſponſum, *Ioann. 7. Si quis*

voluerit

voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, vtrum à Deo ſit: quia puſillus eſt numerus eorum, qui puram, cæleſtemque vitam in terris traducant: vnde & væ Sion lugent, quia non ſint qui veniant ad has ſolemnitates. Ideò perpauci etiam ſunt, qui rectè, & iuſtè de praxi cœleſtium contemplationum ſentiant, ac iudicent, niſi vt cæci de coloribus: quadratque huic propoſito quod ſcribit Bernard. *In Cantic. ſerm.* 41. *Lingua amoris non amanti barbara eſt.* Et quod Auguſtin. *lib. de agone Chriſtiano: Errat quiſquis putat veritatem ſe poſſe cognoſcere, cùm adhuc nequiter viuat. Nequitia autem eſt mundum iſtum diligere.*

Scrupulum fortaſſe aliis, ac dubitationem iniicient toties à ſponſa in epiſtolis ſuis decantati catalogi, ſeu confeſſiones propriorum delictorum, quæ à ſtatu perfecto animæ videntur diſcrepare. Sed hunc ſcrupulum manu ſua euellet Eccleſiaſt. *cap.* 7. conteſtatus non eſſe iuſtum in terra, qui faciat bonum, & non peccet; in multis enim delinquimus omnes, nempe propter vulnus peccati originalis habitantis in homine, de quo Apoſtolus, qui primitias ſpiritus ebiberat, conquerebatur exclamans, *Rom.* 8. *Non quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.* Sed vide quid inferat: *Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Si enim benè aduertas, quæ recenſentur in epiſtolis, colliges eſſe quoſdam languores naturæ ſauciatæ, lapſus ægrotantis, eruptiones fomitis peccaminoſi, potiuſquàm voluntarios, præmeditatoſve actus rationis, quamuis ipſa ſcribens, compellente vi humilitatis, exaggeranti dictione de feſtucis trabes conficiat, ſecuta Auguſtinum, qui non erubuit delicta ſua ca-

lamo; & ore proprio promulgare. Sed iam dirimat litem istam sententia Doct. Angelici 2. 2. *quæst.* 184. *artic.* 2. *Illi qui sunt perfecti in hac vita, in multis dicuntur offendere secundùm peccata venialia, quæ consequuntur ex infirmitate præsentis vitæ.* Præmonitionem meam claudo verbis Augustini *ad Consent. cap.* 1: *de mendacio. Quisquis legis, nihil reprehendas, donec totum perlegeris, atque ita fortè non reprehendes.* Vale.

DOM

Digitized by Google

DOM ROMVLVS MARCHELLVS,
Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli Præpoſitus Generalis.

CVM librum, cui titulus eſt, *Idea diuinæ Benignitatis, in ſerua ſua Anna Margarita Clemente, &c.* à R. P. D. Ioanne Auguſtino Gallicio, Aſſiſtente noſtro compoſitum duo eruditi viri è Congregatione noſtra, quibus id commiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, nos facultatem facimus, quantum in nobis eſt, vt typis mandetur, ſi & aliis, quibus id competit, ita placuerit. Datum Romæ in Collegio noſtro Sanctorum Blaſij, & Caroli, die nona Octobris, anno M. DC. LXVII.

D. ROMVLVS MARCHELLVS, Præpoſitus Gen.

Imprimatur, ſi Reuerendiſſimo Magiſtro Sacri Palatij videbitur.

M. Ep. ARIMIN. Vic. G.

Pater Bona dignetur videre.

Fr. Hyac. S. P. A. Mag.

APPROBATIO.

APpoſitè Religioſus, & prudens Auctor hunc librum inſcripſit Ideam diuinæ benignitatis in ſerua ſua Anna Margarita Clemente. Qua enim benignitate, & miſericordia Verbum diuinum cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, vt humanum genus redimeret; eadem prorſus bonitate, & amore erga ſeruam ſuam, cuius hîc vita deſcribitur, formam ſponſi accepit, humano more cum illa colloquens, vt eius ſe captui accommodaret. Sic nimirum ludit in orbe terrarum Increata Sapientia, cuius deliciæ eſſe cum filiis hominum. Nec obeſt, quod pleraque ex his, quæ in epiſtolis narrantur, in imaginatione geſta ſint, quæ illuſionibus ſubiecta eſt; nam ex ſerie rerum, & ex doctrinæ in iis traditæ ſoliditate liquidò conſtat, nulli eam deceptioni obnoxiam fuiſſe; cùm præſertim alia ſint, quæ phantaſiæ operationem excedunt, & in apice mentis peracta fuerunt. Nihil ergo in his omnibus continetur, quod orthodoxæ fidei, quod doctrinæ SS. Patrum, quod bonis moribus non conſonet. Non ſapiunt hæc carnalibus, & profanis hominibus, qui non percipiunt quæ ſunt Spiritus Dei; ſpiritualibus verò & religioſis plurimùm proderunt, quia inde excitabuntur ad contemptum mundi, ad perfectam rerum omnium nuditatem, ad vnionem cum Deo. Sic cenſeo ego infraſcriptus Congregationis S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſ. Abbas, qui iuſſu Reuerendiſſimi P. Magiſtri S.P. Apoſtolici hoc Opus legi, & examinaui. Romæ die 25. Septembris 1667.

Ex ſolitis Probatoribus D. IOANNES BONA.

Imprimatur.

P. HIAC. LIBELLVS, S.P.A. Mag.

Proteſta

Proteſtatio Authoris.

CVM Sanctiſſ. D. N. Vrbanus PP. VIII. duplici decreto inhibuerit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, & approbatione Ordinarij: cumque idem Sanctiſſ. explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; bene tamen ea quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Authorem. Hiſce decretis, eorumque declarationi obſeruantia, & reuerentia qua par eſt inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur; iis tantummodo exceptis, quos eadem ſancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die....

Ita profiteor ego D. Ioan. Avgvstinvs Gallicivs, Clericus Reg. S. Pauli.

Digitized by Google

Breuis Character Virginis, de qua hîc ſermo fit.

AD ſtatuendum certius, puriuſque iudicium eorum, quæ hic narrantur, non modicè proderit oculis ſubiicere huius Virginis naturam, indolem, habitus, & omnem ſeriem propenſionum, iis omiſſis, quæ à ſpiritu ſuperiori dictata, vel acta creduntur.

Integra fuit corporis conſtitutione, recta, & iuſta ſtatura; decora, & decenter colorata facie; viribus ſexui conſentaneis, & firma ſemper valetudine. Vnde in ſui deriſionem frequens illud iactabat, *Carnes ſortita ſum aſininas.*

Ingenio celer, quod nullo negotio dicta caperet, & ad intelligendum repetitis non indigeret.

Memoria tenax.

Etiam ad Poëſim idonea.

Verbi, gratique ſermonis fœcunda, priuatos conceptus facilè, eleganter, & abundè exprimens.

Suaui pariter, ac prudenti eloquio fidem, & beneuolentiam audientis captans.

Virgo ingenua, ſimplex, expers doli, ac fraudis; innocentiæ ſuper omnia amatrix.

Mens candida, benigna; nullus in ea turbo, ſcrupulus, aut metus nullus.

Dubia ſapienter reiectabat expendenda Directoris lance, & eius iudicio ſoluenda.

Natura ad mititatem, & ad miſericordiam propendens; ad amorem procliuior.

Æquè omnium amans, ac apud omnes ipſa amabilis.

Agendis non inepta, licèt propter diuinum conſortium aliena.

De terrenis minimè anxia, Deo fidens.

Animo ſemper hilari, æquo, & in aduerſis conſtantiſſimo; proinde ſerena, atque ridenti ſemper fronte.

Labentis temporis auara otium neſciebat.

Docta autem Phrygij operis, eo alumnas erudiens exercebat.

Ad pietatem nata, concinendis Dei laudibus, ſacræ lectioni,

necnon

necnon meditationi propenſiùs addicta.

Priuatæ munditiæ cultrix, eo ampliùs Eccleſiaſtici ornatus.

Intenta de Deo loqui, ciuili quoque, ac feruida oratione auditores legi, cultui, & amori Diuini Numinis ſubiugare.

Nonnullos etiam proprij martis partus ſpirituales ſcripto edidit.

Iniuncto in officio ſolers.

Curandis rebus Monaſterij, maximè ſpiritualibus, actuoſa; cœnobiticæ vitæ, ſtrictioriſque diſciplinæ cuſtos, & tutatrix eximior.

Caſtimoniæ ſpecimen.

Paupertatis incommoda deuorans auidiſſimè.

Aptior magiſterio nouitiarum, quàm ætate prouectiorum, propter mentis placiditatem.

Semper obedire, ſemper ſubeſſe parata; non itidem præeſſe, ac præcipere.

Si quando præfuit Præpoſita, nunquam niſi lacrymãs, & coacta.

Dictis Superiorum nil opponere, non ſcrutari cauſas, excuſationes non connectere, ſed celeriter facto exequi.

Viliora tamen miniſteria nobilioribus anteponens.

Cautè celauit cœleſtia ſenſa Dei.

Doctorum ſententias ſuper iis non exquirere ſolùm, ſed ſequi facilis.

Vt credat, vt agat, congeſtis non opus eſt verbis; lubens arbitrio cedit alieno.

Dura pati ſitiens, ſenſibus denegat amica, mollia corpori; auſtera carpit auidiùs, laboris, vigiliæ, & inediæ patiens.

Deſpici magis amat, quàm ſuſpici; & culpari potiùs gaudet, quàm collaudari.

Liberalis ad omnes, quantum domus anguſtiæ ferrent. Potiſſimùm tamen pauperes ope, conſilio, re, & diuina prece iuuare ſollicita.

Duo Monaſteria à fundamentis ſuſcitauit auctrix, diuina magis, qua ope humana.

Rexitque Præpoſita Mater.

Vota religioſa emiſit in manibus S. Franciſci Saleſij, Fundatoris Ordinis Viſitationis, hac re Sanctimonialium vltima; ideóque Sancto Patri præ cæteris dilecta, vtpote ſibi genita in poſtrema ſenectute; ſed longè charior propter

eminentes

eminentes illapſus ſpiritus diuini in filiam caſtiſſimam diuina patientem.

Acta ſingularia leguntur in aliis foliis.

Obiit die tertia Ianuarij 1661. ætatis ſuæ 69. editis priùs multis omnium virtutum illuſtriſſimis exemplis.

APPROBATIO DOCTORVM Sacræ Facultatis Pariſienſis.

CVm nihil conducat magis ad diuinam laudandam clementiam, quàm peculiaris erga ſeruos & ancillas ſuas diuinæ liberalitatis cognitio, hinc eſt quod expedire iudicauerimus typis demandare *Ideam diuinæ Benignitatis in ſerua ſua Anna Margarita Clemente, Sanctimoniali Ordinis Viſitationis B. Mariæ, elucubratam per Ioann. Auguſtinum Gallicium, Clericum Regul. S. Pauli.* Vtpote quæ nihil habeat quod non ſapiat ſanam doctrinam. Ita teſtamur nos infra ſubſignati Doctores Pariſienſes. Datum Lugduni die 28. Iulij 1669.

Fr. PAVLVS LOMBARD, Prior Carmel.

Fr. ELIAS VIAL, Carmel.

Conſenſus Procuratoris Regij.

PRo Rege aſſentior, vt liber inſcriptus, *Idea diuinæ Benignitatis, in ſerua ſua Anna Margarita Clemente, &c.* prælo mandetur à LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE, ſociis Bibliopolis Lugdunenſibus, cum inhibitionibus conſuetis. Datum Lugduni die Auguſti ſeptima anni 1669.

GALLIAT.

FIat iuxta Concluſiones Procuratoris Regij. Lugduni die & anno ſupradictis.

D. VLIEV.

DILVCIDATIO
Quorumdam terminorum, qui referuntur in hac Idea.

PROLOQVIVM.

APERIET nobis oſtium in hanc dilucidationem diuinus Dionyſius epiſtola ſua ad Titum Epiſcopum, diſtinguens, ex traditione Theologorum, duplicem doctrinam de Deo, deque eius operationibus. Vnam, quæ plana eſt, & aperta, enarrando, vel ratiocinando demonſtrans Deum, eiuſque operationes, quas qui audiunt, veritate, & authoritate conuicti, facilè credunt. Alteram occultiorem, connexam figuris, aut ſymbolis, ſub quibus veritas tanquam ſub vmbra latens inuoluitur, ac propterea lumine eget, & interpretatione, vt intelligatur. Duplicem hanc agendi, dicendique rationem in hac hiſtoria inuenies: quædam enim, quod enuntiant, apertè, & explicitè enuntiant, & in iis immorandum mihi non eſt: quædam inuoluta ſunt figuris, metaphoris, ſymbolis, quæ quidem lumine, & expoſitione ſaltem terminorum indigent, ad rudiorum intelligentiam; & in his aliquantiſper mihi vacandum eſt, ex imitatione eiuſdem Dionyſij, ſic Titum alloquentis: *Arbitrati ſumus oportere, vt quoad fieri poſſet, formas, quæ per ſacra ſymbola de Deo*

formantur, explicaremus : patet enim, ait Ioannes Sapiens cap. 4. decadis primæ, omnem Theologiam ſymbolicam habere aliquid effictum, ſiue in nominibus, ſiue etiam in formis ſenſui ſubiectis. Cui conſonat dictum Auguſtini experimentis *lib. 10. confeſſ. cap. 6.* internos actus animæ, & amoris, per quamdam proportionem ad ſenſus corporis. *Quid amo*, inquit, *cùm Deum meum amo ? Ceriè non exteriora, ſed quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdam colorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum interioris hominis mei ; vbi fulget lumen quod non capit locus ; vbi ſonat verbum, quod non rapit tempus ; vbi olet odor, quem non ſpargit ventus ; vbi ſapit cibus, quem non minuit edacitas ; & vbi hæret, quod non diuellit ſatietas. Hæc amo, cum Deum meum amo.* Breuiter autem ego, ac ſimpliciter attingam, quæ dicenda ſunt ad explanationem, non ad diſputationem, iuxta ſequentem elenchum.

ELENCHVS

Digitized by Google

ELENCHVS.

CVR Deus obumbret ſymbolis effectus gratiæ ſuæ. Punct. 1
De locutione Dei. Punct. 2
De auditione, colloquio, & ſilentio. Punct. 3
De otio animæ contemplantis. Punct. 4
De viſis, & de eorum reuelatione. Punct. 5
De ſplendoribus. Punct. 6
De tenebris, & caligine. Punct. 7
De transformatione in Deum. Punct. 8
De ecſtaſi, & raptu. Punct. 9
De ſuſpendio, & morte. Punct. 10
De languore, & liquefactione. Punct. 11
De iucunditate, & iubilo. Punct. 12
De ebrietate, & ſatietate. Punct. 13
De corde, & paſſionibus cordis. Punct. 14
De dilatatione cordis. Punct. 15
De pulſatione ad oſtium cordis. Punct. 16
De commutatione cordis. Punct. 17
De cordis purificatione, & ſanctificatione. Punct. 18
De inſcriptione nominum, ac legis diuinæ in corde, deque eorum interpretationibus. Punct. 19
De aliis quibuſdam operationibus circa cor. Punct. 20
De ſponſalibus, matrimonio, & nuptiis. Punct. 21
De dote, de veſtimentis, aliiſque ornamentis ſponſalitiis. Punct. 22
De oſculo, & de amplexu. Punct. 23
De igne, melle, balſamo, & refectione corporis in Synaxi. Punct. 24
De quibuſdam aliis ſymbolis, & de caſtis blanditiis. Punct. vlt.

Cur Deus obumbret effectus gratiæ ſuæ ſymbolis rerum corporearum.

PVNCTVM PRIMVM.

SI omnis Theologia ſymbolica, vt dictum eſt, habet aliquid effictum, veluti, cum per aquam, aut lumen demonſtrantur varij, & occulti effectus diuinæ gratiæ conferentis animæ, quod lumen, & aqua corporibus; inquirendum in primis eſt, cur Deus ſub eiuſmodi figuris, & vmbris contegat ſecretas operationes ſuas. Reſpondeo cum eodem Ioanne Sapiente, quod cùm beneficia diuinæ gratiæ non veniant ſub aſpectum, neque ſub tactum, aliúmve quempiam è ſenſibus, vnde explorata fiant, Deus optimus, & ſapientiſſimus imaginibus, atque ſimilitudinibus ſenſibilibus illa conueſtit, vt ſaltem nota fiant per aliquam experientiam rei ſimilis, aut cognatæ, nihilque dubij ſuperſit de eorum veritate apud animas purgatiores, & rem expertas; apud verò minùs purgatas, & inexpertas, ſuaſibilis reddatur veritas, ſi non ex propria, ſaltem ex aliena experientia.

De locutione Dei.

PVNCTVM II.

INchoabimus à locutione Dei, quæ cùm homini propria ſit, dum corporaliter, & per organa vocis exprimit conceptus mentis ſuæ, tribuitur tamen Deo quoties aliquid nobis manifeſtat, vel innuit, ſicut dicitur locutus Moyſi, & Prophetis. Diſcimus autem ex Gregor. *hom.* 31. *in Euang.* Dominum aliquando loqui verbis, aliquando rebus; quia nimirum opera Dei, vt idem ait, *hom.* 2. per potentiam aliud oſtendunt, aliud per myſterium loquuntur. Verùm omiſſa locutione, quæ

fit

Digitized by Google

fit per exhibitionem rerum, ſeu per obiecta propoſita, quæ magis ad viſionem pertinet, eam, quæ verbis aliquo modo fit, attendamus.

Variæ ſunt, & diuerſis modis fiunt locutiones à Deo. Prima formatur ſono vocis exterioris, percipiturque per aures corporis, ſicuti cùm 1. *Reg.* 3. ter vocauit Samuelem, cui ille reſpondit; *Loquere Domine, audit ſeruus tuus.* Et *in epiſt. 2. Petri, cap.* 1. de Transfiguratione Chriſti; *Accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum, &c. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, &c.* Eiuſmodi locutionem minimè offendes in his ſcriptis, quia nuſquam facta, vel audita eſt, niſi pro voce, & locutione Dei ſumas dicta Magiſtrorum, prolata ad inſtructionem Diſcipulæ, apud quam illorum verba erant pro Dei verbis.

Altera locutio neque voce ſenſibili formatur, neque excipitur auribus corporis, ſed fit, & recipitur in imaginatione interna, nempe quando Deus, vel Angelus ordinando ſpecies iam ſuſceptas, aut imprimendo nouas in hominis phantaſia, ea verba format, vel eas ſententias, quas vult ab eo intelligi. Spiritus namque Dei occulta quadam vi, quaſi quædam verba dicit, & quæ agenda ſunt hoc modo inſinuat, eo pacto, quo nos ipſi loqui videmur etiam in ſomnis, per applicationem phantaſmatum. De hac locutione interna, *Pſal.* 83. *Audiam quid loquatur in me Dominus meus.* De hac ſermocinatione extat exemplum apud Zacch. 1. vbi Angeli introducuntur intus, & inter ſe colloquentes. Hanc loquendi formam familiarem, & quotidianam fuiſſe apud ſponſam noſtram (hoc enim nomine ſignamus Virginem, cuius hîc texitur hiſtoria) ex eo colligimus, quod referebat die 26. Nouembris „ anni 1630. Aures vocem illam non percepere, quæ in me „ loquitur familiariter, qua erudior, cuius ſono ſoleo exhilarari, „ etenim eram conſepulta in Deo, &c.

Hîc monendus es, perſonas loquentes varia ſub ſpecie, ac ratione repræſentari, ſecundum diuerſam impreſſionem figurarum in imaginatione, provt diuinæ ſapientiæ magis placitum, & opportuniùs viſum fuerit. Atque hinc eſt, quod in hiſtoria ſæpenumero inducitur ſponſus loquens, interdum Pater, interdum Spiritus ſanctus, nonnunquam etiam Beata Virgo

Maria. Quin etiam ipſe idem Filius modò perſonam gerit Regis, modò ſponſi, modò medici, aut infantis, vel hominis languentis inter cruciatus, vel alterius rationis, provt ipſe pro ſua ſapientia iudicat aptius. Quemadmodum apparuit Magdalenæ ſub forma hortulani, & duobus diſcipulis euntibus in Emaus ſub figura peregrini; & hoc eſt quod Ricard. à S. Vict. *in* 8. *Cant.* dicit, animam frui Deo in cubiculo ſuo diuerſis modis; nunc vt ſponſo, nunc vt patre, &c. Quodque ſponſus aſſerebat ſponſæ noſtræ in epiſtola diei 20. Aprilis 1631. „ Ego in hoc corde ſedeo velut in throno meo. Hic vt Deus „ volo coli, vt Dominus obtemperari, vt Rex ſeruari leges „ meas, vt ſponſus fideliter amari.

Eſt præter iſtas alia locutio Dei in anima, quæ nec ſonat in aure, nec percipitur in phantaſia per imagines rerum, ſed purè ſpiritualiter fit in mente per ſpecies intellectuales, non diſſimilis ab ea, de qua Apoſt. 2. *Corinth. vlt. Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* De hac forma locutionis frequens ſermo eſt in epiſtolis vbi ſerua Dei ſe dicit inopem verborum ad enuncianda ea, quæ aguntur in intellectu ſuo, carereque imaginibus ad exprimenda occulta mentis ſuæ. Clariùs autem in epiſtola ad Matrem de Chantail his verbis: „ Vix, aut rariſſimè obuenit mihi vti rerum imaginibus, ſeu „ ſpeciebus. Sentio mentem meam purgatiſſimam. Tota res „ agitur verbis, & colloquiis, Deo animam, & anima Deum „ alloquente. Et in epiſtola diei 24. April. 1651. Nunc res „ omnis agitur in excelſa acie mentis, per lumina, & ſpecies „ intellectuales animam arctiſſimè alligantes obiecto ſuo, &c.

Inter has diuinæ locutionis formas numeranda venit illa, quæ quod verba dicunt, practicè operatur; idcircò efficax, & operatoria appellanda; qualis fuit ſermo Chriſti imperantis reſurrectionem mortuis, quam reſurrectionem eodem verbo & iubebat, & præſtabat, donans, vt ait Pſalmiſta voci ſuæ vocem virtutis. De hac etiam diuini verbi efficacitate crebrior eſt mentio in epiſtolis. Accipe pro multis exemplum vnum de „ epiſtola diei 14. Iulij 1630. Pari paſſu ibant cum verbis ver- „ borum effecta.

De auditione, colloquio, & ſilentio.

PVNCTVM III.

LOcutioni correſpondet auditio; & ſicut loqui eſt conceptus mentis voce propalare, ita audire eſt alienos conceptus aure percipere. Auditus fit vel per externas auriculas corporis, de quibus nulla fiet hîc mentio; vel per internas aures animæ, de quibus *Pſalm.* 39. *Aures autem perfeciſti mihi*; ad intelligendum nimirum, & ad obediendum, iuxta illud *Pſal.*17. *In auditu auris obediuit mihi.* Sicut enim docente Sancto Thoma *in Iob*, loquitur Deus homini, cùm eius cordi aliquid de ſua ſapientia inſpirat; ita audit homo cùm inſpirationem concipit, & exequitur: quid etenim ſunt aures animæ, quàm ſenſus intelligendi, & affectus diligendi? Iam verò perquiramus à ſponſa, quo ritu auditio iſta peracta ſit in Paſchate anni 1631. vbi „ ſponſus aiebat: Si ego Magiſter, dicentem, docentemque „ auſcultato. Sileant in te omnia, audiar, & loquar ego ſolus. „ Vbi illa vox aures ſponſæ tetigit, repentè pendentibus ab „ ore Magiſtri cunctis viribus animæ factum eſt in cælo mentis „ ſilentium magnum, non diſſimile ab eo, quo angelici ſpiri- „ tus taciti, & abſque ſtrepitu doctrinas æternæ ſapientiæ, & „ diuina imperia excipiunt, neruis omnibus extenſis ad ea „ implenda, &c. Accipe & exemplum aliud ex epiſtola diei 26. „ Iunij 1630. Mane Magiſter vocauit me ad audientiam illis „ verbis: Audi filia, & inclina aurem tuam; audi quid à te „ poſtulem, inclina intimam aurem cordis tui; nam quæ foris „ ſunt aures, parum officiis noſtris proſunt. Auſculta quod à „ te poſcam, &c.

In hoc auditorio quandoque permiſſum eſt ſponſæ verba verbis reddere, & colloquia colloquiis miſcere, eodem modo, quo compoſiti ſunt dialogi Canticorum inter ſponſum, & ſacram ſponſam, ſecundùm aſſumentis Dei gratiam, qui dum os ad os loquitur, ab eo, quem dignum tali colloquio fecit, etiam mutua reſponſa benignè ſuſcipit, quemadmodum accepit reſponſa iuſti Abraham, cum diceret *Geneſ.*18. *Loquar*

Digitized by Google

ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis. Quandoque verò ſponſa noſtra iuſſa eſt ſilere, & tacitè auſcultare in ſilentio, vt in præfato exemplo. Quod non eſt accipiendum pro quadam ſuſpenſione intellectus, ac ſi nihil omninò tunc operaretur; ſed quatenus anima ſimplici actu intellectus ſui coniuncta, & adhærens Deo, per aliquam pauſam ceſſaret ab aſpectu, & tumultu aliorum phantaſmatum perturbantium illam adhæſionem, & auſcultationem ſummi boni; ceſſaretque à multiplici productione aliorum actuum diſtinctorum à præſenti auditu. Monet namque Dionyſius in myſtica Theologia, actiones mentis eſſe prætermittendas in contemplatione, illas videlicet, quæ ſunt extra Deum, aut quæ perturbant præſentem contemplationem. Cui dicto omninò conſonat quod hæc ſerua Dei ſcribit in epiſtola diei 2. Octobr. 1636. Proloquente in præcordiis Domino, aurem aliò quoquam vertere vetitum eſt. Accidit autem in hac auditione intellectuali, vt verba ita facilè fluant in animam, ipſaque tam leniter texat ratiocinationes ſuas, vt ab alia perſona ſibi colloquente procedere credat, ſibique aliunde dictari, vt patet ex relatione diei 6. Februarij 1631. Contigit præter expectationem, in puncto temporis, & extra penſum meditationis, ſponte naſcentibus nominibus contumelioſis, ſponteque fluentibus, non ſecus ac guttæ pluuio tempore de tectis decidunt; nimirum ſuggerente ſpiritu Dei, & ſpiritu profundiſſimæ humilitatis.

De otio animæ contemplantis.

PVNCTVM IV.

POrrò quod diximus de ſilentio mentis, idem affirmandum videtur de otio, ſeu de quadam abſtinentia actionis propriæ, quam ſponſa ſæpiſſimè memorat in ſuis epiſtolis. Non enim putandum eſt, eam nihil omninò operatam, ſed tantùm habuiſſe ſe paſſiuè, recipiendo influxus, motiones, & actiones Dei; vnde dicuntur animæ diuina patientes. Impulſus enim Spiritus Sancti volentis animam in amore magis perficere

Digitized by Google

ficere,mentem fortiùs mouet, ac dirigit: ipſa autem mens tanquam informata illo motu, paſſiuè ſe habet in receptione; neque poteſt dici abſolutè non agere cum Deo per conſenſum, & adhæſionem cum eius impulſu. Conuenit namque animæ in eo ſtatu non adhibere propriam induſtriam, aut operam, ſed ſubiici operationi diuinæ cum humilitate, aſſenſu, & gratiarum actione, ne alioquin impediat fructum benedictionis diuinæ, perdatque fructum laboris ſui. De hoc otio egregiè, ac verè Bernard. *Otium ſpirituale non otium, ſed negotium eſt.* Videamus quomodo otium iſtud,ſeu negotium ſponſa noſtra peregerit. Sic habes in epiſtola diei 23.Octobris 1630.

„ Ego nulla mei portione vtens, nil penitus egi, cuncta per-
„ fecit is, qui vires animæ meæ corripuit, tenuitque robuſta
„ manu, & quocumque voluit, implicauit. Ego quaſi colli-
„ gata manibus, pedibuſque, ad quicquam agendum me non
„ mouebam; mouebar autem ad toleranda vniuerſa.

De viſis, & de eorum reuelatione.

Punctum V.

Doctor Angelicus *lect.*1. *in cap.*12. 2.*Cor.* ponit ita differre inter ſe viſionem, ac reuelationem,quod reuelatio includat viſionem, ſed non è contra. Nam aliquando videri aliqua, ait,quorum intellectus,& ſignificatio eſt occulta videnti,vt accidit Pharaoni inſpicienti vaccas pingues,&vaccas macras,neſcienti tamen quid illæ ſignarent; & tunc eſt viſio ſola. Quod ſi de viſione habeatur intellectus, tunc reuelatio dicenda eſt, vt accidit Ioſepho declaranti myſterium dictarum vaccarum. Percurrat, qui volet hæc ſcripta, non tamen vſquam obiicere licebit Virgini noſtræ,quod arguebat Ezechiel: *Viſionem caſſam vidiſti.* Quoniam qui viſa propoſuit,idem vbique rationem, ac ſenſum viſionis ſubiecit. Vidit ſponſa fontem aquæ ſalientis,vidit arbores fructibus onuſtas,vidit ouem,& alia propè infinita; ſed audiuit eodem tempore ſuam ſingulorum interpretationem. Porrò Bonauent. *lib.*2. *cap.*75. *de profectu Religioſorum*, quatuor enumerat ſpecies viſionum: corporalem, qua quis

vigilanti oſtenditur; imaginariam in ſomnis, vt Angeli admonentis B.Ioſephum: ſed hæ duæ viſiones exulant ab hac hiſtoria. Tertiam imaginariam, factam in vigilia, quales fuere apud ſponſam viſio fontis, viſio templi, conuiuij, & aliæ ſexcentæ, quibus, vt dixi, annexa fuit rei ſignificatæ reuelatio. Quartam vocat intellectualem, qua illuminatus oculus luce veritatis, purè ipſam veritatem contemplatur; vel in viſione imaginaria intelligit veritatem, quæ in illa ſignificatur. Tales hîc ſunt declarationes myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis, inſpectiones theſaurorum Filij Dei, & eiuſmodi aliæ non paucæ, pro quibus nil addo, quia pateſcunt locis ſuis.

De ſplendoribus.

PVNCT. VI.

INter viſa rutilat vſitatiſſima apparitio ſplendorum, ſeu diffuſio quædam lucis in anima, indicantis communicationem luminis gratiæ, & intellectus. Eiuſmodi fuit illuminatio cordis in templum mutati ipſo die Sancti Antonij, de qua ſic ſcribi-
„ tur : Omnia lumen erat, & emicans omni parte ſol. So-
„ lus ſponſus in medio lucis ſedebat, affirmans lucem hanc
„ eſſe gratiam ſuam, qua animam ſponſæ colluſtrauerat; ani-
„ mam verò ipſam eſſe templum, in quo eligit habitare, addu-
„ ctis in hanc rem verbis Apoſtoli 1. *Tim.* 6. *Ille ego ſum Deus, qui lucem habito inacceſſibilem.* Cuius verò emolumenti ſint irradiationes iſtæ figuratiuæ illuminationis ſpiritualis, collige ex dictis menſe Nouembris 1630. vbi ſponſus ſic allocutus eſt:
„ Ego ſum lux mundi, & fons vniuerſæ lucis. Ego commu-
„ nem hunc, latumque mundum feci radiis ſolis ſplendeſce-
„ re. Volo autem, & hunc exiguum mundum, hunc mi-
„ crocoſmum cordis tui nouo ſplendore colluſtrare. Fiam
„ illi tota lux, & ſol ſuperni luminis. Dixit, atque illicò ex-
„ panſa eſt per omnem regionem huius parui mundi lux ful-
„ gentiſſima, quaſi rutilantis ſolis, qua mens ſponſæ illuſtrata
„ fuit ad ſpectanda occulta cælorum, & contemplanda ſecre-
„ ta diuinæ eſſentiæ, tanquam aliud videns in viſo lumine

lumen.

Digitized by Google

lumen. Duo autem obſeruanda ſunt in hac lucis participatione. Primum, diffuſionem lucis extitiſſe aliquando illuſtriorem, & iubaris lucidioris, quo declaratur vnam intellectionem ſuperaſſe aliam claritate, ſecundum diuerſam menſuram luminis diuini, & intellectualis. Sicut enim feruor addit intenſionem ſuper calorem, ita iubar ſuper lucem. Alterum, lucem hanc datam fuiſſe non ſolùm ad videndum, ſed etiam ad inuehendum calorem amoris. „ Concaluit, aiebat ſponſa, cum lumine dilectio; & ita con-„ caluit, vt penè animam exhalarem præ amoris incendio. „ Et menſe Nouembr. 1630. Ad repentinum, eximiumque ful-„ gorem incaleſcebat anima mea, nil minùs quàm tellus ſub „ æſtiuis, meridianiſque ardoribus. Addam, & hoc tertio loco obſeruandum ex 2.2. Sancti Thomæ, *quæſt.* 172. *art.* 2. quod ſicut lux non ſolùm dat videre alia, ſed etiam ſeipſam; ſic diuinæ illuminationes transfuſæ in mentem huius ſeruæ Dei, non ſolùm dabant cognoſcere res à Deo propoſitas, ſed quod illud lumen eſſet diuinum, & procedens à Patre luminum. „ Audi ſcribentem ad Matrem de Chantail: Sæpenumerò „ ſenſi (ex ipſa certè Dei præſentia) intellectum magnis ful-„ goribus illuſtratum, & inſtar ſolis vndique collucere; quo „ id pacto, non probè cognoui. Et in epiſtola diei 30. Augu-„ ſti 1630. Interim poſita videor in loco fulgentiſſimo, & cir-„ cumfuſa luce interna, quæ mihi teſtis eſt certiſſima ſponſi „ præſentis, intus loquentis, & fortiſſimè adſtringentis me „ ſibi.

De tenebris, & caligine.

PVNCT. VII.

QVid autem illud eſt, quod tam crebrò proteſtatur ſe raptam fuiſſe in loca obſcura, & ignota, atque in tenebras? „ vt in epiſtola diei 11. Nouembris 1654. Nonnunquam ani-„ mulam traxit in tenebras interiores, vbi ſuis ipſa oculis velut „ vmbra euanuit. Et in epiſtola diei 28. Ianuarij 1631. Eadem „ hora pertraxit miſellulam hanc ſeruam ſuam: ignotus erat

Digitized by Google

„ mihi locus ille, & an ipsa existerem, nesciebam. Et alibi: „ Oculi etiam interiores hebetes facti sunt. Obscuritatem hanc mystici vocant caliginem, non ideò dictam quasi intellectus nil de Deo capiat; sed quia cùm Deus sit inaccessibile lumen, ad quod humanus intellectus nequit propter illius excedentiam propè accedere, quemadmodum nec oculus corporeus faciem solis potest attingere propter excedentem fulgorem radiorum; hinc est, quod visio Dei in hoc etiam gradu nubila sit, caliginosa, & tenebrosa; & de ea iure dicitur illud *Psal.* 96. *Nubes, & caligo in circuitu eius*: non quatenus apex intelligentiæ vnitæ Deo nil de eo videat in loco ignoto; sed quia in ea contemplatione, quæ est Deitatis altissima cognitio, mens limpidè conspiciens quantum deficiat à comprehensione essentiæ diuinæ, excæcata sibi videtur, & præ admiratione deficit à seipsa; ita vt lumen illud datum ad videndum, non tam ostendat, quàm abscondat Deum; aut si videatur Deus, potiùs videatur quid non sit, quàm quid sit: etenim verum est, quod dicit Euangelista: *Tenebræ eum non comprehenderunt. Ioan.* 1. Ex- „ plicat hoc nobis sponsa nostra in epistola diei 30. Aug. 1630. „ Animam transfert in ignota loca, vbi illucescentibus splen- „ doribus diuinis, lumen humanæ rationis obtenebrescit, & „ mens impletur per omnia Deo. Et in mense Nouemb. 1630. „ Perstricta sic acie oculorum, vix poteram obtutum in illud in- „ gens lumen intendere. Quod vt magis perspicuè intelligas, „ veniat tibi in mentem fulguris ex improuiso erumpentis de „ opacis, atrisque nubibus, cuius læsione, & flamma oculi inspi- „ cientium retorquentur. Fusiùs in epistola diei 13. Octob. 1655. „ Oborta mihi repente, nescio quo modo, luce fulgentissima. „ Quid ego appellaui lucem? Sol erat in auge cæli mei, sole „ nostro fulgentior, & typum quemdam rationi meæ confor- „ matum, & impressionem inuexit supercælestis Triadis, in „ eadem vna, & simplici substantia, aut si mauis essentia, de „ qua audiebam inaudita. Perstringebat oculos meos lumen „ illud indeficiens; verumtamen ita credibilem notitiam, ac „ fidem mysterij impenetrabilis attulit, ac si clarè illud ocu- „ lis vindicassem, relicta in centro cordis eiusdem Triadis „ specie per sui præsentiam. Hæc illa. Itaque concludo, in hac obscuritate apicem mentis solùm detegere quamdam Dei perfectio-

Digitized by Google

perfectionem excedentem vniuerſa; caliginoſam tamen, propter ipſius incomprehenſibilitatem.

De transformatione in Deum.

PVNCT. VIII.

GLoriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem tranſformantur à claritate in claritatem, tanquam à ſpiritu Domini, ſcribebat Paul. 2. *Cor.* 3. Non quod Spiritus Pauli, ſeu ſpiritus humanus tranſeat in diuinum; ſed quia per adiunctum lumen, & vim vnitiuam ſupernaturalem amoris fiat maxima vnitio intellectualis animæ ad ad Deum, quem ſpeculatur, permanente vtriuſque natura. Ita vt transformari dicatur anima in Deum per quamdam perfectam participationem Diuinæ Naturæ, quaſi exuatur à ſeipſa per ſublime lumen, atque per feruentiſſimum amorem ſuperinduatur gratia, pulchritudine, charitate, aliiſque donis ſupernaturalibus Dei, cui configuratur. Quod enim noua forma ſuperinduitur, in eam transformatum dicitur; & quod efficitur forma alicuius, efficitur vnum cum illo. Hinc eſt, quod toties leges de hac Virgine, quod transformata ſit, quod tradũcta ſit in Deum, quod tranſierit in eum, quod abſorpta à Deo, quod omninò à ſe defecerit: quæ phraſes, & aliæ multæ eiuſdem ſenſus intelligendæ ſunt, quatenus medio illo lumine ſublimiori, & amore feruentiſſimo, mens aſpectu diuinæ pulchritudinis, & guſtu æternæ Dei bonitatis, quaſi alienata, remotaque à ſeipſa, tota ierit, vnumque ſit facta cum illo diuino obiecto, eo modo, quo per amorem amans fit vnum cum amato. Exemplis tranſformationum tota ſeries huius vitæ ſcatet: vnum, aut alterum ſufficiat pro multis. Poſt epiſtolam diei 25. Nouembris 1630. „ aiebat: Spiritus meus minimè diuerti potuit ab eo, qui me „ vinculis amoris ſtrinxerat, quique illapſu præſentiæ ſuæ tam „ intimè illum in ſe transformauerat, vt nullum diſcrimen in„ ter me, & Creatorem meum comprehenderem. Eo propè „ modo, quo duo fruſtula ceræ liquatæ in vnum ſine diſcri„ mine coeunt. Singulare hoc loco fuit, quod iſthæc geſta,

„ patrataque ſunt in ſublimiori, puriſſimaque ſede mentis;
„ quod omnem captum meum ſuperant; quod cohibere non
„ potui, quin de illo cacumine in decliuia animæ, & corporis
„ deriuarentur. In epiſtola verò diei 16. Ianuarij 1631. Pa-
„ rum fuit vniuiſſe me ſibi, transformauit, & totam transfu-
„ dit in bonitatem ſuam; ita vt ipſa, non ipſa, ſed nouum Dei
„ opificium apparerem mihi.

De ecſtaſi, & raptu.

PVNCTVM IX.

ET hoc etiam eſt ecſtaſin pati, quod eſt extra ſe poni, dum ſubleuatur homo ad comprehendenda ea, quæ ſunt ſupra ſenſum, & ſupra rationem humanam, vel quatenus ex vehementi appetentia rei amatæ quodammodo exiens à ſe ipſa extra ſe fertur ad eam. Tanto quippe ſplendore diuinæ lucis perfunditur interdum intellectus, & tanto feruore amoris in Deum accenditur voluntas, rapiturque extra ſe, & ſupra ſe, vt potentiæ partis ſenſitiuæ ſuſpendantur, & ſopiantur ab officiis ſuis, & ſic videatur anima extra ſe poſita. Quod de amore ſpeciatim innuit Dionyſ. *cap. 4. de diuin. nom. Eſt autem ecſtaſin faciens diuinus amor, non ſinens amatorem ſui ipſius eſſe, ſed rerum amatarum.*

Hõc loco obſeruanda eſt differentia poſita à S. Doctore 2.2.*quæſt.* 175. *art.* 1. inter ecſtaſin, & raptum, quòd nempe ecſtaſis importet ſimpliciter exceſſum à ſe ipſo, ſecundum quem aliquis extra ſuam ordinationem ponitur. Raptum verò addere quandam violentiam, qua mens hominis eleuanda ad ea quæ excedunt facultatem ſuam, neceſſe eſt vt eleuetur quadam fortiori operatione, quæ quoad aliquid poteſt dici coactio, ſi nempe attendatur modus operationis. Exempla paſſim obuenient legenti.

Digitized by Google

De ſuſpendio, & morte.

PVNCTVM X.

ADuertendum prætereà eſt, non omnes ecſtaſes eſſe æquales, ſed provt Deus illabitur in potentias ſuperiores, quandoque totaliter intercluſis omnibus inferioribus, quandoque non tam vniuerſaliter omnibus. Vnde per varia nomina, & varias comparationes ſignantur. Sponſa noſtra ſecuta B. Cathar. Ianuenſem, *cap.* 30. *Dialog.* vocat ecſtaſin vnam ſuſpendium, poſt epiſtolam diei 5. Auguſti 1630. hiſce verbis. „ Ita me obiecta illa ſpecies diuinitatis, infuſuſque amor at-„ traxerat, vt præſenti bono illectus ſpiritus extra me procul „ abiiſſe videretur. Ego quaſi maſſa ferrea de ſurſum pen-„ dens, nihil niſi pondus corporis mei nitentis vnico filo ſen-„ tiebam, quo ſolo ne tota tranſirem ad Deum, impediebar. „ Et clariùs in epiſtola diei 16. Decembris 1630. Euanue-„ ram vtrobique tota, ſpeciem mei ipſius neque ante oculos, „ neque in ſenſu habens vllam, vtpote ſemimortua, cui re-„ liquiæ vitæ tenuiſſimo pendebant à filo. Et infrà in additio-„ ne: Haud eram diſſimilis homini ſuſpenſo, cui ſubligata „ collo reſtis verba ſurgentia iugulat, vix halitui meatum „ puſillum relinquens. Effari nitebar ego, viam voci occlu-„ debat amoris compreſſio, vix ſuſpiriis, & ſingultibus ce-„ dens. Alibi autem, ac ſæpiùs ſe omninò mortuam dicit, potiſſimùm in dialogo ante epiſtolam Diei 16. Februarij 1631. vbi iteratis vulneribus amoris ſauciata, & verbo carens, ſponſo defectum animæ ſuæ, vt vt poterat, inſinuabat, eoque percunctante, quonam pharmaci genere curari poſſet; „ Non alio, reſpondit, quàm temetipſo, qui me feris. Ita „ eſto, ſubdidit ſponſus: ſanam te faciam ab omni malo, „ erepta tibi vita. Illicò aliud ſpiculùm amoris intentans: „ Hoc, inquit, ictu morieris. Illa tota cordis peripheria, in-„ timiſque medullis excepit ictum, qui mortem quandam „ intulit. Vnde langueſcens ſenſu, animoque hebes ſupra

dimidium

„ dimidium noctis è vita migrasse arbitrabatur. Quamvis autem talis ecstasis mortis nomine notetur, anima tamen ipsa minùs à sensibus auertitur, quàm in morte, licèt magis quàm in somno.

Notauit insuper S. Bonauent. *lib. 2. cap. 72. de profectu Religios.* quandoque per ecstases obrigescere corpus, membraque fieri inhabilia ex subita feruoris, & suauitatis influentia, quod inde oriri posse affirmat, quia cordis affectu inflammato, spiritus omnes accenduntur, & ab extensione neruorum, obstructioneque viarum spiritualium, membra amittunt habilitatem officiorum suorum, quoadvsque feruor iterum remittatur, & viæ spirituum apertæ fiant, vt priùs. Eo modo, quo ex humana, & vehementi passione oritur stupor, subitus tremor, febris, & eiusmodi effectus. Sic sponsa nostra post excessum „ superiùs scriptum, inde parumper respirans, gelidam se, & „ totis artubus conquassatam persensit: sed manifestiùs in „ nocte 22. Octob. 1630. Sponsus concitatiore amoris impetu „ irruit in eam, vnde horrorem quemdam, & frigus toto „ corpore serpere sensit, dubia de orta febri, propter mox in„ gruentem magnum calorem, &c.

Illud quoque non præter admirationem est, quod in tam assidua, & penè dicam quotidiana frequentia ecstaseon, raptuum, ac transformationum huius seruæ Dei, nullum vnquam indicium earum sodalibus patuerit. Illæ quidem de secreta, singularique communicatione diuinæ bonitatis nullatenus dubitabant; nulla tamen de visu verba, aut fidem facere potuit, quia nulli vnquam acta patuere, vt colliges ex epistola „ diei 10. Martij 1637. Sæpius illa mihi sensum, sæpius reliqua „ corporis officia, vsumque mei ademere; nunquam tamen „ palàm, & sub aspectu contubernalium mearum, neque „ cum muneris, aut instituti mei præiudicio.

De languore, & liquefactione.

PVNCTVM XI.

LAnguere est viribus minui, infirmumque fieri robore; diciturque tum de anima, tum de corpore. De languore, qui ad rem nostram est, ita Richard. à S. Victor. proloquitur. *Dum mens à seipsa alienatur, dum in illud diuinum secretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio circumdatur, intimè penetratur, & inflammatur, seipsam penitus exuit, & diuinum quemdam effectum induit, & inspecta pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam transit. In hoc statu anima in illum quem diligit, liquescit, & in seipsa tota langueſcit, vt dicat; Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quod ad litteram accidisse huic sponsæ notatur in additione ad eius epistolam diei 25. Novemb. 1630. quando se dicebat fultam suauibus, ac cælestibus odoribus, ne inter vehementiores commotiones deficeret. Languentis animæ, ac corporis exemplis plenæ sunt paginæ libri huius. Vnum „ pro multis, ex epistola diei 12. Iulij 1630. Ad hæc anima „ mea in deliquium cordis, & penè in nihilum decidit; non „ vis, non animus remansit sistendi me coram sic depresso, & „ conflictato Deo.

Ex triplici autem capite natus videtur in serua Dei defectus, seu languor iste. Primò ex intensione amoris; præ nimio namque ardore mentis decrescit fortitudo corporis. Secundò ex vulneribus, seu plagis impositis ab amante; habet enim amor suas sagittas, & arma, quibus vulnera infligat amato. Vide pugnam, & plagas amoris inter sponsum, & sponsam in nocte 21. Octobris 1630. vbi sponsa sauciata tribus sagittis, cecidit exanimis, languebatque inter oppositas passiones amoris, ac doloris. Tertiò ex sympathia; seu compassione sponsi languentis; amor enim communes facit dilecti dolores, & languores.

Non ineptè languoribus iungetur quædam deperditio, seu annihilatio sui, quæ frequens legitur inter hæc scripta, qua nimirum sponsa, siue in profunda sui cognitione; siue in com-

paratione ad Deum, deiecta per humilitatem, & quasi passa sui deficientiam, sibi minimè apparebat, imitata eum, de quo Apostolus, *Exinaniuit semetipsum.*

Liquefactio est alicuius duri dissolutio, ex adiuncto calore, vel ex admixtione humoris. Liquefieri ergo anima dicitur per quamdam emollitionem cordis, qua magis coaptatur ad receptionem boni amati, & ad conformandum se illius voluntatibus, quibus resistit cordis durities, seu congelatio. Quod enim durum est, suis se continet terminis, & in se constrictum non facilè suscipit alienos: quod autem liquefit, diffunditur à terminis suis, formaturque alienis. Amor ergo dicitur liquefacere cor, quatenus in statu contemplationis aliquo modo animam emollit, vt in ipsam sponsus ingrediatur, ibique operetur quicquid voluerit sine luctamine. Appositè Richard. *Sicut artifex liquefactis metallis formam quamcumque voluerit, imprimit; sic anima in illo statu ad omnem diuinæ voluntatis nutum se facilè applicat.* Audi loquentem sponsam post epistolam diei 25. Octo-„ bris 1630. & vtentem eadem metalli comparatione: Anima „ in fornace diuini pectoris liquefacta abierat velut in liqui-„ dum metallum, aut in ceram ebullientem. Vt sicut liquor, ait Bonauent. liquori, ita spiritus Dei spiritui hominis influens misceatur, & anima fiat vnus spiritus cum Deo.

Ex varia autem origine liquefit anima. Est liquefactio amoris, quando radius diuinæ inspirationis iustos percutit, & penetrat eo modo, quo *in Cant.* 5. dicebat sponsa: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Vel quando calor diuinæ charitatis animam iam adurit, vt in exemplo supradicto; *Anima in fornace diuini pectoris liquefacta, &c.* Est liquefactio contritionis, qua anima ex correptione sibi facta soluitur in lacrymas, iuxta illud Psal. 147. *Flabit spiritus tuus, & fluent aquæ.* Quemadmodum sæpe sæpius contigisse huic seruæ Dei reperies, præcipuè inchoante mense Februario 1631. Tertiò est liquefactio deuotionis, qua anima priùs dura liquefit ad recipiendas à Deo quascumque voluerit formas. Est denique liquefactio compassionis, qua cor hominis in aspectu alienæ calamitatis per compassionem resoluitur.

Quid dicemus de comparatione salis, & balsami fusi super cor sponsæ nisi quod sponsus hisce mysticis infusionibus per-

spectissimam

ſpectiſſimam fecit communicationem, ſuauitatemque ſuam? Reponamus hic verba de ſale, ſub die 13. Nouembris 1630.

„ Inſidens cordi ſponſæ ſponſus aiebat: Ego ſum ſal huius cor-
„ dis, ne vnquam putreſcat tabo peccatorum: imò & liqui-
„ dum ſal fiam, vt faciliùs peruadam, atque perfundam inti-
„ ma viſcera ipſius, condiamque illud, & reddam magè gra-
„ tum, & ſapidum palato Patris mei. Dixit, & eodem puncto
„ liqueſcens abditiſſimos quoſque receſſus animæ balſamo di-
„ uinitatis ſuæ aſperſit, ad cuius contactum cor ſponſæ pariter
„ liquefactum eſt, & balſamo liquidi ſalis commixtum. Ite-
„ rum quoque poſt epiſtolam diei 30. Martij 1631. Primo ma-
„ ne ſponſus impetiuit gratam ſibi ſedem cordis, in quo ve-
„ lut in amatiſſimo throno quieuit. Mox, & ex tempore in
„ liquidum balſamum dilapſus, totam amplitudinem throni
„ ſui balſamo ad inteſtina quæque pertingente reſperſit. Spon-
„ ſa in multam diem, ac potiùs in vltimum vſque diei balſamo
„ madere, balſamum ſudare videbatur, ac tandem colliqueſ-
„ cere cum Deo ſuo, atque in eo magis, quàm in ſeipſa ſub-
„ ſiſtere.

De iucunditate, & iubilo.

PVNCTVM XII.

PErgamus iam ad cæteros affectus, ſeu effectus contemplationis, vt conſtet, nullum ex illis defuiſſe huic ſponſæ Chriſti: ſpiritualis iucunditas ex B. Bonauent. *lib. 2. cap. 72. de profectu Relig.* dici poteſt gaudium quoddam in Spiritu Sancto, & ab ipſo Spiritu ſancto infuſum, quo gaudet animus in Deo, ſiue pro perceptis beneficiis, ſiue pro promiſſis. Oritur etiam ex intuitu futuræ gloriæ, & bonitatis diuinæ, ex confidentia in Deo, ex teſtimonio bonæ conſcientiæ. Dionyſius Carthuſ. *in eum verſum Pſal. 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum:* cùm per cor intelligi dixiſſet appetitum intellectualem, & per carnem appetitum ſenſitiuum; itemque per cor animam, & per carnem corpus; oſtendit tria poſſe hanc lætitiam diuinæ dulcedinis, diuerſimodè tamen,

participare; voluntatem videlicet, per eſſentiam; appetitum ſenſitiuum, per redundantiam; & carnem ſecundum aliqua ſigna, vt ſerenitatis in vultu, riſus in ore, &c. Neque omittam dicere, hanc ſeruam Dei per hanc copioſam hilaritatem animi fuiſſe redditam benenolam, deuotam ad omnia agenda, diligenda, & ſufferenda quæcumque Dei eſſent.

Iubilum verò, ex eodem Bonauentura, eſt quoddam ſpirituale gaudium cordi repentè ex aliqua deuota cogitatione, vel collatione infuſum, quod ex ſua vehementia totum cor concutit, & quodam tremore commouet, cruciatque delectabiliter, quia motus gaudij conſolatur, ſed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur. Audi quid ſponſa dicat in epiſtola diei 3. Auguſti 1630. tam de iucunditate, quàm de iubilatione: „ Propè mediam noctem ſponſus ſuſcitauit animo inſolitam „ exultationem, & iubilationem. Exiſtimabam me poſitam „ in culmine eius felicitatis, qua perfruuntur cæleſtes ſpiritus. „ In epiſtola iterum diei 3. Iulij 1617. Interdum quoque tam „ effuſo, & inſolito gaudio efferebatur cor meum, menſque „ ipſa tam repentino, ac vehementi iubilo exhilarata fuit, vt „ non niſi à ſupremo fonte amoris puriſſimi manaſſe pro certo „ haberem.

De ebrietate, & ſatietate.

PVNCTVM XIII.

ETiam his ſimilitudinibus adumbratur vis, & ſuperabundantia diuinæ conſolationis à Spiritu ſancto. Ebrietas enim ſpiritus poteſt dici quædam magna vis amoris, aut conſolationis, qua tanquam à vini fortitudine feruor ſpiritus ita exhilareſcit, vt ſe intra ſe cohibere non valeat, ſicut in Act. Apoſtoli æſtuantes feruore Spiritus ſancti, ebrij dicebantur. Hanc ebrietatem paſſa videtur ſponſa in conuiuio lactis, mellis, & vini, die 30. Martij 1631. vbi ſponſus, vt iam multo vino amoris ebriam in pleno gurgite ſuæ bonitatis ſuffocaret, in ſinu, & in penetrabilibus cordis ſui ſemianimem ſepeliuit, ibique diuinis vberibus firmiter appenſæ, per totum diem non tam fugere, quàm potare dederit.

Quam

Quam ex vino, eandem ex abundantia cibi superefluentiam spiritus tolerat anima. De hac satietate hæc habes in „ epistola diei 25. Martij 1631. Benedictus fructus ventris Dei „ Genitricis delatus est huic Nanulæ (hoc enim nomine vo„ cabatur à sponso) ad vescendum; sed eius succo tam citò „ saturata, & plena extiti, vt effuderim; & nisi me Spiritus „ sanctus obumbrasset alis suis, defeciſſem. Et post epistolam „ diei 30. Martij 1631. Tot, tantisque dulciariis farsit imbecil„ lum ventriculum Nanulæ, vt cùm exuperantes amoris sua„ uitates non contineret, pleno stomacho vndique regur„ gitaret. In epistola diei 6. Februarij 1631. sponsus aiebat: „ Catellula es pusillula, vescaris idcircò oportet dulciculis „ eduliis mensæ meæ: & hæc dicens tanta satiauit dulcedine, „ vt nimium saginata disrumperer. Angebar angustia stoma„ chi, grauiterque dolebam tanta esca farciri, nec posse con„ tinere.

De corde, & passionibus cordis.

Punct. IV.

Nil in tota hac historia occurret tam assiduè replicatum, vt nomen, & memoria cordis, nec vlla narratur facta tam multiplex, aut frequens actio, quàm in corde, & circa cor; vix binæ lineæ coeunt, quas commemoratio aliqua cordis non iungat. Quid istuc est. Cor animantis pars princeps est, cor est fons vitæ, motus, & caloris, animæ domicilium, officina spirituum, sedes amoris, & (secundum aliquos) animi, ac mentis hospitium. Per quamdam ergo analogiam cor significat nobiliorem hominis portionem, eam nimirum, quæ in ipso viget primaria, veluti mens, voluntas, facultas liberi arbitrij, affectus, aliaque eiusmodi. Porrò diuina sapientia tam varia stratagemata legitur operata in corde huius ancillæ suæ, vt continuam metamorphosin putes. De hoc corde fecit sibi palatium, fecit templum, fecit cælum, nidum, hortum deliciarum, album ad sagittas, pharetram armorum, puluinar ad somnum: in eo erexit thronum Maiestati suæ, cathedram magi-

Digitized by Google

ſterij, tribunal iudicis; & vt vno verbo cætera, in mille figuras inuertit; quæ cùm vel ſuis locis declaratæ ſint, vel facilè clareſcant ex proportione ad ſignificata, repetendis abſtineo, nonnulla tantùm quæ obſcuriora videntur, expoſiturus.

De pulſatione ad oſtium cordis.

PVNCT. XV.

QVæres igitur primùm, quid illud ſit, aut quid innuat, quod non rarò ſponſus, quaſi mendiculus ſtare ſe finxerit ad oſtium cordis ſponſæ, pulſans, & rogans ingreſſum, provt conſtat ex epiſtola diei 28. Septemb. 1630. in hæc verba: Sponſus quaſi mendiculus ad fores cordis clamabat: Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & cum illo manebo. Quod ex *cap.* 3. *Apoc.* deſumptum eſt. Itemque ex epiſtola diei 6. Aprilis 1631. his verbis: Fractus ludibriis, & cruciatibus ad ſolamen hoſpitij mei recurrit, & propè oſtium rogabat; Aperi mihi amica mea, filia mea, ſoror mea, velox aperi mihi; caput meum plenum eſt guttis dolorum, & rore noctis. Pater, ne me exiſtimes extitiſſe tardigradam: illicò patuit oſtium, cuius ipſe claues manu ſua gerit. Ingreſſus rectà inuolauit cor meum, &c. Quæſtionem hanc ſoluit Titelmanus *in commentariis ſuper eadem Cantica: Pulſare*, inquiens, *dicitur Deus, non corporalis domicilij ianuam, ſed cordis oſtium ſpirituale; quod tunc facit, quando per gratiam ſuam prævenientem corda noſtra tangit, & ſuſcitat per internas inſpirationes, & per tacitas, occultaſque motiones ad ea, quæ Dei ſunt, vtpote ad vitæ emendationem, ad ampliorem profectum, vel ad fideliorem, firmioremque amoris cum ipſo adhæſionem. Quamquam verò ipſius ſit cor noſtrum, ipſumque habeat in manu ſua, attamen à nobis poſtulat aperiri ſibi oſtium cordis; in eo innuens facultatem noſtri liberi arbitrij, per quam in noſtra eſt poteſtate, vt Chriſto poſtulanti vel aperiamus, vel claudamus oſtium.* Hæc ille. Cuius rei veritas appareat in additione ad epiſtolam diei 8. Nouembris 1630. Excipe, rogabat ſponſus; excipe me, precor, in domicilio cordis tui: illic nouo, & altiori modo habitare concupiſco; ſtabatque

„ batque ante oſtium, non aliter quàm pauperculus exorans
„ angulum aliquem hoſpitij, veritus pedem inferre non ha-
„ bita prius venia : quo ſignabat expeti aſſenſum liberè eli-
„ citum à ſponſa. Et poſt epiſtolam diei 7. Decemb. ſponſa aſſe-
„ rebat fuiſſe pulſatum de nocte ad oſtium cordis ſui, ſeque
„ reſpondiſſe : Clauis cordis, ſeu hoſpitioli mei iam non extat
„ apud me, tradidi ſponſo meo, qui illam in cuſtodia, manuque
„ ſua tenet. Aperiat, intret, quod vult faciat ; mihi nihil reli-
„ ctum eſt, præterquam cunctis eius placitis adhærere. Reſ-
„ ponſo non acquieuit ſponſus : dari ſibi voluit expreſſum con-
„ ſenſum proprij arbitrij, quo dato in cordis hoſpitium pene-
„ trauit, in Throno ſedit, regia exercuit, & ſponſam deti-
nuit colloquijs amantiſſimis.

De dilatatione cordis.

PVNCTVM XVI.

DAri metaphoricam cordis dilatationem, probant verba illa *Pſalm.* 118. *Viam mandatorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Dilatari autem dicitur cor, non quatenus eius circumferentia efficiatur amplior, ſed quatenus anima fit capacior ad ſuſcipiendum Deum, Deique amorem. Innoteſcet hoc ex relatis poſt epiſtolam diei 25. Martij 1631. Vbi ſponſus conque-
„ rebatur de anguſtia cordis ſponſæ, ſic affatus : Coanguſtata
„ nimis eſt regio corculi iſtius, & tantæ Maieſtati longè diſ-
„ par : dilatetur oportet, vt quæ ſunt ſummi, liberique domi-
„ nij inſignia, honorificentiùs in eo peragantur. Dixit, cordis
„ ambitum dilatauit, regiam ampliſſimam conſtruxit, & ibi-
„ dem, qua par eſt dignitate, Rex, Deuſque glorianter re-
„ ſedit. Quæ dum agerentur, ſponſa ſentiebat extendi ſphæram
„ cordis ſui, & de exigua domuncula mutari in Aulam regiam.
Dicitur enim extendi cor, quando feruor diuinæ charitatis cordi infuſus, vt docet Bonauent. loco ſuprà citato, totum hominem commouet, & cor diuini amoris gaudio, vel diuinæ fruitionis deſiderio inflammatum in ſe dilatatur, & extenditur, & quaſi intra angariam pectoris ſe capere non ſufficiens, quodammodo erumpere conatur, vt flammam, quam intus patitur,

foras

Digitized by Google

foras eructet, & ardoris sui refrigerium qualecumque inueniens euaporet. Audi sponsum loquentem die 26. Ianuar. 1631.

„ Ego sum amor, & amoris Deus. Nolo hîc angustum focu-
„ lum, sed amplam fornacem esse. Transeat cor istud in for-
„ nacem. Ego fons amoris ignem meum subiiciam. Verba sin-
„ gula carbones extitere, & flammæ amoris multis cubitis for-
„ nacem excesserunt. Sed meliùs in epistola ad Matrem de
„ Chantail, anno 1624. Cor laterum compressione arctatum
„ ampliorem, liberioremque campum sibi quæritabat ad ca-
„ piendas, sustinendasque tum consolationes, tum concomi-
„ tantes dolores, &c.

De commutatione cordis.

PVNCT. XVII.

AB hac cordium commutatione cœperunt primitiæ communicationis diuinæ in hac sponsa Christi, vt perspicuum est *in cap. 16. libri primi huius Ideæ*, fauentque à simili ecclesiastica monumenta de B. Catharina Senensi, quæ cum Christo cor permutasse narratur: quod etiam corroboratur à promisso prophetico Ezechielis *cap. 11. Spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Quid porrò est tolli cor vnum, & subiici aliud, nisi per vires, atque immissiones diuini spiritus remouere debilia humanæ mentis, & infundi potentiora principia virtutum, & per dona diuinæ gratiæ affectus humanos mutari in diuinos. Dignosce ex epistola diei decimæ Iulij 1630. in qua

„ sic legitur: Iacebam mœrens, & anxia de inopia amoris
„ mei, eo quod Dominum, ac Deum cordis mei peramabi-
„ lem, satis ardenter non amarem. Quid feciisse putas benig-
„ nissimum amatorem? Ex tempore consilium amãtissimum af-
„ flictæ suggessit, & vt intrepidè mutuam cordium nostrorum
„ permutationem peterem, subiecit; sic enim fore, vt ipsum
„ amare possim secundum cor suum. Animosa petij, statim
„ assensus est; sed pacti solutionem in horam synaxis distulit,
„ & ea hora seruauit. Sensi ego, Pater mi, sensi, non inficiar,

nec

Digitized by Google

„ nec hallucinabor mendax, perſenſi cordis ſubſtractionem,
„ cordis immiſſionem; & ita perſenſi, vt, &c. Accipe quid ea
„ actione innouatum eſt: interdixit ſponſus, ne poſthac, ſi
„ quando incidat de cordibus ſermo, cor meum appellarem,
„ ſed ſuum; diceremque: Domine offero tibi cor tuum, nul-
„ latenus verò dicerem, offero tibi cor meum. De millies ite-
ratis hiſce cordium commutationibus, plenæ ſunt huius libri paginæ. Taceo reliqua, hoc vnum dico, ſponſam interrogatam, num per eam mutationem aliquid conciperet maioris efficaciæ, reſpondiſſe, prodire actus amoris, aliarumque virtutum longè feruentiores, ac præſtantiores quàm antea.

De cordis purificatione, & ſanctificatione.

Punct. XVIII.

QVæres iterum, quid denotet illa toties repetita cordis purificatio, cordis ſanctificatio? Scito, animam non ſemper eſſe actu conſciam maculæ, ſeu delicti ſui: & hoc optimè declarat illa Pſalmiſtæ oratio: *Ab occultis meis munda me.* Et alibi *Ignorantias meas ne memineris.* Etiam de ſe teſtatur ſponſa in epiſtola diei 13. Septembris.... diſquirens, cur remiſſior eſſet ſe-
„ cum Dei præſentia: Suſpicor, ait, quippiam inuſtum in
„ anima, ſponſo odioſum, & remorans cæleſtes eius operatio-
„ nes. Quid illud ſit, necdum benè diiudico, excæcat me ig-
„ norantia mea, ſed tota ſum in veniæ deprecatione. Lynceus tamen oculus Dei perſpicaciſſimè neuulos quoſcumque humani cordis diſtinguens, non patitur, vt aiebat eadem ſponſa, quemquam habentem maculam, venire ſecum in intimum illud conſortium. Quare vt anima aptior fiat amplexibus diuinis, eam Deus priùs ab omni ſorde, & macula emundat, & hæc eſt cordis purificatio, provt de ſe refert ſponſa, quæ cum oraret eo verſu: *Cor mundum crea in me Deus, &c.* in menſe Decembris 1630. adfuit clementiſſima Trinitas in ſpiritu, nouaque purificatione cor deprecantis ſanctificauit, euellens inde quicquid ſibi foret infenſum.

Per maculam autem hoc loco intellige non ſolùm quam

Digitized by Google

peccata mortalia imprimunt, priuando animam nitore gratiæ; aut quam venialia superinducunt instar pulueris obtenebrantis splendorem animæ; sed etiam quemcumque defectum, aut imperfectionem, veluti nescientiam in intellectu, debilitatem in voluntate, superabundantiam cogitationum, naturales, subreptitiasque quasdam propensiones, & eiusmodi. Ex eo namque quod intellectus ad intelligendum cogitur accipere phantasmata à sensibus, aliquid etiam impuritatis ab illis trahit. Curæ quoque & negotia sæculi attrahunt animam de sublimitate contemplationis ad inferiora, & pars sensitiua distrahit operationem intellectiuam ab ea attentione, quæ debetur Deo. Quæ maculæ, seu defectus videntur ineuitabiles homini, nisi vbi suffragantur specialia subsidia diuinæ gratiæ.

Purificat igitur Deus maculas istas per occultos influxus gratiæ suæ, modò abradendo maculas superinductas à peccatis venialibus, modò remouendo tenebras ab intellectu, aut debilitates à voluntate, modò reuelando, & tollendo delicta occulta, modò præcauendo ab operibus superuacaneis, aut aliis modis, qui sæpe occurrunt in his gestis. Sanctificat autem primò per dictas purificationes, vt sic anima ex minùs sancta fiat sanctior. Secundò superaddendo maiores effectus gratiæ, lucisque suæ, & magis corroborando animam in bono. Tertiò deputando illam tanquam rem sacram cultui suo, prout in figuram spiritualis sanctificationis olim sanctificabatur tabernaculum, & vasa illius. Vnde est, quod creberrima reperiatur in his scriptis sanctificatio, & dedicatio cordis in templum Dei, adhibito thure, seruatisque aliis quibusdam ritibus sacris, vt in eo iugiter offerantur sacrificia laudis, atque amoris diuini. Sufficiat testimonium epistolæ diei sextæ Decembris 1629.

„ Occupauit me inexpectata quædam animæ meæ consecra-
„ tio, qua illam Deus in rem suam, quibusdam ritibus sacra-
„ uit, mandans Filio inungere cor meum oleo Spiritus sancti.
„ Quod ipse arte sibi soli nota præstitit in synaxi, &c.

De inſcriptione nominum, & legis diuinæ in corde, deque eorum interpretationibus.

PVNCTVM XIX.

PEculiare priuilegium eſt ſeruæ Dei Annæ Margaritæ Clementis, geſtaſſe in corde ſculptum digito ſponſi nomen, cognomenque ipſius: nempe IESVS NAZARENVS tanquam ſigillum, ſyngraphumque regium, quo inter alia ſignificaretur, ipſiſſimum cor non vltra ad ſponſam ſpectare, ſed ad ſponſum, Regem, ac Dominum. Prærogatiua viciſſim ſingulari vidit, legitque ſponſa nomen ſuum deſcriptum in corde ſponſi, tanquam beneuolentiæ certiſſimum teſtimonium. Si primum reſpicias, actum iudicabis, quod promittitur 3. *Apoc.* *Qui vicerit, ſcribam in eo nomen Dei mei, & nomen meum nouum*: cenſebiturque cor iſtud eſſe vas ſimile illi, de quo *Act.* 9. *Vt portet nomen meum.* Nam propè Apoſtoli conuerſionem factum iſtud mirabile accidit Sed multò magis arbitrabere effectum, quod idem Apoſtolus ſcribit 2. *Cor.* 1. *Vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Si ſecundum, an non dici de ea poteſt, quod Chriſtus *Luc.* 10. Apoſtolis: *Gaudete quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Vel quod Paulus *ad Philip.* 4. *Quorum nomina ſunt in libro vitæ*; ideſt, in corde Chriſti, qui eſt liber vitæ. De his, neque de litterarum interpretationibus longiorem non traho ſermonem. Euolue quæ exarata ſunt ab anno 1631. vſque ad periodum anni 1660. & miraberis acta noua, ſingularia, nunquam aliàs vel facta, vel ſcripta. Eodem pacto obſtupeſces de noua inſcriptione legis amoris in ipſomet corde ſponſæ, iuxta pollicitationem Ierem. *cap.* 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Sed operæ pretium eſt audire verba ſponſi ſub menſe Nouembris anni 1630. qui cùm multa diſſeruiſſet de nobilitate, de æquitate, & de excellentia legis ſuæ, venit ad eiuſdem ſcriptionem in corde ſponſæ, manuque tenens cor-
„ culum ipſius; Hæc erit, inquit, mihi tabula viuens, in cu-

„ ius viſceribus legem meam digito meo deſcribam Lex eſt „ non atrox, non grauis, &c. Vis dicam ? Lex amoris eſt, lex „ gratiæ, lex,& ſimul lux,&c. Mirabile eſt, impreſſam fuiſſe, „ loquente ſponſo, in corde ſponſæ, & ad viuum perceptam „ legem amoris, de qua, &c.

Si cupis noſſe de hac elementaria explanatione litterarum, & quàm fuerit à viris doctis, potiſſimùm à Hieronymo, & Auguſtino probata, lege Sixtum Senenſem *lib.* 3. *Biblioth.* præcipuè dum quæritur etymologia nominis Adam. *Putant enim*, ait, *primum hominem ſic appellatum, quia terra illa ex qua factus eſt, à Deo ſumpta ſit ex quatuor mundi cardinibus, qui quatuor litteris eiuſdem nominis comprehenduntur.*

De aliis quibuſdam ſacris operationibus circa cor.

PVNCTVM. XX.

SVperſunt nonnullæ operationes ſponſi circa cor, vel in corde ſponſæ, quarum ſignificatio, quoniam propriis in locis vel enodata eſt, vel facilè concipitur, iis examinandis non inſiſtam. Tales ſunt, ſeſſio in corde, deambulatio, inunctio, dormitatio, immiſſio ſagittarum, irrigatio, & aliæ. Nam ſeſſio innuit quandam poſſeſſionem, & prædominationem, & quietem ſuper corde ſponſæ. De hac in epiſtola diei 21. Oc„ tobris 1630. Sponſus, magiſterque ſedens in area cordis „ mei, ipſum inſignire voluit charactere filiorum Dei, quem „ nuncupabat *Humilitas*. Deambulatio, exerciti cum voluptate imperij ſignum fuit. Vnctio ſignat immiſſam ſpiritus dulcedinem, manſuetudinem, ſapientiam, quas ſecundum Apoſtolum docet nos Deus. Dormitio notat quietem, & complacentiam, vbi nil ei reſiſtit. Irrigatio affluentiam dulcedinis, & diuinæ gratiæ, qua, vt aiebat Auguſtin. *lib. de agone chriſtiano, cap.* 9. irrigamur ſicut lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, & dat fructum in tempore ſuo. Miſſio ſagittarum nihil aliud dicit, quàm acutam, repentinam, & fortem inuaſionem diuini ſpiritus ad cor, qua velut vulneratum cadit propè ad interitum. Etenim verum eſt quod canebat *Pſ.* 7. *Sagittas ſuas ardentibus effecit.*

At

At minimè reticendæ ſunt duæ maximè inſignes operationes, videlicet impreſſio ſacri vultus in corde ſub anno 1651. & impreſſio quinque plagarum in eodem ſub anno 1653. De prima ſic ſcriptum offendes.

„ Percurrebam crudelia facta Dominicæ Paſſionis, ſteteram-
„ que intuens hinc Saluatorem gemiſcentem ſub pondere
„ crucis, illinc verò pietatem bonæ fœminæ Veronicæ, quæ
„ proſiliens mediam inter turbam, vt lino extergeret cruorem
„ manantem de toto vultu Saluatoris, vnà cum cruore vene-
„ randam effigiem diuini vultus, non manu, aut arte huma-
„ na fictam, ſed miro modo expreſſam in candido lino expor-
„ tauit. Hìc ego admirans cæleſte prodigium, gratulabar piæ
„ fœminæ de accepta gratia. At gratulanti occurrit ſponſus,
„ dixitque; Æquanimis eſto: quod ſuperioribus temporibus
„ feci, faciam & iſtis; hac gratia potieris cùm in ſynaxi ad
„ tuos caſtos amplexus venero. Para velum de corde tuo, &
„ venienti mihi quaſi altera Veronica, tu quoque venias ob-
„ uia. Properaui ego cor, & animam qua potui maiori humi-
„ litate, ac reuerentia apparare, aduenienſque ſponſus rectà
„ cor petiit, & cordi ſuperextendens faciem ſuam plagoſam,
„ & ſanguinolentam, illic ſimulachrum vultus ſui impreſſit
„ veluti ſigillum in cera, ſicque ſignatum eſt ſuper me lumen
„ vultus tui Domine. Inde accepi plurimùm voluptatis, ſed
„ non minorem voluptate dolorem, propter grauem violen-
„ tiam imprimentis, onuſque impreſſionis. Per dies multos vi-
„ uax illa ſpecies figuræ inflictæ cordi præſens apparebat
„ oculis meis, vnde etiamnum vberes fructus percipio; nam
„ & in me gero monumentum æternum ſponſi patientis, & eius
„ paſſioni magis afficior, & imaginem Dei mei fœdare magis
„ erubeſco.

„ De altera in epiſtola diei 6. Nouembris 1653. Effectus ſo-
„ litudinis meæ quintuplici ſpecie amoris comprehenduntur,
„ quibus caſtiſſimus ſponſus ſolet caſtas ſponſas ſuas dotare, vt
„ habeat aliqua parte ſimiles ſibi, eo propè ritu, quo Sanctos
„ Franciſcum, & Catharinam Senenſem quinque ſtygmati-
„ bus, ſeu ſignis ſui amoris decorauit. Repente collectis vnà
„ mecum facultatibus meis, magna vi in Deum pertracta ſum,
„ ingentique luce conſperſa; ſuccenſas quoque ſenſi faces ig-

Digitized by Google

„ nitas circa cor meum, quod intolerando incendio deflagrans,
„ alium ſibi locum è pectore meo ſaltitando quæritabat, eo
„ quod transfoſſum quinque partitis plagis per quinque ſagit-
„ tas flammeas in eo dolore eſſet, qui ſolet animas corporibus
„ eripere. Audiebam autem ſubmiſſam in me vocem dicen-
„ tis: Seruos meos chariſſimos quinque ſtygmatibus obſignaui;
„ in corde verò tuo inſignia quintuplicis amoris imprimam,
„ eruntque plagæ iſtæ in corde tuo reconditæ, tanquam quin-
„ quæ gemmæ, quibus animam, natura tuam, ditione autem,
„ & amore meam, volo ditare, vt quinque plagas, quas pro
„ te tuli, memoria, & affectu magis, ac magis honorifices.
„ Aperiamus iam, & diſtinguamus (nam id te velle arbitror)
„ huius quinque partiti amoris rationes, & dignitates. Pri-
„ mus eſt amor patiens, cuncta placidè, & ſine querimonia,
„ aut repugnantia ferens. Secundus, amor longanimis, ſuaui-
„ ter ſuſtinens expectationem ſupremi boni, interim tran-
„ quillè ferens longinquitatem ſuæ peregrinationis, proximi-
„ que faſtidia, atque infirmitates. Tertius, amor rectus, purus,
„ nudus omni re, qui non quærit quæ ſua ſunt, ſui potiùs pla-
„ nè oblitus. Quartus, amor fortis, & conſtans, doctus animo-
„ sè perferre cuncta aduerſa propter Deum, cuius placita in
„ primis, & in omni euentu vult adimpleri. Quintus eſt amor
„ perſeuerans, nunquam certare defeſſus, nunquam amaſſe
„ ſatur: amat derelictus, amat mediis in fluctibus ærumna-
„ rum; in ariditate, inter nauſeas, & ſi quid aliud eſt, quo vis
„ amoris poſſit infringi, infractus amat. Nullo tempore, nul-
„ lo loco ceſſat amare, amandi deſiderio perenniter laborans,
„ & dicens cum Auguſtino: *Amo, amo; amabo, amabo, donec*
„ *fiam amor ipſe.*

PVNCTVM XXI.

De ſponſalibus, matrimonio, & nuptiis.

PErſpicuum eſt typo matrimonij, oſculorum, amplexuum, & aliis eiuſmodi deſignari varios modos vnitionis animæ cum Deo. Et quidem per matrimonium ſignatur altiſſimus ille gradus,

Digitized by Google

gradus, quo iungitur Deo, non per qualemcumque fidem, & dilectionem; sed per fidem lucidiori lumine ab ipso Deo illuminatam, & per dilectionem feruidissimam, cum stabili quadam permanentia in eadem fide, & dilectione, quantum fert humana imbecillitas. Matrimonium enim addit firmitatem sine diuortio, & fidem contra adulterium. Si tamen matrimonium istud animæ cum Deo in terris celebratum comparetur illi perfectissimo, æternoque matrimonio, quod in patria completur, aliqua parte imperfectum censendum est, propter diuerticula, quæ anima pati cogitur in suo exilio. Quod causæ fuit, cur Beata Theresia potiùs sponsalium, quàm matrimonij nomine sentiat distinguendum; eo quòd in sola patria anima copuletur Deo nexu penitus indissolubili, pleneque reficiatur visione, dilectione, & fruitione Dei benedicti; & ibidem solùm sponsa fiat integrè vnus spiritus cum sponso. Colliges aliquid differentiæ inter sponsalia ex dictis à sponso in sua Circumci-
„ sione anno 1630. Nunc satis est promissa sponsalia firmari
„ nonnullis guttis, nuptiæ tota sanguinis missione firmabuntur.
De sponsalibus dicebat sponsa in epistola diei 22. Decembris,
„ anni 1629. Pater diligit me, Filium suum despondit mihi, &
„ Spiritum amoris obligauit mihi. Deinde in epistola diei 20.
„ Ianuarij 1631. Anima mea hilariter concinit cum sponsa
„ Canticorum: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi; nam
„ probata sunt sponsalia, rata fides est sacri connubij, & cele-
„ bratæ nuptiæ.

Non est quod congeram loca, aut testimonia scripturarum pro asserenda veritate matrimonij, quod contrahitur ab anima fideli, & casta cum Deo suo. Trita sunt sacrorum librorum, & sanctorum Patrum oracula. Lege sacri Cantici carmina, necnon tractatum Beati Laurentij Iustiniani de casto connubio Verbi, & animæ, & sufficit. Dicamus potiùs nonnihil de nuptiis, quæ matrimonium comitantur. Nuptiarum nomine quandoque signatur ipsum matrimonium, seu firmissima coniunctio voluntatum Dei, ac hominis; quandoque matrimonij cæremoniæ, quæ fiunt ad maiorem ipsius solemnitatem, vt apparatus, conuiuia, aliaque lætitiæ signa, quæ seruantur in ducenda vxore; & in vtroque sensu vsurpantur nuptiæ apud sponsam nostram, interdum indicando ipsam traditionem, & cessionem sui, vt Deo

coniun

coniungatur; interdum quandam iucunditatem in ſpiritu, quandamque refectionem diuinæ ſuauitatis ex illa coniunctione. Extat pro vtroque quod ſcribitur in epiſtola diei 20. Ianuarij 1631.

„ In ſynaxi ſponſus ſeruam ſuam duxit ad nuptias, ſeu, vt ve-
„ rius loquar, nuptias apud eam celebrauit; ibique ſi vnquam
„ aliàs, maximè diuina operatus eſt, veneratione, & admiratio-
„ ne magè digna, quàm effatu explicanda. Siquidem coram
„ Patre apertè profitebatur: Ego te in meam ſponſam aſciſco,
„ & annuente Patre, Spiritus fons amoris nodo ſuo ſuauiſſi-
„ mo vtriuſque corda connexuit, fecitque connubium, cui
„ per longa interualla temporis ſucceſſere cæleſtes operatio-
„ nes, raptus, transformationes.

De dote, de veſtimentis, aliiſque ornamentis ſponſalibus.

Punct. XXII.

MAtrimonio annexa venit dos, quæ marito cum vxore datur ad ſuſtinenda onera domeſtica. Sed in propoſito noſtro ſponſa dotem non attulit ſecum, atque adeò merito iure obiiciebat ſponſo ante diem decimam ſextam præfati menſis

„ Ianuarij 1631. Vt quid ego ſponſa tua ſim, pauperrima, indo-
„ tata, cui pro mundo muliebri vitia ſunt, & peccata? Dotem
ergo contulit ſponſus de ſuo, propterea cenſendam non profectitiam, ideſt, quæ à parentibus profecta ſit, ſed aduentitiam, quæ nimirum ſponſæ aliunde aduenit. Quod profectò

„ ſponſus ibidē paucis innuit ſponſæ, reſpondens: Satis diues es,
„ licèt diuitiis alienis. Audi quàm placidè hoc factum deſcriba-
„ tur in epiſtola diei 19. Nouembris 1630. Sponſus confeſtim
„ adfuit, & de corde ad cor loquens hæc verba fecit: Eia age
„ filia, quoniam mihi deſponſata es, & iure meo mea; maie-
„ ſtas, celſitudoque mea nullo pacto fert te indotatam relin-
„ qui. Nolim reputes me quaſi vnum quempiam de grege mor-
„ talium, qui vxores opulentas exquirunt, doteſque pinguio-
„ res. Ego pauperculas, & omnium egentes deligo, dotem il-

lis.

Digitized by Google

„ lis de meo ærario conficio, nec quicquam ab illis exigo,
„ quàm quod à me priùs acceperunt cor docile, rectamque
„ voluntatem. Dotis ergo nomine intelligitur hîc collatio quædam abundantioris gratiæ, donorum, & virtutum, quibus ſponſus ſponſam ſibi caſto, ardentiſſimoque amore ſociatam munerat, illique in vſum concedit. Collige ex additione ad
„ epiſtolam diei 20. Ianuarij: Sponſus ſomnum procul fugauit,
„ reuocata commemoratione nuptiarum, ac dotis; ſed multò
„ magis noua donatione cordis, ſapientiæ, bonitatis, atque
„ theſaurorum ſuorum, quibus iucundè delectabatur animus
„ ſponſæ.

De nobilitate veſtimentorum, & de pretio gemmarum ſibi à ſponſo congeſtarum expreſsè gloriabatur Beata Agnes illis
„ verbis: Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt: annulo
„ ſuo ſubharrauit me, circumdedit me coruſcantibus gemmis,
„ dexteram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretioſis, &c. Quæ omnia figuratè dici, myſticéque eſſe intelligenda, nulli non patet, innuitque Iſaias *cap. 61. ſuæ Prophetiæ*, his verbis: *Exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me, quaſi ſponſam decoratam corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Nos rem totam accipiamus ab ore ſponſæ; dignitatemque veſtimentorum, atque ornamentorum nuptialium, cum ſuis ſignificatis, ſic con-
„ cipiamus. Scribens enim acta ſolitudinis anni 1635. ait: ve-
„ ſtimentorum prius erat album, ſymbolum puritatis, atque
„ innocentiæ, quo anima ante ſacrum connubium Filij Dei
„ à Patre æterno decorari ſolet. Sicuti enim Patri placita eſt
„ venuſtas Filij, ita & nitor ſponſæ de ſanguine Filij. Verſa
„ quoque vice filius ſponſam intinxit ſanguine ſuo, data ope-
„ ra, vt Patri magis placita foret. Ac poſtmodum cooperuit
„ me veſte altera, nempe rubra charitatis: contulitque pro
„ nuptiis omne genus ornamentorum, omnium videlicet vir-
„ tutum ſplendorem. Donauit digitos annulo diuinæ fidei, pe-
„ des ſuperinduit cothurnis, ſeu calceolis, ideſt ſtudio ſanctorum affectuum; circumcinxit lumbos zona caſtimoniæ, humeros redimiuit torque aureo ſacræ obedientiæ. Denudatam
„ cupiditate rerum omnium, ipſo etiam guſtu, ac deſiderio

„ guſtus ſpiritualis, fecit vndique collucere gemmis ditiſſimæ
„ paupertatis. Collo circumdedit monile habens triplicem du-
„ ctum nitidiſſimarum margaritarum, quæ ſunt caſtæ cogita-
„ tiones, ſimplicitas verbi, & eloquij veritas. Auribus affinxit
„ ſpecioſas, ſummique pretij inaures, & cum illis intentiſſimam
„ auſcultationem ad cunctos ſermones ſuos, ſiue ſint ex Scrip-
„ tura ſacra, ſiue per internas allocutiones. Lacertulos cinxit
„ brachialibus intertextis auro, & margaritis, ſuntque opera
„ bona, cum ſimplici intentione obſequendi Deo. Appendit
„ præter hæc capiti frontale gemmatum, quo mens omni tem-
„ pore viuat præſens, atque vnita regi ſuo. Denique alligauit
„ catenula aurea pectorale ſuper cor, cuius aſſiduo motu ſpon-
„ ſa commoneatur curæ, & ſollicitudinis erga proximum: eſt
„ enim iſtiuſmodi pectorale zelus gloriæ Dei, & ſalutis ani-
„ marum. Hæc illa de ornatu ſponſalitio.

De oſculo, & de amplexu.

PVNCTVM XXIII.

EGregiè Bernard. *ſerm.7. in Cantic.* ait non eſſe inuenta æquè dulcia verba, quibus Verbi, animæque dulces ad inuicem exprimantur affectus, quemadmodum ſponſi, & ſponſæ. Quippe quibus omnia communia ſunt, nihil proprium, nihil à ſe diuiſum habentibus. Vna vtriuſque hæreditas, vna domus, vna menſa, vnus thorus, vna caro. Addamus cum Apoſtolo 1. *Corint. ſexto: Deus, & anima vnus ſpiritus.*

Anima igitur ex doctrina Richard. habet cum Deo amplexus, & oſcula non materialia, ſed ſpiritualia. Et quidem Princeps ſponſarum inchoauit cantiones ſuas ab oſculis: *Oſculetur me*, inquiens, *oſculo oris ſui.* De amplexu verò læta cecinit. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Per hos actus externos adumbrans interna animæ commercia cum Creatore ſuo. Oſculum quippe ſignat communicationem diuini ſpiritus à Deo infuſam, qua ſpiritus hominis vniens ſe viciſſim Deo, ſummam quandam ſuauitatem, refectionem, & pacem ſuſcipit.

Digitized by Google

cipit. Cuius rei fundamentum, ac ſimilitudinem tangit D. Thom. *lect.* 3. *ſuper caput* 1 3. 2. *ad Corinth. Per os*, inquit, *quo datur oſculum, homo reſpirat; & ideò, quando homines dant ſibi mutua oſcula, ſignum eſt quod vniunt ſpiritum ſuum ad pacem. In hoc autem diuino oſculo æſtimare debemus duo labia animæ eſſe intellectum, & voluntatem, quibus appropinquamus, & iungimur Deo, eo modo quo Propheta Pſal.* 50. *rogabat aperiri ſibi labia, ideſt intelligentiam, & affectum ad annuntiandas laudes Dei ſui.* Inter varios vſus oſculorum hîc crebriora ſunt oſcula beneuolentiæ à Patre ad filiam; amoris à ſponſo ad dilectam, & pacis poſt remiſſionem offenſarum.

Verùm quid illud eſt, quod referebat ſponſa in Kalendis Decembris anni 1630. immiſſum nempe fuiſſe ſibi in mentem, ſeque coactam repetere ſine interruptione die, ac nocte initium Canticorum, *Oſculetur me oſculo oris ſui:* cùm tamen ſponſus minimè voluerit primus accedere ad dandum oſculum, ſed tantùm poſt datum ſibi à ſponſa. Quid, inquam, illud eſt, niſi quod poſt excitationem, & inuitationem, Deus vult, vt anima ſe moueat, & properet ad eum? Referebat autem ſponſa ex eiuſmodi oſculo manaſſe ſibi tantam cordis iucunditatem, vt etiam portio inferior animæ reficeretur.

Animam verò Deus amplexari dicitur à Richard. quando eam per gratiam ad ſe trahit, ſibique coniungit. Exempla huius complexus vbique obuia fient in hiſtoria: indagemus autem quid illud ſit, quod pluribus locis ſerua Dei memorat de ſtrictione amplexuum tam arcta, vt penè ſuffocaretur. Dubium ſoluit Richard. inquiens: *Deus ſtringit, ac ſtringitur, quatenus voluntatem ſuam priùs animæ cum quadam dulcedine ingerit, & inſinuat, qua charitate excitatur anima; & dum vocanti, & attrahenti iungit ſe, quaſi ſtringentem ſe ſtringit.* In iſtis enim amplexibus prior Deus ſtringit, & ſic verſa vice anima ſtringit, quia dignioris, vel amplioris amoris eſt priùs ſtringere. Sunt autem magis, vel minùs arcti amplexus, ſecundum maiorem, vel minorem vehementiam actuum.

Ad amplexum reducitur tactus, in ſui ſignificatione paulò inferior amplexu. Tangit autem Deus animam, & anima Deum. *Noli me tangere*, aiebat Chriſtus Magdalenæ, *Ioann.* 20.

Digitized by Google

„ Huic verò ſponſæ poſt Paſcha anni 1631. Minùs digna es,
„ quàm vt me vel ſummo digiti tangas, verumtamen ne quid
„ deſit conſolationi tuæ, non ego à te, ſed tu à me attingeris:
quod in ſynaxi eius diei præſtitum eſt. Spiritualiter ergo,
& actiuè tangit animam Deus per internas inſpirationes, per
iuſtificationem, per ſenſum amoris, & alias diuinas immiſ-
ſiones. Paſſiuè autem tangitur anima per quemdam ſuauiſ-
ſimum ſenſum in ſe ortum ab illis diuinis actionibus. Tangitur
autem ab anima Deus per ſenſum ſpiritualem, quando ab ea
inuenitur per cognitionem, & tenetur per brachia amoris.
Dicitur enim tunc anima attingere obiectum ſuum, cùm per
cognitionem habet præſens, dummodo ſit etiam præſens vo-
luntati, quæ illud amplectatur; quandoquidem actus iſte am-
plexandi magis pertineat ad voluntatem, cuius proprium eſt
tenere, & poſſidere, iuxta illud *Cant.* 3. tenui, nec dimittam
illũm, nempe poſt amplexus ſpirituales. Elucidemus rem om-
nem narratione epiſtolæ diei 12. Ianuarij 1631.

„ Sponſus imperabat hoc mane, accipe me, cinge bra-
„ chiis tuis, complectere, adſtringe tibi fortiſſimè, & poſ-
„ ſeſſo fruere; tuus enim, & omni parte tuus ſum. Miſellu-
„ lam me! A rei ſacroſanctæ contactu cohibebat indignitas
„ mea, nec auſa ſum ſummum medij digiti porrigere. Audi
„ amantis inuentum. Appoſuit mihi duo brachia ad tangen-
„ dum digniora, vnum cognomine humilitas, alterum cog-
„ nomine charitas; dixitque: Iam noli timere, apprehende
„ his brachiis, ne erubeſcas. Obediens feci, & propius pe-
„ ctori, cordique meo admoui, & admotum ſtrinxi. Cúmque
„ maieſtas illa amabilis propè hæreret cordi meo, fores ipſe
„ cordis ſui propandit, meque intrò obſerauit, vniendo ſibi
„ perquam intimè, & pluſquam ſenſu ferre poſſem.

De

De igne, melle, balſamo, & refectione corporis in ſynaxi.

PVNCTVM XXIV.

PVlchrè Bonauent. *cap. 76. lib. 2. de profect. Religioſ.* docet eſſe quaſdam ſenſibiles dulcedines, & experientias ſuauitatis, quæ deuotis quandoque infunduntur; nouitiis quidem, vt per eos conſolentur in Domino, & magis alliciantur ad profectum virtutum; prouectioribus autem per quamdam redundantiam dulcedinis interioris. Inuenimus autem hanc ſeruam Dei expertam eſſe præcipuè in ſynaxi hos quatuor ſenſibiles effectus ignis, mellis, balſami, & refectionis corporeæ, de quibus duo quoque verba facere non erit incongruum.

Nil habes frequentius in hac hiſtoriola, quàm ignium incendia, quibus ardores amoris, internæque operationes diuinæ præſentiæ exprimuntur: ſiquidem in epiſtola diei 16. „ Decembris 1629. ſcribebat: Acerrima amoris incendia „ paſſa ſum nocte tota, ſed his ignibus abſumi, aiebat ſponſus, ærugines animæ meæ: ſicque ſponſa poterat dicere cum Propheta *Thren. 1. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* Ego tamen me contraham ad ignem, qui buccellam panis Euchariſtici in ſynaxi comitatus eſt. De quo primùm in „ epiſtola diei 3. Auguſti 1630. Nudiuſtertius amor ille meus „ candentes carbunculos de altari in foculum meum ſecum „ intulerat, iuſſeratque perpetuò ardere. Tunc flammæ „ toto triduo erumpentes, tam ſæuè, & animam, & corpus torruere, vt propè vita excedere metuerem. Et in „ Decembri ſequenti: Accedens ſponſa ad menſam Euchariſticam, cum buccella panis hauſit ignem, humida quæque oris abſumentem, factumque os illius velut clibanus accenſo rogo. Solemne autem erat os ipſum videri plenum „ igne, quamdiu ſiſtebat in eo buccella; calorem verò deſ-

„ cendere ab ore, & ad ſtomachum traduci, inflamma-
„ rique cor, & organa tranſitus, dum illa traiiceretur. Ac-
„ cipe quid aſſerat epiſtola diei 16. Ianuarij 1631. Quos
„ ignes? quos flammarum globos non intulit in heſterna,
„ atque in hodierna ſynaxi carbunculus ille de cœlo deſ-
„ cendens? Ignem ſenſi, Pater, perſenſi flammas, &
„ quicquid effecit præſentia, potentiaque ſua, percepi.
„ Seriem facti teneo, ſed idonea explicationi verba, vt velim
„ non teneo.

Mel hieroglyphicum eſt dulcedinis, ac ſapientiæ. Guſtus autem eſt, quo panis ille diuinæ ſapientiæ cordi humano ſapit, fitque refectio gratiſſima potentiis illius, vnde nutritur, ac recreatur. Aliud enim eſt aliquid de Deo ſcire, aliud faucibus intelligentiæ guſtare. Propterea dicitur in Pſalmo: *Beatus populus, qui ſcit iubilationem*: nempe non qui ſcit de iubilatione diſſerere ſcientia tantum doctrinali, ſed qui guſtat ſcientia experimentali, de qua Diuus Bernardus *lib. de amore Dei, capite decimo. Aduenientе guſtu ſapientiæ ſequitur quædam dulcedo ſaporis, quam in interiori ſuo ſentiens anima, modo quodam ſingulari, quæ ſuſcipit, diſcernit, ſeque, & omnes ſenſus vegetat, & confirmat.* De hoc melle potiſſima fit mentio in illo conuiuio diei 30. Martij 1631. vbi tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis menſam pro nana inſtruxerant lacte, melle, & vino: ſed de melle prægustato in ſynaxi aliquid innuitur in epiſtola diei 23. Ianuarij, declaraturque in additione ſequenti. Quare, vt verum fatear, ſi huius mellis dulcedinem attendas, verè dici poteſt hæc anima introducta in terram fluentem lac, & mel.

Præter id quod ſuperiùs notatum eſt, & quod legitur de balſamo, vel de fragrantia nominis Ieſu initio anni 1631. accipe de ſuaueolentia roſæ Hierichontinæ, poſt epiſtolam diei ſe-
„ cundæ Aprilis 1631. Cum primùm buccellam ſacratiſſimi
„ panis ore percepiſſet, fauces illius ſpirare balſamum odo-
„ ratiſſimum viſæ ſunt. Obſtupuit de pane ſuaueolentiam;
„ verùm ne dum balſamo intendit, auriculam cordis ſub-
„ traheret magiſtro loquenti, impenſiùs obnixa eſt ſenſus

omnes

Digitized by Google

„ omnes odori obturare, ne plus ſenſui, quàm ſponſo tribue-
„ ret. Nec prætereundum quod memoratur ante eandem epi-
ſtolam, nempe quod quotieſcumque Pater, ac Spiritus ſan-
ctus tempore ſynaxis conuenientes aliquid valde inſigne cum
Filio perpetrant, tunc præter igneum calorem, quem ſponſa
percipit, experitur inſuper os inunctum odorato balſamo, &
exhalans gratiſſimam ſuaueolentiam.

Per odorem autem balſami ſignatur pariter Dei ſapientia,
& ſuauitas, qua mortales ad ſe trahit. Cùm enim Eccleſ. 24.
præmiſiſſet; *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans, odorem
dedi*; poſteà addit: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.*
Vnde Diuus Bernardus *ſermone vigeſimoſecundo in Cantic.* ait:
*Etſi Dominus ſuauis odoris ſit vniuerſis, maximè tamen domeſticis;
& quanto quis familiarius ſibi vitæ merito, & mentis puritate
appropiat, tantò eum arbitror recentiorem aromatum, & vnctio-
nis ſuauioris ſentire fragrantiam.* Potentia autem illa olfactus
ſpiritualis, qua percipitur illa fragantia, vt colligitur ex
Bonauentura *de ſeptem itineribus diſtinction. 6. itineris ſexti*, eſt
quædam in anima facultas ſuſcipiendi notitiam, & gu-
ſtum rerum ſpiritualium, de iiſque diſcernendi; quaſi
iſta notitia cum guſtu ſit aliquid bene redolens ipſi ani-
mo.

Reſtat vt aliquid probetur de reſtauratis viribus, & in-
„ columitate corporis per ipſum vſum ſynaxis. Citò expe-
„ dio. Robur aliquod, animumque adhuc ſuppeditat di-
„ uina clementia, auget verò vltra fidem ſacroſancta Al-
„ taris eſca, vnica afflictæ fortitudo, & vita; ſcribebat ſub
die 29. Octobris 1659. & ſub die 8. Martij eiuſdem anni:
„ Deus optimus maximus pretioſis micis de ſua cæleſti men-
„ ſa cadentibus paruulam, atque famelicam reficit, quod
„ & in corporis refectionem tranſit; inde enim corpus ex-
„ tenuatum experitur aliquid maioris roboris. Sed aper-
tiùs, atque ſublimiùs in narratione ſolitudinis anni 1652.
„ his verbis: Febris continua octo dierum eneruauerat
„ me, & in commune valetudinarium detruſerat; iam-
„ que ſollicita de diſceſſu meo, pro ea, quæ reſtabat vi-
„ tæ portiuncula, prouideri mihi de ſacro Viatico cura-

ui.

„ ui. Vix accepi delatum, & in puncto temporis me to-
„ tam animo, & corpore immutatam perſenſi. Arbitrari
„ mutationem ortam à natura, haud eſt mihi licitum : à
„ vitali cibo Euchariſtico manaſſe profiteor ; nam ſtatim
„ conualui de febri, & ſenſi non ſolùm inſtauratas reli-
„ quias virium mearum, ſed & additum, imò adauctum
„ priſtinum robur corporis, animamque ſuo modo inno-
„ uatam ; velut infans recenter natus, aut aquila abiectis
„ plumis veteribus, nouiſque veſtita, parui oculis meis.
Etiam ex ſuauitate cœleſtium odorum ſe traxiſſe firmitatem virium, & fuiſſe ſuffultam affirmabat de menſe Nouembri 1630. ne inter illas vehementiores commotiones deficeret, iuxta illud Cant. 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

De quibuſdam aliis ſymbolis, & de caſtis blanditiis.

PVNCTVM VTIMVM.

SVperſunt permulta ſacra ſymbola, non tam luce, quàm admiratione digna ; vel enim ſuis locis expoſita ſunt, vel captus ſunt non tam difficilis. In epiſtola diei decimæ Iulij anni 1630. appoſita ſibi dicit duo vbera, id eſt donum geminæ charitatis pro alenda familia ſua ; ſe autem in anno 1654. ſuxiſſe plenis labiis lac incomparandæ dulcedinis ab vberibus diuinæ clementiæ, ab vbere nimirum miſericordiæ, quo Deus reficit reſipiſcentes à vitiis, & ab vbere bonitatis, quo recreat ſponſas. Anno 1631. mentionem facit maſſæ terreæ grauiter comprimentis pectus ſuum, ad demonſtrandam grauitatem peccatorum, iuxta illud Eccleſ. 22. *Facilius eſt ferre maſſam ferri, quàm virum impium.* Eodem anno ſermo eſt de inſufflatione ſponſi, & de elargitione Spiritus ſancti, quod

quod quomodo intelligendum ſit, docet Sanctus Thom. *p.1 quæſt.43.* fieri nempe miſſionem inuiſibilem Spiritus ſancti ſecundum profectum virtutis, & augmentum gratiæ, vt quando, &c. Item de medica vnctione ad curanda vulnera ſponſæ, anno 1653. de vulneribus ſuſceptis, de piſcatione, aliiſque eiuſmodi figuris, ſeu ſimilitudinibus, quas ſilens prætereo.

Cæterùm, ne aliquid leue, aut ſiniſtrum opineris, dum blandimenta legis ſponſi ad ſponſam, & communem, familiaremque conſuetudinem alterius ad alterum; in mentem tibi veniat prouerbium illud toties decantatum à diuina Sapientia; *Delicia meæ eſſe cum filiis hominum, & delectabar ludens coram Deo in orbe terrarum.* Priuatos amoris vſus „ inter Deum, & dilectam experientia ſapit, lingua ta„ cet, aiebat ſponſa in epiſtola ſub die 22. Nouembris anni 1650. Quid enim ſunt ea blandimenta, quàm luſus quidam, & illecebræ caſtæ amantium, quales proſtant in dialogis, & canticis canticorum? Talibus quoque ſymbolis Deus optimus maximus innoteſcere voluit per Iſaiam *cap.vlt.* ſingularem protectionem, ac beneuolentiam ſuam erga Hebræos. *Quomodo ſicut mater*, inquit, *blandiatur, ita ego conſolabor vos. Ad vbera portabimini, vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis, & delicijs affluatis.* Expreſſiùs autem *capit.* 11. *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, &c.* Aliquid ſimile videbis in epiſtola ſponſæ ſub „ die 4. Auguſti anni 1630. Puta, inquit, nutricem pu„ pulæ ſuæ ſtudioſiſſimam, inſpice vt teneræ educat, paſ„ cit lacte, in gremio geſtat, fouet in ſinu, aſſiduè oſcu„ la figit, denique blandulè, & curioſè miniſtrat om„ nia: & dicito huic eſſe perſimilem ſpeciem educatio„ nis, atque inſtitutionis meæ ab eo, cui ſoli incumbit „ vitam, & ea quæ ſunt ad vitam rebus creatis ſubmini„ ſtrare. Miniſtrat autem mihi tam ſtudiosè, & copiosè, „ ac ſi alteram non haberet alumnam. Ne me quis di„ cat falſa deluſi opinione; ſenſus fidem facit præſen„ tis Numinis hæc omnia prouidè agentis. Hæc illa. Porrò audi harum blanditiarum efficacitatem ex eiuſdem

„ epiſtola antecedente : dulcia eloquia, dulciores illece-
„ bræ abſtulerant à me ſenſus, ac rationem, nec vbi loci
„ eſſem potui agnoſcere; tantummodò ſentiebam me Deo,
„ & eius amore ebriam. Quo pacto id fiat ſola Dei mens
„ capit, ſola Dei lingua effert, &c. Cæterùm ſcito hîc non tam deſcribi, & legi vitam, ac geſta bonæ fœminæ, quàm acta, & ideam diuinæ benignitatis.

SERIES

Digitized by Google

SERIES LIBRORVM, ET CAPITVM,

Quibus hæc Idea diuinæ Benignitatis in ſerua ſua Anna Margarita Clemente, abſoluitur.

LIBER PRIMVS.

COmpendiosè continens exteriores conditiones, & geſta vitæ eiuſdem Annæ Margaritæ.

CAP. I. *Parentes, patria, & ortus.* pag. 1
II. *Educatio, genius ad pietatem, & votum caſtitatis.* ibid.
III. *Errores infantiæ.* 3
IV. *Suſtinet votum caſtitatis aduerſum propoſitas nuptias.* 5
V. *Adſcribitur inter Moniales Sanctæ Thereſiæ, ſed reuocatur à patre.* 6
VI. *Inſtitutio Ordinis Viſitationis B. Mariæ, ad quem propendit; & quomodo patrem repugnantem deuicerit.* ibid.
VII. *Progreſſio, & introitus in cœnobium Anneſſienſe.* 7
VIII. *Poſt prima rudimẽta induitur habitu Religionis à Fundatore.* 9
IX. *Quibus potiſſimum tentationibus nouitia vexata fuerit, & victrix.* 10
X. *Profeſſio Religioſa.* 12
XI. *Noua moleſtia ex deſiderio vitæ ſeuerioris.* 15
XII. *Exercitamenta nouitialia.* 16
XIII. *Corollarium, quo concluduntur progreſſus nouitiales Annæ Margaritæ.* 18
XIV. *Eductæ de nouitiatu cæleſtia adiumenta ſuſcipit.* 22
XV. *Deligitur pro fundatione Monaſterij Aurelianenſis.* 25
XVI. *Primitiæ fructus communicationis diuinæ.* 26
XVII. *Progreditur Aurelianum ſociæ fundationis, & quid in tranſitu egerit Pariſiis.* 27
XVIII. *Quomodo ſe geſſerit erga Superiorem duriuſculam.* 29

XIX. *Virtutum excellentia.* 33
XX. *Diuinæ communicationis augmenta.* 35
XXI. *Grauissimam tentationem quibus armis vicerit:* *ibid.*
XXII. *Fundatio cœnobij Montargiensis, cui præficitur Præposita.* 38
XXIII. *Per sacramentum confessionis disponitur ad maiores influxus gratiæ.* 41
XXIV. *Mutatur sedes Monasterij, & quid ibi prodigiosum euenit.* 43
XXV. *Fundatio Monasterij Melodunensis.* 45
XXVI. *Defectio Domini Syllerij, & qua via prouisum sit Monasterio.* 47
XXVII. *Narrantur aliqua diuinæ prouidentiæ subsidia.* 48
XXVIII. *Quomodo se gesserit Exprafecta Monasterij.* 50
XXIX. *Morbi, & mortis præludia.* 51
XXX. *& vltimum. Obitus, & quæ obitum sequuta sunt.* 57

LIBER SECVNDVS.
De diuinis communicationibus.

COmplectitur hic liber varias epistolas ad Fundatricem Ordinis Visitationis B. Mariæ, Præpositas aliquorum Monasteriorum, & præsertim ad Directores missas, quibus acta diuinarum communicationum, quas experiebatur, patefecit, necnon singulares, & leuiusculas vitæ suæ rationes exposuit, vt ei iniunctum à Superioribus fuit: quorum omnium series, & causa hunc librum secundum euoluenti manifestè patebunt à pagina 60. vsque ad paginam 422. inclusiuè.

LIBER TERTIVS.
De Virtutibus.

CAP. I. *& Præmonitio.* *pag.* 423
II. *De pietate, seu religione.* 425
III. *De charitate ad proximum.* 432
IV. *De mortificatione.* 436
V. *De humilitate.* 440
VI. *De obedientia.* 444
VII. *Conclusio.* 448
Coronidem imponit huic opusculo epistola à serua Dei scripta ad Episcopum Geneuensem Carolum Augustum. 451

IDEÆ.

Digitized by Google

IDEÆ DIVINÆ BENIGNITATIS IN SERVA SVA ANNA MARGARITA CLEMENTE,

SANCTIMONIALI ORDINIS Visitationis Beatæ Mariæ;

LIBER PRIMVS.

Compendiosè continens exteriores conditiones, & gesta vitæ eiusdem Annæ Margaritæ.

Patria, parentes, & ortus.

CAP. I.

MARGARITA CLEMENS, cui in Cœnobio accessit prænomen Annæ, in Comitatu Burgundiæ, de oppidulo Claironio, honestis, nobilibúsque parentibus Ioanne Clemente, & Margarita Bellin prodiit in hanc lucem anno Domini 1593. die septima Maij, feria sexta, sub meridiem. Ne mireris posthac honestam, benè moratam, religiosámque vitam huius virginis,

quam quasi hereditate sibi traditam accepit à maioribus. Processit quippe de ea familiæ propagine, quæ ab vnico aui sui stipite Holstenij Clementis, dedit Cœnobiis, & Ecclesiarum ministeriis prope sexaginta surculos, partim mares, partim fœminas,quorum piam, rectamque viuendi rationem, vt imitaretur Margarita nostra, à primis annis sedulò operam nauauit.

Holstenius Clemens de vxore sua Petronilla Groël vndecim liberos suscepit, & inter eos natu primum Ioannem, stipendiis militaribus nil minus, quàm diuinis clarum. Iunior enim vexilla Imperialia insecutus, ita se spectandum reddidit, vt rebus fortiter,præclaréque gestis,à Cæsare Augusto intulerit in familiam suam titulos, stemmata, atque priuilegia Nobilium. Vir humanis dotibus, donisque cœlestibus diues; obedientiæ, timori, amori, & cultui Dei assuetus; in ritè, & catholicè erudienda prole valdè studiosus, perquam munificus in pauperes,quorum inopiæ subleuandæ præter viritim distributas eleemosynas,nulli vnquam denegatas, solebat per singulas hebdomadas, statutosque dies cunctis simul conglobatis ante fores suas stipem largam diuidere. Familiam suam Ioannes non arte, nec mercatura, aut litterariis disciplinis, sed domesticis facultatibus, & conductione regalium fodinarum sustentabat; vbi quoniam frequens est vsus carbonum, Margarita auida quotquot posset ridiculis titulis atterere nomen suum, in proprium ludibrium vocitabat se filiam Ioannis Carbonarij. Quatuor vxores habuit Ioannes, inter eas Margaritam Bellin ordine tertiam, de qua tertio quoque loco prognata est Margarita nostra materni nominis hæres.

Margarita Bellin patrem habuit Claudium, nobilem, V. I. D. & N. abauum, Senatorem in Parlamento Burgundiæ: mulier summè Religiosa, probatissimæ virtutis, singulari in Deum fiducia celebris, & in rectè educanda prole intentissima; cui etiam morienti Beata Virgo Maria apparuisse dicitur, cœlestique consolatione recreasse. Quatuor filias marito peperit, quibus cum materno lacte notionem, timoremque Dei instillare plurimùm satagebat. Ex iis duæ cultui Dei in gynecæo Sanctimonialium dicatæ sunt, Gabriela scilicet, & Margarita, aliis commodè nuptui traditis. Margarita puella matrem non nouit, nimirum ex hac luce ereptam ante com-

pletum

pletum biennium infantiæ ſuæ. Bonam tamen appellabat genitricem, eo quod ipſam (quod ſolent eius generis, & conditionis paucæ) propriis vberibus lactauerit. Ab exceſſu matris, ſcribit Margarita noſtra, ſe tanquam orphanam aſſumptam fuiſſe in curam, atque cuſtodiam ſingularem Beatiſſimæ Virginis, & ab ea cuncta maternæ pietatis officia abundè ſuſcepiſſe.

Educatio, genius ad pietatem, & votum caſtitatis.

CAP. II.

SVblata matre, conquiſita eſt, & in domum inducta à Ioanne Patre matura, piaque matrona, quæ adoleſcentulas puellas puerilibus doctrinis inſtitueret, legere, ſcribere, opificia texere, præcipuè autem primordia Chriſtianæ Religionis in illa molli cera imprimeret. Ne verò ab extero conſortio condiſcipularum Margarita imbiberet vitia eius ætatulæ, ad externos ſcholas minimè directa eſt, ſed domi ſub magiſterio præfatæ matronæ omnem bonam inſtitutionem cum ſororibus accepit. Ibi accepta elementa fidei, cum methodo orandi Deum; ibi hauſtæ leges obedientiæ ad genitorem, & reuerentia erga maiores; ibi decor modeſtiæ virginalis, & inchoatus nonnullus ſacramentorum vſus; ibi potiſſimùm ſenſim inſpiratus amor, & filialis quædam obſeruantia erga Beatam Virginem, & edocta recitare, ac deferre eius venerationi Litanias, Coronas Angelicæ Salutationis, aliaſque eius generis preces, magiſtra proteſtante, maximè decere, vt puellæ orphanæ Beatam Virginem aſſiduè colant, & ad eam tanquam ad matrem, ac tutricem confugiant.

Hoc loco duo nobis adnotanda ſunt bonæ indolis præludia, & veluti erumpentium virtutum præcurrentes flores, eximia nempe miſericordia in egenos, & initia diuinæ communicationis. Commiſerationem, & affectum in ſubſidia pauperum, quem neſcio, an appellem naturalem, an hæreditate acceptum

à patre, an verò cœlitus inditum, perſpicuè ſatis probant acta exhibita à primis annis: nam quæ quotidie nutriendis, augendiſque puellarum corpuſculis præſtari ſolebant ientacula, aut antecœnia, Margarita ori ſuo ſubtrahens, defraudanſque eſurientem ſtomachum, in alimenta pauperum ſeruabat. Grandiuſculæ nil erat iucundius, quàm palma ſtipem inopi porrigere, ægrotantes viſitare, miniſtrare, & quantùm ferret ætas, conſolari, nil minùs animæ, quàm corporis ſaluti conſulendo. Aſſiduitate autem precum facilè ſibi ſtrauit acceſſum ad Deum, cui ſe tam ſtudiosè à teneris annis parabat, & viciſſim diuina bonitas per ſuauitates, illecebraſque ſpirituales frequenter ſe illi communicabat, alliciens ad amorem ſuum, & reficiens guſtu ſuæ præſentiæ, vt ſic eam aliquando ad ſublimes Diuinitatis contemplationes proueheret.

Erat illi, vt dictum eſt, germana ſoror Gabriela, ſenior, atque feruentior, ſæculi pompas, & ſtultos hominum ritus iam nauſeata. Hæc iuniorem Margaritam iam decennem trahebat ad crebrò inuiſenda Templa, vel Oratoria Beatæ Virgini nuncupata; ibi breuem pſalmodiam eius honori piè reddere, in Matrem, ac Reginam eligere, ſe, ſuaque omnia in eius fidem, atque tutelam transferre, libros eidem dicatos præ cæteris lubentiùs percurrere, quo fiebat vt plurimùm adaugeretur filiæ in matrem fiducia, & matris ad filiam patrocinium; item vt paulatim pelleretur ab ea amor ſæculi, & ſubintraret amor caſtitatis, cuius deſiderium paſſim in corde puellæ radices agebat altiores, quoties legebat vitas, & acta adoleſcentularum, quæ ſe voto caſtitatis Deo, ac matri eius obſtrinxerunt. Etenim dum vacat attentiùs eiuſmodi lectioni, ardentiſſima deſideria caſtimoniæ in ea ſuccenſa ſunt, & imitandi propoſita earum adoleſcentularum, idemque vitæ genus. Quare anno prope decimoquarto ſuæ adoleſcentiæ, noctu, quieſcentibus cæteris, ſola in domeſtico Oratorio peculiari inſtinctu Dei votum virginitatis emiſit. Quo ex actu maximum additamentum præſentiæ Dei, & affectus ad Beatam Virginem factum fuiſſe affirmabat, collataque ſibi fuiſſe auxilia ſingularia ad fouendam pudicitiam.

Digitized by Google

Errores infantiæ.

CAP. III.

ANtequam ad vlteriora progrediar, reuocanda ſunt in hunc locum delicta primæuæ illius infantiæ, quæ Margarita iam ætate prouectior ſibi exprobrabat, tum verbo, tum ſcripto. Diſcant inde mortales, quæ corruptionum ſemina, quos malorum fomites ſecum ab ortu gerant. Admirentur quàm facilè hæc ſerua Dei errata ſua promulgarit ad propriam verecundiam, & probrum. Multis enim illa verbis, ac deteſtationibus execranda flagitia, vt aiebat, eius ætatis, quæ ſub decennium eſt, obiiciebat, nempe extollentiæ crimen, quo plus cæteris diligi, plus cæteris æſtimari ſatagebat, etiam ſpecie ſimulatæ pietatis, & affectatione tituli bonæ puellæ, nullo modo paſſa citra iracundiam inferri ſibi nomen improbæ. Conquerebatur, ſe promptioris extitiſſe iracundiæ, vt ſolent paſſim pueri: moleſtam quoque ſororibus, irritata aduerſus eas magiſtra. Placuiſſe ſibi præterea ſupra modum iocos pueriles, licentiam viuendi ſibi, rerum nouitates, & deambulationes, licet nunquam non comitantibus ſociis ſapientioribus. Quæ ſanè omnia, & eiuſdem farinæ alia magis indicia ſunt, & germina vitiatæ etiam in puellis naturæ, quàm deprauatæ animæ actus voluntarij. Iſthæc tamen multis lacrymis iam ſenior deplorabat, tanquam deficientia à prima humanæ mentis rectitudine, atque adeò ſupremo Creatori inuiſa; tantus tunc erat amor munditiei cordis, & in tam magnos montes apud eam excreuerant lapilli. Inter cætera deflebat cuiuſdam inſolentis audaciam, qui puellæ ſeptennis corpuſculum manu contingere fuiſſet auſus: quod quantumvis eſſet ſine crimine, crimini tamen ſibi imputabat, inquiens, Deum velle ſponſas omninò intactas.

Sustinet votum castitatis aduersùm propositas nuptias.

CAP. IV.

NOn defuerunt de consanguineis, qui contra datam fidem seruandæ castitatis seruam Dei impellerent ad nuptias, suadentes ampliora esse bona matrimonij, quàm cœlibatus; maiorem videlicet ibi adesse facultatem comparandi vitam æternam eleemosynis, nihil in eo statu obsistere, quin pietati, & christianis operibus vacaret; complures de coniugio ad cœlos migrasse, & eiusdem rationis plura, quæ non paruam molestiam, & nubila quædam castæ adolescentulæ inferebant. Confugiebat illa celeriter ad asylum Patronæ suæ, illa inuocatione; *Monstra te esse matrem:* & ad concipiendum maius robur aduersus irruentes cogitationes, pabulo sese frequenter muniebat Eucharistico, longè fugiens omnem occursum, ac multò magis omnem congressum aduersantium consilio suo, quibus, etiam strenuè propugnans partes suas, obiiciebat pericula, atque naufragia matrimonij, raram pacem coniugatorum, durum vinculum, sola morte disrumpendum, fœminæ captiuam conditionem, & alia per quæ ægrè peruenitur ad portum salutis. Stetit tandem præsidio B. Virginis Deiparæ, salutaribus quoque consiliis optimi cuiusdam Sacerdotis commonentis, ne fumo tædarum nuptialium candorem animæ suæ denigraret: stetit, inquam, suo loco fixa virtus, propositum continentiæ, & iurata Deo fides virginitatis, longiùs expulso iugo connubij.

Adscribitur inter Moniales Sanctæ Theresiæ, sed reuocatur à Patre.

CAP. V.

IGitur, vt hoc se fastidio, ac vexatione extricet, Dolam Caput Burgundiæ, obtenta bona parentis venia, pergit, adit castra Monialium Sanctæ Theresiæ, in quibus iam decem à

mensibus

menſibus germana ſoror Gabriela militabat: iiſdem in caſtris facillimè adſcribitur Margarita, ſed diuina prouidentia factum arbitramur, quod adnumerata quidem caſtris, minimè tamen veſtimentis eius Militiæ fuerit induta, eo quod fatigata incommodis triduani itineris, & in leuem ægritudinem lapſa, apud alteram ſororem in ea vrbe aliquandiu hoſpitari coacta ſit, dilata habitus ſuſceptione, donec ad meliorem valetudinem rediret. At diutius retardata veſtitione, reuocatur à patre, vt parumper apud ſe ſit. Gratanter, & placidè dimittitur à Carmelitis, regreſſuræ ſeruato iure loci promiſſi. Abit illa ſimpliciter, & bona cum ſpe reditus: at ecce vix domum patriam contigit, cùm illam à tergo ſequuta eſt Gabriela ſoror, de Monaſterio propter crebriores in vultum fluxiones emiſſa. Cúmque ex ea emiſſione plurimùm commoueretur Ioannes parens, etiam Margaritæ regreſſum ad Carmelitas denegauit, & inſtantiùs eflagitanti ſublaturum ſe dotem minatus eſt.

Inſtitutio Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ, ad quem propendit, & quomodo Patrem repugnantem deuicerit.

CAP. VI.

ILluxerat paucis ante diebus in hemiſphærio Sabaudiæ benigniſſimum, & feliciſſimæ ſortis ſydus FRANCISCVS SALESIVS, Epiſcopus Geneuenſis, cui, & Superi, & mortales Sanctitatis, atque æternæ Beatitudinis nomen congratulantur. Hic cœleſti lumine colluſtratus mitius vitæ genus, & vt ita dicam, viam lacteam aperuerat fœminis tendentibus ad ſuprema ſanctitatis, ſiue virgines, ſiue viduæ forent, & conſtitutione corporis tam validiores, quàm imbecilliores, aſſumpta ſibi in huius operis adiutricem nobili matrona Ioanna Franciſca Fremiot, ex eodem Ducatu Burgundiæ, de mortui mariti agnomine de Chantail dicta, quam muliebri huic cohorti ducem præfixerat; & Anneſſij (quæ eſt Epiſcopo Geneuenſi ſubſtituta ſtatio in Sabaudia)

dia) nouum gynecæum ſub Viſitationis Beatæ Mariæ titulo nuncupatum, quaſi ſurgentem Monialium cohortem, ſub ſtatutis ab ſe legibus erexerat. Illuc conuolabant tanti Ducis ſplendoribus allectæ turmæ piarum Amazonum; florebat etenim in gynecæo accuratiſſima vitæ regularis diſciplina, ſtudium orationis, leges charitatis, paupertatis amor, nitor caſtimoniæ, rigor obedientiæ, & vt vno verbo multa, florebat in eo flos omnium virtutum, quæ non ſolùm natiuam tellurem illuſtrabant, ſed ſuauiſſimos ſanctitatis odores circumquaque expirando, etiam de longinquis plagis alumnas pertrahebant.

Afflante itaque Deo recens hæc ſanctitatis ſuaueolentia in Burgundiam vſque, ad ſorores, & virgines Gabrielam, & Margaritam peruenit, quæ illicò in eam Sanctimonialium Congregationem, quantumvis procul diſſitam, venire aſpirant. Præter celebrem loci famam, ſparſumque rumorem eminentis pietatis, Margaritam eò traxit grata, frequénſque lectio aurei libelli, cui titulus eſt *Philothea*, à Saleſio compoſiti ad manuducendos lectores in ipſa atria vitæ religioſæ. Inſtimulauit verò vtramque præſagium cuiuſdam piæ, & ſancti nominis Monialis de Monte Carmelo, quæ cùm cerneret Gabrielam abeuntem è Monaſterio Dolenſi, dixerat: *Vade, ab Omnipotenti Deo inter alumnas Franciſci Saleſij deſtinata, & Ordini Viſitationis deſponſata, in eum collatura maxima momenta virtutum.* Quod cùm per ſeipſam, tum multò magis per Margaritam ſororem præſtitum eſt. Profectioni tamen ad gynecæum Anneſſienſe moram aliquam interponere coegerunt bella tunc inſurgentia aduerſus Sabaudos.

Sublatis deinde armorum impedimentis, de profectione in Sabaudiam fit ſermo apud Ioannem patrem, qui de graui, ac prope decrepita ætate ſollicitus, quamuis Gabrielæ facilem progreſſionem indulſerit, tamen Margaritam à cœptis remorari conatur; erat enim ſibi maximis in deliciis, lepida, ac frugi filiola. Ioannes igitur amanter, æquè ac dolenter votis filiæ obiiciebat: *Eſto abeat Gabriela maior natu, an tu quoque vnicum ſolamen ſenectutis meæ, an tu quoque grandæuum, valetudinarium, & cadentem patrem deſeres? Ne quæſo ſolatio ſubducas te meo, ſiſte parumper gradum, expecta, mora parua eſt, paulò ſum octuagenario minor, ne me*

fugiens

Digitized by Google

fugiens in vitæ periodo derelinquas. Non abibant ſine pondere verba, nec ſine acri animi ſenſu excipiebantur. Aculeum pungentiſſimum addebat parentis auctoritas, teneritudo verò filiæ acerbum vulnus concipiebat ; attamen filiali cum reuerentia, ac demiſſione parenti reſpondit : *Soſpitet te mihi Deus longo tempore, pater optime ; te viuo connumerari ſperabam inter ancillas Chriſti in Cœnobio Anneſſienſi, ſub ſanctiſſimi Præſulis Magiſterio ; te excedente excidit mihi, ac perit ſpes omnis. Noſti numeroſam turbam ſororum mearum, noſti animum generorum tuorum : actum eſt de dote, quam deſpondiſti, ni manu tua perſolueris. Ne quæſo eunti offendiculum ponas in via. Genita quidem tua ſum, non te poſthabito ad alium quempiam mortalium propero, ſed ad tuum, meumque Genitorem. Obſecro te, ne inchoati operis fila reſcindas. Ne quid verò deſit famulatui, conſolationique tuæ, altera domi ſupereſt ſoror, ſupereſt quoque neptis in miniſterium tibi, ambæ in hac arte longè me peritiores.* His, aliiſque rationibus, atque obſecrationibus deuicta patris indulgentia manus dedit, & paterna poſt oſcula, amplexus, & benedictiones, filiam vt ad præmeditata loca tenderet, non ſine lacrymis dimiſit. Vt vim patriæ authoritatis, atque potentes naturæ impetus ſuſtineret Margarita, vt domum paternam aliena commutaret, vt procul à ſuis, & ab auita regione ſecederet, peculiari ope Dei opus fuit, necnon præſenti Beatæ Virginis auxilio, quo pectus virgunculæ præmuniretur robore, ac ſapientia, ſupra vires fœmineas.

Progreſſio, & introitus in Cœnobium Anneſſienſe.

CAP. VII.

HIc expeditur rheda, hic aſſumuntur ex familia periti conductores, & comites, quibus addunt ſe ſocias duæ fœminæ, Anneſſium eadem mente, & obeundæ Religionis intuitu petentes ; ſicque vnà omnes dato libello repudij rebus domeſticis, ſeſe prolixæ dant viæ feria ſecunda Pentecoſtes. Fit iter per anguſta, & aſpera loca montium, per ſaxa, & prærupta Alpium, per plena periculis deuia ad vſque ſextum diem. Ibat animo lætiſſimo Margarita immolatura ſe Deo, & de infeſta cognatione in terram promiſſionis tranſvehenda. Verùm illam

animi generoſitatem non ſibi à natura emanaſſe affirmabat, ſed ſupernè ſuppeditatam precibus Genitricis Dei, cuius inſuper patrocinio ſeruatam ſe dicebat ab euidentiſſimo caſu præſentis præcipitij, ſicut & alias ſæpiuſculè ab aliis periculis, inuocato nomine Mariæ; ſignatè autem à lethali ſubmerſione in tranſitu fluminis,& item à morte ipſa, quum rheda ſubuerſa, & prolapſa fuiſſet in altiſſimam foueam. Tandem quotquot erant, incolumes Anneſſium pertingunt pridie Feſti Sanctiſſimæ Trinitatis, menſe Maio anni 1617.

Mane poſtero reuerenter à ſingulis ſalutatur Author, & Parens Ordinis Franciſcus, à quo benignè, & gratiosè exceptæ tyrunculæ, mox in Monaſterium manuducuntur, traduntur que educandæ Matri de Chantail Fundatrici, quæ apertis pariter brachiis, materniſque viſceribus diſcipulas humaniſſimè ſuſcepit. Commune omnium gaudium, & lætitiam auxit, quòd ad Seminarium, & Matricem Ordinis conuenerint, quòd ad aures Sancti Patris, atque Inſtitutoris præteritas culpas exonerarint, quòd ab eodem Euchariſticum, cæleſtiaque documenta acceperint, quòd denique quo die prima eius Ordinis fundamenta iacta ſunt, eodem poſtea recurrente in Monaſterium pedem intulerint; qui propterea dies ante alios ſolemnis ſemper fuit apud Margaritam in huius beneficij memoriam, pro quo etiam ab ea decantatus fuit Pſalmus 121. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Poſt prima rudimenta induitur habitu Religionis à Fundatore.

CAP. VIII.

NE leue, & immaturum fiat iudicium de futura fruge adeuntium Monaſteria Viſitationis Beatæ Mariæ, iuſta, prudentique lege ſancitum eſt,præmitti ante habitus ſuſceptionem trimeſtre periculum, quo tyrunculæ prima ſubeant Ordinis exercitamenta, pateatque trium menſium experientiâ, num inter ſe aptè coagmententur tyrones palæſtræ, & palæſtra tyronibus. Vt autem ad perfectiorem regularis vitæ eruditionem proficeret,

Digitized by Google

ficeret Margarita, ſingulari Dei beneficio cecidit, vt nacta fuerit ab ingreſſu tres illas Aſceterij Principes, Ioannam Fremiot, dictam de Chantail, Iacobillam Favre, & Ioannam Caroleam de Breſchart, quibuſcum domi prognata creuit noui eius Inſtituti ratio, quæque fuerunt firmiſſimæ baſes eius familiolæ, vnde propagata eſt tota Congregatio Sanctimonialium Viſitationis. Extabant præterea in eodem cœtu aliæ præclaræ Virgines, necnon Religioſiſſimæ Matronæ, quæ vt ſurculi exciſi ab illis radicibus, & enutriti eadem ſpiritus alimonia à Fundatore, eandem Congregationem per campos Eccleſiæ Catholicæ mirificè propagarunt, & exemplis, ac piis documentis validiſſimè ſuſtentarunt. Emicabat inter illas Petronilla Maria de Caſtello, magnarum virtutum fœmina, mente à Deo vix vllo tempore ſeiuncta, verè mater, nutrix, & erudiendis puellis erudita magiſtra. Huius pædagogiæ committitur Margarita, præludiis, ſeu primis rudimentis vitæ cœnobiticæ imbuenda. Magiſtra nihil eorum, quæ errantem naturam emendare poſſent, omiſit, nihil eorum, quæ recentem à ſæculo, & ſæculari habitu adhuc humilem, ad ſcientiam, amoremque cæleſtium, necnon ad omnem praxim virtutum proueherent. Blandè hortatur, inſtat acriter, tundit, reſecat, vrit provt opus eſt, inuigilans ne qua parte innata vitiorum germina in actus pullularent; ſed potiùs vt diſcipula ſuperatis impedimentis ad altiores gradus perfectionis in dies efferretur, quo tandem bene exculta, & perpolita, communibus induuiis Monaſterij dignior procedat, & accepta ſtola Ordinis in ſocietatem nouitiarum veniat glorioſior; tres enim adoleſcentularum gradus erant in eo Conuentu diſtincti. Primus earum, quæ ſub priſtino ſæculi habitu trium menſium ſpatio primum ſpecimen dant probatæ conuerſionis. Alter earum, quæ mutatis iam exuuiis, conſtantis animi, & ſolidioris virtutis annum in diſciplinatu percurrunt. Tertius earum, quæ licèt perpetuæ permanſionis in Cœnobio ſponſionem dederint, tamen ad confirmandas, atque alendas virtutes adhuc biennio in nouitiali tyrocinio, ac demiſſione continentur. Igitur elapſis tribus menſibus, exhibito egregio experimento humilitatis, obedientiæ, candoris, diligentiæ, & aliarum virtutum, repetita quoque ad auriculas ſui Præſulis, ac Patris ſerie offenſarum anteactæ vitæ, ab eodem optatis veſtibus Ordinis, ma-

Digitized by Google

xima cum animi exultatione honeſtatur die quinta Auguſti, Beatæ Mariæ ad Niues, anni prædicti 1617. & addito ſibi prænomine Annæ, choro nouitiarum adſcribitur.

Quibus potißimùm tentationibus nouitia vexata fuerit, & victrix.

CAP. IX.

IN tanta animi tranquillitate, paceque placidiſſima bellum crudele à triplicato hoſte commotum eſt, vt verum appareat, quod monebat Sapiens *Eccleſ. 2. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

Acceſſit primo loco triſtis memoria deſtituti parentis, cuius dum rememorat beneuolentiam, blandoſque ſermones, locum facilè dedit innatis naturæ motibus, & fallaciis dæmonis. Nondum enim erat aſſueta laqueos ſatanæ diſtinguere, ſed nec ſapienter diſrumpere. Redarguebat verſipellis ille tyrunculam; Siccine parentem honoras? Siccine obſequeris? Sic patris dilectioni, ac beneficiis reſpondes ingrata filia? Vide quid feceris deſertrix domus paternæ! Patrem neglexiſti, patrem abieciſti. Quid non tantillum expectaſti? Senex erat, & alba canitie, æger, capulo propinquus, imò altero iam pede in tumulo, interim miniſterio, & opitulatione tua indigens. An non vides fuga tua præpropera annos vitæ illius fuiſſe correptos? Breuiorès tantùm inducias genitor à genita poſtulabat, breues inducias genitori genita crudeliter denegaſti. Quàm durum eſt parenti iſthæc à prole ſua tolerare! At ſenis ſeruitio ſororem cum nepte reliquiſti. Non eſt, crede mihi, non eſt æquè patri placida ſoror, neque neptis, ac tu ipſa. His, & conſimilibus dicteriis dies, noctesque mœſtam inimicus diuexabat, & tantoperè prævaluerant exprobrationes, vt ſine ſomno noctes integras tranſigeret, oculis in continuas lacrymas ſolutis. At vbi primum dæmonis ſuſurrationes, animique ſui anguſtias directrici propalauit, infenſus ille turbo in auras euanuit, magiſtra futiles aſtus ſatanæ exſufflante. Quare reſtituta ſibi mentis ſerenitate, generoſior ad conflictus ſubſequentes proſiliuit.

Profligato

Profligato priori antagoniſta, ſucceſſit alter, eo pernicioſior, quò magis inteſtinus, & caſtimoniam impetens. Illudebat reminiſcentiæ frequens, licet non vocata, ſpecies eius adoleſcentis, qui olim connubium Margaritæ expetierat, qui cùm eſſet multarum diuitiarum hæres vnicus, amplum patrimonium futuræ vxori deferebat, quo poſſet illa largas eleemoſynas pauperibus erogare. Cúmque incoleret locum populoſum, ac nobilem, ſatis latam aperiebat occaſionem ſponſæ deſeruiendi Omnipotenti Deo. Intereà virgo, quamuis toto conamine obluctaretur eiuſmodi ſpectris, tamen maculatam ſuſpicabatur puritatem furtiuis imaginibus, tremenſque formidabat hoſtem aggredientem. In hoc conflictu ad Beati Patris, ac Fundatoris opem, & conſilium recurſum eſt, qui attenta diſplicentia, fortique reſiſtentia patientis, nihili faciendam cenſuit tentationem minimè acceptam, orationi potiùs, & mortificationi inſtandum, alióque diuertendos cogitatus, quàm ad ſpeculandas importunas illuſiones inimici. Rogauit illa ſibi imponi aliquam corporis caſtigationem, Magiſter quaſi per iocum conceſſit flagrorum vſum, ſed quàm longo putas ſpatio? dum ter diceret, *Viuat Ieſus:* innuens ad ambigendas eiuſmodi cogitationum moleſtias, conducibilius eſſe mentem in Deum conuertere, ſermonemque inducere de vita æterna, & de virtutibus, aliiſque rebus alienis ab impura ſuggeſtione diaboli. Hiſce armis proſtratus hoſtis loco ceſſit, mitigatus eſt timor virginis, quieuit inquietum cor, & conceptis viribus nouis, ad reſidua certamina iuit paratior.

Tunc vafer aduerſarius ſentiens deluſas artes, ſpeſque ſuas confractas, prudentia, & conſilio ſapientis Ductoris, ac Magiſtri, in eumdem ipſum arma vertit, illius ſplendidam, ſanctamque famam internis obtrectationibus dilacerando. Profectò, authore Caſſiano *lib. 4. cap. 9. inſtit. Renunc.* quemadmodum nullum eſt iuuenibus præſentius antidotum aduerſus ſatanæ deceptiones, quàm ſi ortas, ac prurientes in corde cogitationes candidè, & confeſtim ſenioribus patefaciant, eorumque examini, & iudicio creduli committant: ita callidus ille malorum ſuaſor, & actor, nulla magis re contendit, quàm vt inexpertos adoleſcentes à ſuis ducibus, & ab eórum fiducia per deformes inſuſurrationes abducat, quo poſteà adhuc ignaros viæ poſt ſe

Digitized by Google

faciliùs ad deuia perducat. Igitur seductor ille cœpit apud discipulam simplicem detrectare de opinata sanctitate Magistri, nitorem virtutis malis suspicionibus labefactare, necnon sanctissimam, atque castissimam consuetudinem Præsulis, ac Præpositæ calumniari. Poteratne virulentus anguis caput altiùs eleuare, deteriusque venenum expirare? Perodiosis cogitationibus exagitata nouitia, incredibiles animi contorsiones patiebatur, nescia quibus armis atroces illas impugnationes propelleret. Expellit assiduè, expulsæ redeunt assiduè; lacrymis labes earum eluit, at renascentibus illicò fœdatur. Exardescebat verò mali acrimonia ex eo, quod pudibunda nemini auderet cogitata sua detegere. Attamen vt tandem vlcus latens detegat, satis audacem fecere aculeus conscientiæ, nouitas, & magnitudo, vt putabat, errati, necnon filialis fiducia ad magistram, cui propterea omnem seriem pugnæ reuelauit. Illa discipulam ad nobiliorem sui triumphum prouocans consuluit, suasitque, ludicrum phantasma ipsi Præpositæ referendum. Quantus hic Atlas superandus? vt faciat, quot præeunt lacrymæ pudoris, natura ruborem, & confusionem perhorrescente? Facit tamen, & Matri opertum vlcus ingenuè denudauit, compellente magno desiderio adipiscendæ victoriæ; magna etenim victoriæ pars est vincendi desiderium. Mater adeuntem comiter excepit, audiit benignè, & de data, aut negata cogitatibus fide inquisiuit. Datam fidem? Datam cogitationibus tam stomachosis fidem? Respondit Anna Margarita, Deus meliora, auertat hoc Deus Opt. Equidem diuexor monstris, quorum tamen maximè auersor aspectum. Ad hæc Mater filiam anxiam solatur multis: nubem quidem fatetur esse atram, sed erraticam, & innoxiam, miniméque metuendam: collaudat assumptam erga se fiduciam, adhortaturque parem arripere erga probatissimum Patrem, ac Præsulem, vt hoc conatu discat luctam omnem superare, & de dæmonis oppugnationibus palmam referre. Heu me! quantus hic sudor! quæ cordis palpitatio! Quid enim tantopere refugit superbia nostra, quàm illatas Patri beneuolo iniurias sponte, & vltrò confiteri adhuc nescienti? Verumtamen hac iterum vice subacta est naturæ reluctatio. Ad aures Patris tota series cogitationum patefacta est. Is, vt erat admirabili mansuetudine, atque sapientia præditus, scientissimusque illusionum

luſionum diabolicarum, & internorum motuum hominis, deriſit ſatanæ artes non pertimeſcendas citra aſſenſum, & paucis deterſit omnem animi anxietatem, fugauitque omninò hoſtis ſubdolas machinationes. Tantùm viris religioſis prodeſt occultas dæmonis fraudes Superioribus reuelare; aliter quippe (ait Caſſian.) ſubtiliſſimus diabolus illudere, vel deiicere iuniorem non poterit, niſi cùm eum, ſiue per arrogantiam, ſiue per verecundiam, ad cogitationum ſuarum velamen illexerit. Et hinc fortè deinceps manauit prona illa, & vltronea facilitas huius ſeruæ Dei expromendi ſincerè, ac nitidè Superioribus, Directoribuſque ſuis profundiſſima quæque cogitata, ſenſaque animi ſui, ſiue illa eſſent à Deo, ſiue à malignis ſpiritibus immiſſa, ſiue ex ipſo proprij ingenij fonte ſcaturientia; quod ſanè illi maximæ ſecuritati, & adiumento fuit inter latebras vitæ contemplatricis.

Profeſſio Religioſa.

CAP. X.

IAm ad periodum peruenerat circuitus anni à ſuſcepto habitu, quum ſodalium, atque maiorum conſenſu ad emittenda vota Religionis admittitur, emiſitque die 14. Auguſti anni 1618. in manibus Beatiſſimi Patris, Directoriſq; ſui Franciſci de Sales, adſtante Ioanna Franciſca Fremiot, Præpoſita, & inſtitutionis conſorte. Quantum hîc lætitiæ ſpiritualis, quantum virtutis incrementum ſubſecutum eſt? Dilatantur gaudio præcordia, cor ſaltibus ilia quatit, & pectoris mœnia infringere nititur, vt liberum ad Cœlites abeat; & interim incaleſcit deſiderium ſeruandæ Deo iuratæ ſponſionis ad necem vſque: ardet iam tum amore perfectionis religioſæ, ſtatuit bellum irreconciliabile inferre ſibimet ipſi, ſeueriorem ad id exoptans Magiſtrarum cenſuram. Quod ſanè ipſi ad votum contigit, alteram etenim à prima ductricem habuit aliquantò aſperiorem, quæ quantumvis manſuetudine, ac lenitate polleret, animaduerſione tamen ſeueriori errata plectebat, & rebellem naturam in officio retinebat. Vnde longo patiendi vſu id obtinuit, vt deinceps aſpe-

ra

ra quæque ſibi miteſcerent, adiretque alacrior, quoniam ſtomachum illi vltra non mouebant; idque ſibi maximo adminiculo ad animæ culturam extitiſſe, poſtea teſtatum, atque laudatum reliquit.

Noua moleſtia ex deſiderio vitæ ſeuerioris.

CAP. XI.

PRæmiſſis ſatanæ inſultibus, quos paſſa eſt in exordio ſui tyrocinij, non ineptè connectentur, quos in progreſſu ſuſtinuit, vt ſic nulla vitæ noſtræ pars tuta, & immunis appareat à fraudibus inſidiatoris.

Sapientiſſimus ille Parens, & Auctor Sanctimonialium Viſitationis Beatæ Mariæ, afflatus Spiritu cœleſtis charitatis, vt ſuauiùs proſpiceret communi ſaluti, ſanctitatique adoleſcentularum, quæ ad religioſa caſtra confugiunt, nomen illis, ac vitam daturæ, ita conſultum vitæ genus inſtituit, ac temperatum, vt nemini occluderetur; non ea magnopere quærens exercitamenta, quæ neruoſas in corpore vires, firmamque valetudinem deſiderant (licet inter robuſtos magnifacienda) ſed magis quæ docile, pronum ad pia, generoſum tamen ingenium petunt. *Pateat* (inquit *cap.* 1. *ſuarum conſtitutionum*) *ad noſtra Cœnobia aditus iis etiam, quæ ſiue ſenio, ſeu corporis imbecillitate à rigidioribus Monaſteriis repelluntur: adſit illi dumtaxat mens ſana, & procliuis ad religioſam humilitatem, obedientiam, ſimplicitatem, lenitatem, ac reſignationem.* Docebatque potiſſimùm elaborandum in iis, quibus domantur praui, atque effrænati motus animorum, & quibus mens, qua nihil eſt in homine præſtabilius, purior, ac vegetior ad Deum conſcendit, cœleſtes influxus digniùs receptura. Denique in iis magis inſudandum aiebat, quæ animi, quàm quæ corporis viribus acquiruntur; corpus enim eneruatum impedit permultas animæ functiones, & per humilia repere cogit, quem moles infirma carnis non ſinit ad alta conſurgere. Quare proſcriptis à communi vſu Monaſterij auſterioribus afflictationibus corporum, eas tantùm induci voluit, quas ferre, aut non tam ægrè ſibi aſſumere nulla non poſſet, quam

Digitized by Google

quamquam non ideò corporales auſteritates paruifaceret, quibus permulti in Eccleſia Cœleſtes delicias promeruêre: ſed aliud eſt quod firmis robore, aliud quod infirmis conuenit.

Nouellæ huic bellatrici pugna hæc viſa eſt lenior, ac leuior, & puerile certamen; ſitienſque magis aſperam, & corporis commodis minùs obtemperantem viuendi rationem, rogabat ſeueriùs ſecum agi, ſubtrahique cuncta ſenſuum blandimenta, aëris iniuriis pro temporum varietate exponi, algere inter hiberna frigora, exardere inter æſtiuos feruores, denique dura quæque experiri, & omni dulcedine carere: Hoc aſtu, & hac ſpecie boni decipi docet melliſluus Bernardus tyrunculos in via Domini, quibus deluſor ſatanas ſpondet copioſiores fructus ex ſingulari vitæ ritu; dum intereà demoliuntur vnanimem conuentum, deuaſtant benè compactam ſepem vineæ, & ſuperſtitioſis abſtinentiis ſeſe omnibus, ſibi omnes moleſtos reddunt.

Titillationem hanc vitæ aſperioris parturiebat aſpectus Chriſti patientis, cui iam tum nouitia conformari ſtudebat: eandem fouebat feruor ætatis, & recenter admotæ faces diuini amoris: augebat quoque non parum reminiſcentia prioris conſilij, quo ſe inter Carmelitanas phalanges coniicere iunior ſtatuerat, vbi auſterior viget militia Ordinis, & rigidiora corporis exercitamenta. Sanè iſthæc non tenuis deſideriorum conflictatio pectus nouitiæ in diuerſa diuidebat, ſuadebatque grauiora ſupplicia à magiſtra ſæpiſſimè poſtulare. Illa leges, ſtatutaque Fundatoris opponens, æquam mortificationis rationem à communi ritu ſodalium metiendam eſſe docebat, quam ſubuertere nefas eſſet, ne quid inordinatum in Ordinem inſipienter irrepat. Verumtamen vt ardori ſpiritus, & genio diſcipulæ nonnihil daret, aliquid non tam difficile priuatim & clam indulgebat.

Itaque pro ſua animi tranquillitate conſuetum Patris oraculum adit, cogitata, deſideria, & ſingulorum cauſas expandit. Agnouit ille occultam, doloſamque vulpeculam, quæ ſpe maioris frugis iuueniles, præcipiteſque ardores ſupplantare tentaret. Quàm multis (aiebat Bernard. de hoc dæmonio meridiano) exercitationem corporis non modicam perſuaſit, & pietate fraudauit: nempe dum nimiis laboribus fractos, inualidos reddit cæteris

Digitized by Google

regularibus exercitiis. *Latet anguis in herba*, respondit Oraculum: *fugito, heu nata, procul fugito, ne te feriat. Sat asperas imbellibus fœminulis leges indixi, satis duras pœnas iniunxi, in his immorare, ad vnguem illas seruato cum sodalibus tuis, & tecum satis, superque durè actum esse senties. Ne tibi concessum iri putes, quod poscis, quo minùs in damna sociarum infirmiorum cedat. Cupido hæc inassuetæ mortificationis corporis, non solùm fugienda est inter nos, sed & per nos fuganda. Ex animo suscipe quicquid diuina prouidentia dictim inferet, vtut ibunt tibi res, sequere promptior, siue secundæ obuenerint, siue sinistræ, & quas sufferas asperitates, abundè inuenies.* Ad hæc responsa detruncata est auiditas austerioris vitæ, & cuncti animi motus quiêuere. Tantùm valuit sapientissimi Patris authoritas, tantùm profuit obtemperantis filiæ obedientia. Nihilominus resedit apud eam reliquo vitæ decursu nonnihil antiquæ illius propensionis ad austera, nec vnquam passa est penitus extingui appetentiam earum rerum, quæ aliquid incommodi, ac molesti solent sensibus, & corpori afferre, putà vsus familiaris ciliciorum, repetita flagella, iuges vigiliæ, abstinentia, labores assidui, & si quæ alia sunt sensibus humanis, & gustui repugnantia. Non ea quidem in omnium oculis actitabat, ne domesticas leges, & Cœnobij consuetudines violaret; neque spontaneo ausu, ne per inobedientiam errasse contingeret; sed clam, sed sola, & quantum per Superiorum licentiam fas esset.

Exercitamenta nouitialia.

CAP. XII.

FOrtè exercebantur eadem nouitiali palæstra commilitones sexdecim, de quarum societate permultùm præsidij ad animi constantiam, & ad virtutum comparationem sibi proueniisse tradidit nouitia nostra, actumque est ea vnisona voluntatum consensione, quod ait Sapiens *Prouerb. 18. Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Etenim feruidis earum cohortationibus, efficacissimisque exemplis addi sibi sentiebat ingentes aculeos ad strictam obedientiam, ad iugem orationem, ad charita

Digitized by

charitatem, ad Religioſam humilitatem, cordis ſimplicitatem, carnis caſtigationes, & ad reliquas eiuſdem pretij virtutes, quæ in naſcenti illo parthenio ſplendidè florebant. Erat tamen illi potiſſima conſociatio cum feruentioribus, & magè proiectis in peritia rerum cœleſtium, genij quoque non diſſimilis, quarum exemplo potentiùs irritabatur ad orationem, ad mortificationem, ad ſui, & ſæculi abnegationem. Quod cùm directricibus innotuiſſet, libera facta eſt illis copia mutuò inter ſe agendi de ſtudio, & comparatione perfectionis. Hoc enim habebat commilitium illud, ne qua auderet non approbante magiſtra condiſcipulæ verbum conferre. Quæ pro animorum remiſſione vniuerſim dabatur collocutionis licentia, erat vndequaque virginali modeſtia, tranquillitate incomparabili, vrbanis, placitiſque dictis condîta: ſi qua lepidam, facetamque narratiunculam proferret, mutua, & ſine tumultu fiebat auſcultatio: illic ſermones de Deo tantùm, aut de rebus diuinis, vel etiam interdum aliquod iocorum genus ingenuum, honeſtum, & à pietate minimè alienum, animi reficiendi gratiâ. Erat quæ mediis in concertationibus paſſim, & altiori voce moneret ſorores in mentem reuocare Dei præſentiam; tunc ſilere repentè omnes, nec vlla erat, quæ conceptum, aut inchoatum verbum non ſupprimeret; oriebaturque ex repentino ſilentio non minor mentium collectio, quàm ſi profundiſſimè incumberetur meditationi.

Acuendis ad ardua puellis ſpecioſum vigebat inter eas, & valde proficuum certaminis genus, ſeu religioſa quædam monomachia æmulatione decertantium, non inuidia, vt ſcilicet, quæ ad difficiliora conaretur magis, aut quæ ſtatuto pactionis tempore crebriores cuiuſpiam virtutis actus numeratò edidiſſet, ea palmam referret; vt ſic inſtigante victoriæ cupiditate, quælibet ad acta virtutum properaret ſollicitior, haberetque pro præmio tum virtutis ipſius meritum, tum eiuſdem ex frequenti iteratione confirmationem.

Is erat quotidianus concentus Cœnobij, ea meditantium, aut legentium quies, taciturnitas, & recollectio per ambitum vniuerſæ domus, vt Moniales non rarò hic, illic in ecſtaſin correptæ reperirentur. Ipſe aſpectus incedentium, propter grauitatem, & modeſtiam, oculos, animoſque ſpectantium in inter-

nas conſiderationes contrahebat. Clandeſtina colloquia deteſtabatur locus omnis, nec ſine graui offenſione quæpiam labia aperuiſſet ad colloquendum, non priùs annuente magiſtra. Dediſſe verò aliquod, vel leue ſpecimen repugnantis animi aduerſùm mandata, aut acta Superiorum, grauius piaculo erat, nec ſibi toto triennio ſtationis ſuæ accidiſſe aiebat Anna Margarita, vt viderit vltra trinas eiuſmodi repugnantiæ occaſiones.

Vide quid eadem ſcribat de rigidia Monaſterij diſciplina. *Caſu aliquando obtigit mihi, vt obuium in Monaſterio Patrem, ac Præſidem noſtrum non illicò declinauerim, ſed in progredientem oculos leuiter iecerim. Interdixit me idcircò per ſolidam diem magiſtra conſortio ſororum, & communi ſynaxi. Nihil ibi præteribat impunitum, minutula quæque errata acri cenſura, & animaduerſione plectebantur. Ego quoniam vitioſis habitibus ſcatebam, egebam opportunis, atque aſſiduis caſtigationibus, quæ quidem, volente Deo, nullatenus mihi defuere, Magiſtra, atque ipſa Matre ſeuerè offenſiunculas meas punientibus. Magnas vtique gratias habeo, quòd voluntatibus meis non probis habenas nullo caſu remiſerint: maximas verò, quòd vbi res poſtularet ſalutares admonitiones adhibuerint, virgæque non pepercerint, licèt ego Magiſtrarum ſollicitudines, & loci ſanctitatem parca fruge decorauerim potiùs, quàm cumulauerim.*

Ne taceam quantum ſtudio contemplationis profuerit dictamen magiſtræ, monet me vnici exempli vſus. Angebatur nouitia (vt ſolent, qui ſenſus adhuc gerunt inexpertos cæleſtium theoriarum) vagis, tranſverſiſque cogitationibus, quæ orantis mentem huc, illuc, velut turbatum fluctibus mare, agitabant. Ergo grauis lacrymis coram magiſtra deplorabat inſtabilem ingenij ſui ſortem, rogans præſens remedium aduerſus irruentes turmas cogitationum. Illa vt ſpe diuini auxilij confirmauit diſcipulam, contine, inquit, filia, contine arctiùs oculorum licentiam; maxima mentis, & oculorum connexio eſt: excurrunt illi, excurrit & mens: ſubtrahe aſpectui placita, & ſubtrahes menti aduerſantia; deiice, tegeque lumina tua, & ſupernis luminibus infunderis, audacter ini bellum aduerſus oculorum volubilitatem, & de infideli mente ad fidelem redibis. Imperatum opus aſſumpſit nouitia, petulantiam viſus coërcet, oculos deiectos, velatoſque geſtare aſſueſcit, factumque eſt vt hoc conatu per breuem temporis moram optatæ attentionis fructum caperet, mentis nimirum nitiditatem, & præſtantiſſimum contemplationis donum aſſecuta; euaſitque hac lege admirandæ modeſtia

ſtiæ imago, quæ vix oculis dum viueret, vti videretur, & moriens palpebris ſponte contectos haberet.

Principem tamen locum in hac ſchola, & magiſterij clauum tenebant veluti Gymnaſiarchæ B. Franciſcus Saleſius, cum Præpoſita, & Matre Monaſterij Ioanna Franciſca Fremiot, à quibus præcipua ſanctitatis documenta ſe didiciſſe gloriabatur Anna Margarita. Illi, aiebat, inſtar duorum canalium per aſſiduas contemplationes hauriebant de fonte diuini pectoris, quæ poſteà per familiares collocutiones, aut publicas concionis diſcipulis transfunderent; tantumque in audientibus feruorem concitabant ab eis emiſſæ calidiſſimæ verborum ſcintillæ, quantum ſoleant propriæ, atque prolixæ cuiuſque meditationes. Sed hic præſtabit audiſſe commemorantem huius diſciplinæ methodum, ac frugiferam auditionem.

Gratias (inquit) *immenſas ago Deo meo, eiuſque venerandæ Genitrici, quòd auribus meis verba vitæ excepiſſe licuerit de ore progenitorum noſtrorum. Quid dico de ore? verius dixerim de cordibus charitate, & zelo ſalutis animarum æſtuantibus, & regulas ſanctimoniæ per ora effundentibus. Quoties illi de Deo, aut de eius excellentiis (quod ſolebant aſſiduè) ſermocinabantur, toties pio affectu liqueſcebant mihi præcordia; dicta ipſa cordi hærebant impreſſa, non ſecus ac ſi quis vel digito inſcripſiſſet, vel inſculpſiſſet ferro. Eſtque mirum quod quæ audiendis aliis Concionatoribus, ſomno ſæpiſſimè opprimebar infenſo, perorante bono Præſule noſtro, neque tædio, neque leui ſomnolentia attingerer. Porrò ſiue publicam haberet concionem, ſiue cœtum noſtrum ad cancellos ſpeciatim erudiret, propoſitaſve à nobis quæſtiunculas ſolueret, ego tanta animi, & vultus reuerentia auſcultabam, vt quamuis magnus in oculis meis ſemper fuerit, tamen lumina in eum tollere vererer. Quod ſi quando caſu fecerim, repente oculos comprimere cogebar à graui eius maieſtate, & ſplendore emicantis vultus, cuius mihi radij, nil minus quàm rutilans fulgur, oculos, pectoriſque intima feriebant. Adhuc circumtonat auribus meis verbum illud, quod aliquando inſonuiſſe mihi viſum fuit: Ecce quem audis, de choro Sanctorum eſt; indignaeris, quæ in eum oculi aciem feras. Addam, & rem veriſſimam addam, radios ſolares viſos interdum mihi circumfulgere labiis eius, dum diceret. Quamobrem quid amplius mirarer neſciebam, an dicentis ſuaueloquentiam, an vultus ſplendores. Quæcumque verò tradebat vitæ religioſæ monumenta, velut à Deo tradita auidè ſuſcipiebam: nam peculiari, atque cæleſti auſpicio accepi ferè vniuerſas eiuſdem*

conciones, familiaresque dissertationes ad Monialium institutionem; reatus conscientiæ meæ frequens auribus illius aperui, receſſique manu, & iudicio ipsius absoluta. Sæpe eundem de omni rectè viuendi ratione consului; sæpè mala mea contuli, & inde arma, animique robur non modicum retuli ad omnem virtutis exercitationem. Cohortabatur autem in primis, instimulabatque animos nostros ad timorem, & amorem Dei, ad sanctam simplicitatem, ad mortificationem, ad humilitatem, & fidelem, absolutamque regularum obseruationem. Dulcia illa, sed summæ efficacitatis hortamenta prædicantis, etiam lapidea corda confregissent. Indè ego ducebam quotidiana themata meditationum mearum, & copiosa semina piarum cogitationum.

Nullo tempore fatigauit me lectio librorum, quos commodo Reipublicæ Christianæ dedit, nec vnquam ab eorum lectione nauseata recessi. Hoc erat quotidianum, atque vnicum meæ contemplationis pabulum, cui cùm alia comparassem, insipida parebant. Ita quoque placidè, & lætanter eius dictis, scriptisve vnà mecum perfruebantur condiscipulæ meæ, vt inter familiares collocutiones illorum memoria, & repetitione mirificè oblectaremur omnes, fieretque ex ea recordatione in singulis eximium feruoris incitamentum. Hæc illa.

Corollarium, quo concluduntur progressus nouitiales Annæ Margaritæ.

CAP. XIII.

DE hoc nouali, pinguissimoque campo, non potuit non exoriri læta, opulentáque seges bonarum virtutum, accedente in primis manu, & opera cultorum ita peritorum. Nam si spectes initia bona naturæ, & nascenti data dona Dei, procul dubio inuenies extitisse ferendis opulenter frugibus accommodatissimam tellurem. Virguncula erat indolis optimæ, ingenij splendidi, mentis rectæ, & amantis quæ recta sunt, studiosa boni, affectu mitis, ad pietatem flexibilis, ad obedientiam facilis, propendens ad actionem, sano, firmoque corpore, quod rebus asperis non tam facile læderêretur, neque atteretur laboribus. Si perpendas excolentium labores, dices, tellurem fuisse natura perbonam, cultura meliorem.

Adhuc

Adhuc iuuenculam honeſta, & ſcita moderatrix ad timorem Dei efformauit, præuenitque ſanis, & huic ætatulæ opportunis documentis; purgauit à ſæculi ſentibus, docuit comprimere erumpentes ſurculos vitiorum, nihil in ea relinquens indomitum, nihil indiſciplinatum; aluit ad pietatem, educauit in dilectione, cultuque Dei, ac Beatæ Virginis, necnon in arcta parentum obedientia; amorem caſtitatis, & charitatis zelum inſpirauit, ſemper aliquid agere aſſuefecit. Denique largiter ſemina virtutum molli terræ immiſit, vberes aliquando fructus parituræ.

De hac infima, licèt non ſpernenda ſchola euadentem cupido altioris ſapientiæ fecit altiora quoque gymnaſia perquirere, & neglecta domo, regioneque patria, dare ſe ſemel, ac iterum longiſſimæ, difficillimæque viæ, ignotas adeundo plagas. Traducta in Alpium concaua, in gynecæo famulantium Deo, Duce Sancto Franciſco Saleſio, ſedit auſcultatrix, ſtudia, lucubrationeſque ſuas omnes componendæ in melius vitæ impendens, non ignara, duplex ſtudium tyronibus in hac diſciplina imminêre; alterum in morum correctione, alterum in virtutum comparatione. Equidem ad regularem profectum conduxit quammaximè celebritas loci illius, vbi adhuc calebant prima Ordinis exercitamenta, & quod caput eſt, vbi ſana vigebant, nullis adhuc tepiditatis damnis infecta, aut prauis exemplis labefactata.

Auxilio inſuper non mediocri fuit ad regularem obſeruantiam ſanctum ſodalitium adoleſcentularum ibidem militantium. Quàm grata eſt ſodalitas, & quàm frugi neceſſitudo, quæ homines ad bona ligat, ne inter ſe diſſentiant à bona morum conſuetudine, quos nec diuidit vitæ diſtantia, nec diſtinguit legum diſſimilitudo; ſed omnes inter ſe pares, eiuſdem conſilij, animique participes, concordi paſſu ad propoſitum Dei famulatum contendunt.

Adducunt autem nos in fidem maiorem frugis maioris, ſedulitas, peritia, & dexteritas magiſtrarum, in quas inciderat, quarum cogitationes, & curæ omnes eò vergebant, vt quas à pio Fundatore ſuxerant primitias ſpiritus, in aduenientium puellarum animos transfunderent. Verè anteſignanæ, non verbo ſolùm, & doctrina, ſed greſſu, & exemplo præeuntes; doctæ no-

Digitized by Google

ualem terram proſcindere, tundere rudes glebas, ſpinas extirpare, paſſionum radices obtruncare, irrigare verò terram ipſam bonis conſiliis, & impinguare exemplis; ſæpe monere, ſæpe hortari, ſæpe iubere, ſæpe caſtigare, quò planè intelligeret diſcipula, quid officio ſuo foret annexum, & quàm attentè Deo vacandum. Perpendendus etiam hoc loco eſt bonæ diſcipulæ ediſcendi ardor, perpendenda ſitis acquirendæ virtutis, ingenij credulitas, ſtudium, cui in tota hac diſciplina nihil erat propoſitum præter Deum: indéque arguere licebit, tantumdem fructus relatum ex diſcipulæ laboribus, ac vigilantia, quantum contulerit magiſtrarum dignitas, atque ſolertia.

At verò poſt Deum in vno Antiſtite, & noſtri ſæculi Heroe Sanctiſſimo Franciſco Saleſio poſita erat ſumma progreſsûs. Is erat doctrina pollens, charitate flagrans, exploratas habens vias omnes amandi, obſequendique Dei, ſciens ſuauiter regere fœminiles cœtus, denique cautus ducere homines per vniuerſos calles chriſtianæ, ac religioſæ perfectionis; operam ſuam in id præcipuè conuertens, vt à ſe nouiter genita famularum Dei familia, & numero, & virtute in Dei cultum ſuccreſceret. Hanc ille filiolam iam ſenex ſuſcepit, vnicéque dilexit, hunc nouum fœtum lingua eloquij ſui lambens, & paterna manu poliens, dignam Deo victimam ſacrauit, dixitque de ea aliquando: *Soror noſtra Anna Margarita, vera Chriſti ſponſa eſt, vera virgo eſt.* Non erat nouitiæ in aduerſis tutius eo perfugium, non in obſcuris clarius lumen, non Dux illuſtrior ad amorem Dei. O beati Patris beata filia! ô pergentis ad aſtra Magiſtri propè ſectatrix diſcipula!

Præter hæc, quæ humanæ induſtriæ ſunt, ac diligentiæ, annon credendum eſt, benignam Dei dexteram longè plura ornamenta contuliſſe ſtudioſæ adoleſcentulæ, quam ſibi parabat in ſponſam, in delicium, in ſacrorum amorum exemplar, in ſuæ benignitatis ideam? Arbitrabimur non congrua dote, non gratia peculiari, & potioribus donis Spiritus ſui ditaſſe? maximè patrocinante Beata Virgine, cuius auſpiciis in Monaſterium ſe receperat?

Digitized by Google

Educta de nouitiatu cœlestia adiumenta suscipit.

CAP. XIV.

CVm iam anni tres ab ingressu Monasterij interfluxissent, iamque tyrocinij sui metam attigisset, à nouitiali contubernio emancipatur. Verùm amatrix Religiosæ submissionis moram inter easdem in alterum adhuc annum prorogari poposcit à Rectore, Patre, ac Præside. Renuit ille annum, potiusque prorogandam innuit disciplinam nouitialem ad totum vitæ decursum. *Vade*, inquit, *nouitiarum mores dum vixeris sectare, quamvis de illarum contubernio dimissa.* Præclarum sanè, & homine sapientissimo dignum responsum, vniuersis qui vitam cœnobiticam profitentur in primis salutiferum, ac memoria tenendum. Subducta ferulæ magistrarum, in peculiarem pædagogiam Beatæ Virginis transiit, & ab illius materno ductu tota pependit, quam etiam filius Virginis singulari protectione complexus est. Tunc cœpit collectione animi plus solito frui, inque puriores orationes, & subtiliores contemplationes eleuari, à diuino Spiritu fortiùs, ac crebriùs occupata, speciatim dum silens sibi, Deoque vacaret. Nos hæc aptius ab eius scriptis colligemus: ait enim.

Pauculos post menses ab expleto tyrocinio cura mihi demandata fuit ædis, supellectilisque sacræ (quod est adituam esse.) Dum munere officij mei fungerer, Deus mihi non vires tantummodo, sed & cœlestes cogitationes suppeditabat. Vasa, ornamentaque sacra ad Missæ sacrificium nonnisi cum maxima veneratione, & timida manu contrectabam, siue dum exponerem, seu cùm reponerem, lauarem, aut alia occasione contingerem. Occurrebantque in mentem mihi super iis admodum piæ, non quæsitæ tamen interpretationes mysticæ. Calix erat mihi pro infantuli Iesu præsepio, aut pro amarissimo potu passionis. Alba pro vestimento albo, casula pro purpureo, quibus fuerat indutus, atque illusus. Cingulum pro funibus, quibus propter me extitit crudeliter vinctus. Vela, & Corporalia pro panniculis, quibus à matre inuoluebatur in stabulo. Eodemque pacto alias tacitas, piasque interpretationes ipsa mecum agitabam silens. Denique, vt vno verbo multa complectar, Deus mihi in omnibus, & de

omnibus ſanctas ſuggerebat cogitationes; quotidie ad eum afficiebar magis, diuellebarque ſenſim è rebus creatis, in Deum fortiùs firmiúſque attracta. Erat mihi in Cœnobio germana ſoror Gabriela Maria, quæ me eduxerat de Ægypto ſæculi, & ſummoperè diligebat, non tam iure naturæ, quàm pio charitatis affectu, cui ego pariter mutua dilectione reſpondebam. Ipſa mihi cum bona venia Magiſtrarum appoſitas admonitiones cùm errarem adhibebat, ipſa torpentem excitabat, impellebatque ad id, quod rectum, & honeſtum eſt; fortiter ſuadens, vt fidelis eſſem Deo. Verumtamen quo me magis ad ſe, & ad amorem ſuum trahebat Dominus meus Ieſus, eò magis à chara ſorore, & à naturali dilectione retrahebar. Cùm ſermo eſſet de educenda in Gallias colonia Monaſterij noſtri Anneſſienſis, cuius ego pars vltima numerabar, an ſperabam fieri poſſe, vt dilectiſſimæ ſororis abſentiam æquo animo ferrem? Nullatenus, ſiquidem antiqua, ſtrictaque nimis erat animorum noſtrorum connexio. Sanè mihi tantùm ſubeſſe roboris diffidebam, vt ab ea paterer ſeiungi. Sed (ô Deus Optime Maxime) tuæ ſummæ, & ſolius poteſtatis eſt amicitiarum ferreos, adamantinoſque nexus diſrumpere, ne dicam diſſoluere! quemadmodum re verà effeciſti, amantiſſimam ſororem ab amantiſſima ſorore ſuauiter diſſocians, quo ambæ tecum ſtrictiùs aſſociarentur.

Deligitur pro fundatione Monaſterij Aurelianenſis.

CAP. XV.

DEducenda, vt dixi, erat nouelli huius exercitus colonia Aurelianum, nobilem, atque ditiſſimam ciuitatem Galliarum, rogante, & ſtipendia, ſubſidiaque opportuna decernente Magnifica Domina de Caſtillon. In eam coloniam inſcribitur Anna Margarita, natu, ac religioſa profeſſione poſtrema. Ne tamen vlla interueniret aut vis, aut violenta impulſio ad diſceſſum, ſapientiſſimus Præſul omnem priùs animi diſpoſitionem à filia diſquirit, num volenti, an reluctanti corde eam prouinciam ſubeat, ſenſum priùs, quàm conſenſum explorans. Cui honeſtè, illa; *Tuo iudicio, tuis arbitriis ſto, non meis; quicquid optaris, factura ſum: educ, reduc, circumfer, immola, ſponte ſequar; voto iam, & publico promiſſo teneor: conſule quod Deo, non quod mihi placitum ſit.* Hæc illa. Attamen non longè pòſt quædam

Digitized by Google

dam nebulæ aduerſantium cogitationum bonum propoſitum interuertunt, fidem promiſſi intringere, aut ſaltem diſceſſum à Monaſterio remorari ſuadent. Eſt aliquid (arguebant illæ) eſt aliquid domi ſuæ eſſe, vbi prima ſedes eſt tui Ordinis, vbi regnat natiua diſciplina ſanctimoniæ, vbi quot perſonæ, tot ſunt lucida ſpecula virtutum. An ego poſſim bono animo ſegregari ab eo, qui me Deo genuit? qui apud me gerit Dei vices, quem pluſquam me diligo? Num diuelli à matre, quæ me lacte pietatis enutriuit? quæ me ſuper genua, & in gremio ſuo educauit? An placidè ſeiungi ab angelicis magiſtris, quæ mihi ad omnem rem bonam extitere duces? Ita hæſitantem aliò trahebat religio loci, aliò Superiorum voluntas. Siſtere pietas videbatur, ire officium. Nihilominus citra omnem controuerſiam ceſſit voluntati Beati Patris, protinus ac in mentem recurrit ſe Monaſterium adiiſſe non vt dulci præſentia Inſtitutorum perfruatur, neque vt proprio ex arbitrio viuat; ſed vt ſeſe, omniaque ſua ad ſenſum, voluntatemque Dei commutet, aut certè eorum, quos habebat in Dei vices: ideóque cauendum, ne humanæ rationes, vt ſolent, ſuſceptum conſilium malè peruertant. Ita Saluatorem, relicta Matre, abdidiſſe ſe in deſertum, & eadem dimiſſa ſubiiſſe extrema mortis ſupplicia. Aliquando etiam Principi Apoſtolorum ſubterfugienti vexationes perſequentium tyrannorum Romæ occurriſſe, & ad tolerantiam firmaſſe illis verbis, *Vado Romam iterum crucifigi.* His, aliiſque piis ratiocinationibus conſtanter cum Chriſto repetebat; *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Atque ita neque amor loci, neque dulcedo Inſtitutorum, ac ſociarum retinuit, ne ad loca incognita in commeatu ſeptem aliarum comitum, accepta Patris benedictione proficiſceretur.

Primitiæ, & fructus communicationis diuinæ.

CAP. XVI.

ANtequam progredientem in Gallias narratione noſtra proſequamur, iuuabit retuliſſe quàm ſuauiter illam diuina prouidentia in ſolitudine anni 1622. ad diſceſſum, & ad tantam

Digitized by Google

regionum longinquitatem apparauerit: fuere nimirum hæ primitiæ diuinarum communicationum, quas postmodùm à Deo toto vitæ decursu est assecuta. Rem actam ab ipsamet describente accipiamus.

In pernigilio solemnitatis Sanctorum omnium attentè speculabar dignitatem animæ rationalis, de qua Antistes noster multa præclarè dixerat in concione, ostendens tanti eam esse pretij apud Christum, vt cor ipse suum cum corde Beatæ Catharinæ Senensis commutauerit. Hæsit infixum menti verbum istud non sine solitis sensibus diuinæ præsentiæ in totam noctem productis. O nox cunctis retroactis diebus anteponenda, quæ mentem mihi limpidissimis splendoribus illustrasti, voluntatem supernis ignibus inflammasti, suauissimisque Creatoris allocutionibus refocillasti! Insedisse Iesum meum pupuli specie sentiebam super area cordis mei, ibique placidè velut in loco futuræ sibi quietis perpetuæ cubare, castis interim, ac festiuis blanditiis cordi manu (vt solent pueri pomis) colludentem, & cœlesti dulcedine hactenus inexperta illud perfundentem. Ego tantæ dignationi, talibusque illecebris minimè assueta protinùs cœpi ad eius Maiestatis blandimenta contremiscere, ad me ipsam redy, & in nihilo meo me recondidi. Nihil tamen proficiebam, namque pupulus ille omnia mea pugno prehensa tenebat, regebatque suo; vtque consilia voluntatis suæ inciperem internoscere, proclamabat: En corculum istud meæ nunc potestatis est, ac ditionis; eius, ac voluntatis tuæ omnis summam in eo possessionem Rex, ac Dominator supremus. Posthac non tua tu fueris, sed mea tota, vti paritor tibi totus ego. Cor istud loco suo abripiam, reponamque aliud pro eo. Sic ille. Ad hæc ego paupercula, ac tremens vrebar amore inassueto, respersa per omnes animæ meatus incomparanda oblectatione. Impar sanè eram perferendæ suauitati illi, humanos limites transcendenti, & languore insolito à m ipsa diffluens orabam non quidem lingua, sed intercisis suspiriis: Ne vltra Domine, Domine ne tam copiosè: siste fluctus, paulùm recede à me soluuntur artus mihi, & ipsa extinguor dulcedine. Quandoque etiam subterfugere tentaui, at coërcebat ille me pugnacissimè, & ne effugerem, brachio potentiori reprimebat circumquaque concatenatam, secretò obiciens in animo mihi, quod olim Apostolo Paulo; Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Num viribus gratiæ meæ quispiam obsistat? Contra volentem Deum decertet nemo. Tum proferens noua, atque legitima iura dominatus, possessionisque suæ, omnem actum, omnem motum animæ meæ sibi subegit, ab omni rerum appetentia, & amore, imò ab vsu mei ipsius ad se pertraxit. Per totam noctem haud fuere mihi integri sensus, nec aduerti vbinam locorum essem; sed manè reddita mihi concussos, & contorsionibus

discissos

diſciſſos artus perſenſi, protinuſque Oracula Matris, Antiſtitiſque mei adiui, nouitatem rei geſtæ planè, & candidè recenſui, multa percunctans ſuper cordis mei abſentia; nam ſurreptum à puellulo Ieſu credebam, videbarque omni corde carere.

Ex hac prima diuini conſortij conſuetudine, innumera mihi bona euenisſe experta ſum: quippe ſpiritus meus inde eruditus didicit à rebus creatis ad ſummum, & increatum bonum nullo negotio progredi, diuinæ præſentiæ arctiùs adhæreſcere, & ab illius conſtantiſſima dilectione, nec facilè, nec longè d ſcedere. Accenſus eſt in pectore mihi rogus diuini amoris, qui flammis ſuis circumadiecta quæque terreſtria abſumpſit; vnde quæcumque mihi priùs erant in deſideriis, atque in delicijs, abieci, & in Deum taliter demigraſſe videbar, vt de meo mihi apud me nil reſiduum agnoſcerem. Ex eo tempore penuria in diuitias, malorum perpeſſio in gaudium, & acerba omnia in oblectamenta mihi immutata ſunt. Extendit verò ſe hic animi ſenſus ad tres integros menſes, quibus nihil in me vacabat à ſpirituali gaudio, à Dei laude, & dilectione. Valuitque ſupra modum ea diuini Numinis communicatio ad vſum omnium virtutum, ad augendam cordis puritatem, & mentis demiſſionem, ad placidam tolerantiam, ad impigram obedientiam, ad charitatem proximi, cæteraſque virtutes, quarum mihi exercendarum ampliſſima ſeges oborta eſt, cum Aurelianum peruenisſem. Hactenus illa. Quamuis autem in diſcutiendis operibus diuinæ ſapientiæ acies humani intellectus altitudine occultarum rationum retuſa caliget, nihilominus Anna Margarita æſtimabat id fuiſſe propenſioris conſilij in Deo, vt ea dulcedine leniretur amatitudo orta ex ſeparatione chariſſimi Patris, ac Magiſtri, fieretque alacriùs iter, & opus ab ea ſuſceptum.

Progreditur Aurelianum ſocia fundationis, & quid in tranſitu egerit Pariſiis.

CAP. XVII.

COloniam deducebat Dux, & Præfecta Mater Claudia Agnes Iolij, magni nominis virago, ſexto loco inter Ordinis primates ſedens, doctrinis Beati Fundatoris plenè imbuta, cœnobitici inſtituti propugnatrix acerrima, ac proinde ad iacienda

Digitized by Google

fundamenta nouorum Cœnobiorum præ aliis ſelecta ; quam inſuper commendatiorem reddebat grata quædam , & prudens agendi ratio. Igitur Claudia Agnes poſt longa viarum ſpatia, omni cum comitatu ſuo Lutetiam Pariſiorum appulit , in nouo domicilio ſui Ordinis recepta , dum apparatur Aurelianenſe. Ferè bimeſtrem moram illic duxit Anna Margarita , ſibi valde proficuam , ſociis non inutilem , de qua ita refert Præpoſita quædam Pariſienſis. *Felices illæ , quibus mecum Cœlites indulſere, vt aſpectu , & conſuetudine Annæ Margaritæ Clementis, licet per paucas hebdomadas, fruerentur in hoc Pariſienſi Monaſterio , quum ad erigendum Aurelianenſe properaret. Inſtruxit ſiquidem ipſa hunc Conuentum probatiſſimis exemplis, quibus omnium oculos in ſe verſos captabat, ſuſpicientes eius egregia facinora virtutum , ſeruatas ad omne temporis punctum leges inſtituti noſtri , animi intimam recollectionem , ſtudium orationis, inſignem oris compoſitionem , ſpectabilem ſui depreſſionem : quibus exemplis paſſim editis, ignauiam tepidarum damnabat , & ad meliorem vitam potenter acuebat. Quodque nos in primis mirabamur, ita placidè, & ſuaui quodam fluxu cuncta actitabat , vt non ſtudio , vel conatu aliquo fieri, ſed ſuapte ſponte à natura profluere , ac propè in naturam verſa viderentur.* Hæc illa. Quocircà mandante Ioanna Franciſca Fremiot, Ordinis Matre, & Inſtitutrice , quæ fortè diebus illis in eodem hoſpitio Pariſienſi ſiſtebat, Anna Margarita nouitiis pro magiſtra præpoſita fuit. Experimento nempe nouerat Mater iam adultam filiæ ſuæ ſanctimoniam , ſenileſque ſenſus ſub annis iuuenilibus. In ea ſchola diſcipulæ , atque magiſtræ officia coniunxit aptiſſimè , ſemper ad opus prior , ad quietem poſtrema, actu ſcilicet magis quàm verbo docens qua arte , & ſolertia conquirantur, excolanturque virtutes.

Domum Pariſienſem adminiſtrabat eo tempore Anna Catharina de Bellomonte , Præpoſita , antiquum germen naſcentis Ordinis Viſitationis , materna beneuolentia , & gratis officiis Annam Margaritam hoſpitam ſuam complectens ; cui ex aduerſo minùs erat fauens , minuſque officioſa Claudia Agnes. Rem probè tenebat omnem Mater , & Princeps totius Ordinis: quare verita imperium poſtremæ fore grauius puellæ iuniori, callidè inquiſiuit ab ipſa , malletne Pariſiis Bellemonteæ , an Aurelianis Claudiæ Agneti ſubeſſe , fecitque liberam optionis facultatem. Illa edocta de ſpinis vuas, & de tribulis ficus colligere,

gere, delicias potiores ponens in neglectu, quàm in hominum blandimentis, iugum Claudiæ prætulit placiditati Bellemontis, maiores quæstus humilitatis, atque patientiæ factura ex vnius despicientis, quàm ex alterius illecebris. Et hoc animi consilio, atque fortitudine inchoatum iter Aurelianum versus prosecuta est.

Quomodo se gesserit erga Superiorem duriusculam.

CAP. XVIII.

HIc nobis primò obuenit inspiciendus genius Præpositæ non omninò consonus cum sibi subdita Anna Margarita: nulli loco, nulli tempori parcebat Mater, quin acta iunioris filiæ paruipenderet, succenseret dictis, vexaret verbis, affligeret mulctis, & in postremis haberet, etiam fungentem officio Assistentis, qui primus est à Superiore gradus, & ipsius Superioris vices, vbi opus est, gerens. Domi nemini nota non erat grauis isthæc Matris asperitas, quotidianis experimentis patescens; quocirca quæpiam de domesticis vltrò illam monere ausa est, exorans parciùs insisti increpationibus, & mulctis aduersus sororem satis bonam, docens moderatione aliqua deducendum esse regimen ad leges tolerabiles. Monitionem minimè improbauit Mater, austerius imperium haud excusauit; sed quo suadente, quóve impellente genio id agat, nescire. Producatur in testem eiusdem Matris Epistola ad Annam Margaritam post aliquot annos data.

Claudia Agnes Annæ Margaritæ Clementi.

„ QVantum debeo charitati tuæ, charissima soror, quæ tam
„ ingenua tuæ in me beneuolentiæ pignora per litteras
„ dedisti! An ego à te diligi, an in honore haberi merear, quæ
„ tibi asperior, & infensior semper extiti? Non equidem irata
„ feci, neque per iniuriam, neque etiam animo peruicaci, sed

vt

Digitized by Google

„ vt quantò fores per me depreſſior, tantò per tuam conſtan-
„ tiam excelſior virtute euaderes. Imprudentiæ meæ rubore
„ ſuffundor, in culpa ſum, vt ea me benignè ſoluas, humil-
„ limè deprecor. Vale.

Alia item epiſtola ſic habet:

„ QVod dicam, pro certo teneas. Maximum apud me pondus
„ ſemper habuit ſplendor virtutis tuæ, & quamuis me fæ-
„ penumerò duriorem ſis paſſa, nil tamen vnquam extenua-
„ tum eſt, ne dicam ſubtractum in me de æſtimatione tuæ vir-
„ tutis, & acceptæ à Deo gratiæ. Quo ducta ſpiritu tecum ege-
„ rim ſeueriùs, non planè mihi conſtat; arbitror tamen ex oc-
„ culto inſtinctu diuinæ prouidentiæ, ad maiorem nimirum
„ perfectionem tibi, ad maiorem erubeſcentiam, & pudorem
„ mihi. Rem mihi gratiſſimam feceris, ſi indubitatè credas,
„ nunquam in me à te peccatum fuiſſe, illatam à te mihi iniu-
„ riam aut offenſionem vllam non noui, ac proinde fruſtrà, &
„ nulla ratione condonari à me tibi poſtulaſti. Ego in te pecca-
„ ui, ego rea, quia in te ſeuerior. Æquiùs ergo à te mihi, & à Deo
„ condonari delictum meum tota animi contentione expoſco.
„ Vale.

Porrò videamus quam frugem de tot contemptionibus carpſerit, carpendamque docuerit; geſta etenim ſeruorum Dei non laudanda ſolùm, ſed ſequenda proponuntur. Attrita deſpicationibus, atque vexationibus nil contra Matrem effari, aut tacitè viſa eſt obmurmurare; non toruum, non querulum, aut triſtem vultum induere, nil internæ pacis, ac hilaritatis deperdere: lætior omnia ſuffert, in cunctis oblectatur, intra ſe magnam continet voluptatem; intenditque non quid patiatur, ſed quomodo proficiat, de partis victoriis coronas ſibi in futura tempora contexens, & ſocias ad illuſtrem patientiam exemplo inducens. Quantum enim illas Superioris acrimonia perturbabat, tantundem conſtantia Annæ Margaritæ exædificabat, cognoſcentes quo duriorem matrem, eò mitiorem ſe habere ſororem.

Virtutum

Digitized by Google

Virtutum excellentia.

CAP. XIX.

CONſtituta iam ſede, ſtabilique domicilio in vrbe Aurelianenſi, de diſpertiendis officiis domeſticis inter contubernales deliberatum eſt. Is enim eſt in domo bonus ordo, ſi diſtinctè ſeruitiorum cuique ſua pars diuidatur. Annæ Margaritæ cura nouitiarum, ac ianuæ, munuſque Aſſiſtentis per varias temporum vices delata fuere, de quibus, & de omni ſua virtutum excellentia, quæ fuerit norma vitæ, quæve exempli authoritas, referre ſufficiat, quod Claudia Seraphica contemporanea, & Cœnobium Aurelianenſe moderans, concisè in epiſtola ſua deſcribit. Eximius (inquit) fulgor ſanctitatis, & omnium oculis ſpectata virtus ſororis noſtræ Annæ Margaritæ Clementis eam apud nos famam, atque reuerentiam excitauit, vt vnanimi voto ſentiant quotquot ſunt noſtri cœtus ſorores, eam Dei dilectione, aut mentis puritate non longè acceſſiſſe ad Beatam Catharinam Genuenſem, altitudine verò contemplationis, & copia chariſmatum cœleſtium, æmulam fuiſſe Sanctæ Thereſiæ. Erat illa nobis viuida forma virtutum, ad quam ſtudia, actaque noſtra metiebamur: ab eius conſortio nunquam non auidiores ſanctitatis, ac feruentiores recedebant nouitiæ, aut puellæ iuniores ab ipſamet educandæ. Tantam morum ſuauitatem ſpirabat, vt domi ſodales ad æmulationem cogeret, & eos qui foris ſunt, ad honeſta, & recta compelleret. Amici ita ſe communi adagio inuicem inuitabant: Adeamus, inuiſemus, & paſcamur colloquiis Sanctæ Margaritæ apud Sanctimoniales Viſitationis. Vix vnam virtutis ſpeciem enumeraueris, qua non præcelluerit hæc Dei famula; præluxiſſe tamen cæteris conſpeximus chriſtianam, religioſamque humilitatem, conſtantem temperantiam, tum à rebus illicitis, tum etiam ſæpiſſimè à licitis, necnon inſignem charitatem, gratamque ad omnes placiditatem.

Humilitatis ea fuit lex, & ratio prima, vt quicquid ſupra

„ communem Cœnobij consuetudinem efficeret, id omnium
„ oculis supprimeret, nisi publicè edi cogeret necessarium cha-
„ ritatis opus; idipsum tamen vt remotiùs à cæterorum aspectu
„ remaneret, furtim quantum posset, præueniebat. Vbi prop-
„ ter rem imprudenter gestam tantillum loci affulgeret re-
„ prehensioni, & despectui, tantum aberat vt rem gestam
„ celaret, quin potiùs dedecus erroris sui alta vituperatione
„ prædicaret; tantum operæ ponens ad conficiendum sibi no-
„ men, notamque vilis, & abiectæ peccatricis, quantum alij in
„ quæstu laudis humanæ. Cæterùm tam ignominiosè de se sen-
„ tiebat, vt etiam publicarum calamitatum originem crimini-
„ bus attribueret suis. Quid dicam de temperantia, & vitæ au-
„ steritate? Velut sensibus carens, & ab humanis seiuncta tra-
„ hebat dies suos. Cibaria insulsa, & amarulenta cæteris præ-
„ ferebat, ita vt vetito opus fuerit, ne eadem vlteriùs contin-
„ geret. Vidimus facie admodum intumescentem, tum propter
„ frequentissimè lingua efformatas cruces in solo, tum quia
„ diutiùs, quàm par erat, humi loco lutoso, & stomachum mo-
„ uente frontem affigeret. Denique dum viueret, emortuæ mà-
„ gis quàm viuentis mores reddebat: spiritus quippe diuinis
„ contemplationibus detentus, tantummodo vultum terris re-
„ ferebat.

„ Charitas ad omne opus celerem, ad omnia loca agilem fa-
„ ciebat, quacumque se daret benefaciendi occasio. Ne vlli
„ egentium adiutorio deesset suo, cunctis ferè locis eodem
„ momento præsentem vidisses. Ipsa enim erat perfugium, ipsa
„ solatium singularum, plus opis præstante sola, quàm si decem
„ aliena brachia congregasses. Porrò quo magè laborioſa ap-
„ parebant seruitia, eò maiori cupiditate, & pectore fereba-
„ tur, nunquam actis defatigata, nunquam agendis defati-
„ ganda. Quid ego ad alia pergam? Quicquid dixero, eorum
„ quæ dici possunt, modica vmbra erit. Hæc Claudia Sera-
phica. Nos, quæ de virtutibus huius seruæ Dei subiici possunt,
in tertium librum seruabimus.

Diuinæ communicationis augmenta.

CAP. XX.

PRimo biennio ſtationis Aurelianenſis maxima virtutum, communicationiſque diuinæ acceſſio facta eſt. Quanti enim erant conatus, progreſſioneſque ad virtutem, tanta viciſſim erat ſummi boni participatio. Loquentem audiamus : *Hoc biennio potiſſimùm ad contemplandas perfectiones æterni Numinis ſubleuabar, extendebarque in admirationem decoris, & diuitiarum Filij Dei, qui ſe, ſuaque mihi inuicem communicabat ; infundebat ſe ille animo ſæpè meo, illucebat nouis ſplendoribus, meque ſibi vniebat intimis connexionibus, dum ego alienis amoribus expoliarem me, actuſque laudis, & dilectionis erga eum multiplicarem. Sæpenumerò meditanti mihi occurrebat in mentem (præter mentem) aliquid de ſermonibus amatoriis ſponſi, & ſponſæ è Canticis Canticorum. An illud ego intellexiſſem? minimè verò, ſed oranti ſpiritus Sapientiæ elucidabat. Vnum, aut alterum verbum de eiuſmodi ſacris Canticis ſatis amplam, & piarum cogitationum grauidam materiam ſubminiſtrabat. Ego ſubminiſtrata lumina cum ſanctis animi commotionibus ſcriptis mandaueram, quantum componendo libello ſufficiat ; ſed Matri noſtræ de Chantail Aurelianis pertranſeunti cum legenda tradidiſſem, tradi iuſſit flammis : deſtiti tunc plura chartis dare, ſimplicibus, & vſui conducibilibus immorans.*

Grauiſſimam tentationem quibus armis vicerit.

CAP. XXI.

AT ecce nauiculam in altum mare ſecundo vento, pleniſque velis properantem immanis, & inexcogitata quædam procella intercepit, illiſitque periculoſiſſimo ſcopulo. Etenim dum inter orandum ea hominis portio, quæ rationis particeps eſt, vndis gaudiorum ſpiritualium perfunditur, ab ea quæ eſt rationis expers, inſurrexerunt rebelles motus inuadentes arcem caſtitatis. Heu quantoperè expauit virgo, quàm laboriosè de-

certat, quantumque sudat in tristi agone, metuens occultam vim spiritus immundi, & ne qua via illuderetur flori honestatis suæ? Demùm viribus diffisa suis aliunde suppetias quærit; Præpositam Monasterij consulit, & ea suadente viros eruditos, ac religiosos. Eorum aliqui opinati sunt, suscitatum certamen fuisse ab immundo spiritu, atque ad eum abigendum, ne qua parte læderetur animi, corporísve integritas, recedendum esse à campo certaminis, id est, ab vsu meditationum. Ad immundi spiritus nomenclaturam exhorruit castissima puella, tremuit, de salutis suæ discrimine trepidans. Et quamuis non omnem fidem præberet responsis, tamen plus dicto, & consiliis Doctorum tribuens, quàm imperitiæ suæ, sese à communi consortio, vsuque meditantium, ad preces vocales flexit. Sed quid inde? Non ita celer ad centrum lapis relabitur, ac serua Dei ipsas inter vocales preces in Deum, à cuius suaui, sensilique præsentia, etiam volens non poterat subduci. Quinimò, quò longius declinare tentabat, eò propius in Deum rapiebatur; fuitque pugna ista producta ad tres continuas hebdomadas. Quamobrem iterum, ac tertiò coram aliis censoribus quæstio reuocata fuit: pugnabat enim pro illæsa pudicitia, pro qua nullum reiici debet remedium. Denique præfuit examini vir sapiens, & cælestium theoriarum expertissimus. Is vt statum controuersiæ, & acta contingentia, non tam audiuit ab ore, quàm legit in corde narrantis, Deo primùm consulto opus esse dixit, tum omnia ponderanda, & ex eorum consonantia, ac dissonantia eliciendam veritatem. Demùm postquam singula maturiùs secum ipse contulisset, suppressa causa rei, dixit, diuino iudicio permitti ad puellæ innocentis exercitationem; quod verò inibi malum est, à nimio gustus spiritualis affectu progigni, & à superflua inspectione mali; proinde posthac paruipendat vtrumque, adstet simpliciter Deo, abstineat à propriis considerationibus, vnicè contemplando Deo insistens, eiusdem prouidentiæ tota subiaceat: quicquid ille egerit, quicquid communicauerit, placidè accipiat, nec vlla re audeat diuinæ voluntati obsistere. His dictis quieuit procella, dirempta est pugna, & animæ restituta quies pacatissima. Ad futuram autem præcautionem auscultanti præcepit, vide ne vnquam altum quid de te sapias, caue ne à data Deo fide, aut à virtutum studio deficias vnquam.

Grande

Grande hìc opus à Deo parari præſentio ; ille te per inaſſuetos calles ad ſe deducet, ductorem tu ſequere fidelis,& obſequioſa.

Intereà, id eſt exeunte anno 1622. de terris ad Aſtra vocatur Beatiſſimus ſeruus Dei Franciſcus Saleſius Inſtitutor Ordinis Viſitationis , & peculiari affectu huius filiolæ Pater , quem illa prolixo luctu deplorauit , quamuis nullatenus hæſitans de eius beatitudine , futuroque patrocinio cœleſti erga Congregationem Monialium. Quod attinet ad merita , excellentiaſque huius Sanctiſſimi Præſulis , Dominus teſtata voluit ſeruæ ſuæ in quadam meditatione anni 1629. & in ſolitudine anni 1636. Referebat ergo hæc , in die vigeſima octaua Ianuarij anni 1629. in qua recolitur memoria Sancti Franciſci Saleſij, diu actum fuiſſe inter Magiſtrum , ſeque diſcipulam de moderatione, atque placiditate præfati Præſulis ; diuinum verò Magiſtrum , tanquam encomiaſtem ſerui Dei extuliſſe illius gloriam eodem elogio , quo ſponſa dulcedinem ſponſi ſui ; *Oleum effuſum nomen tuum , ideò adoleſcentulæ dilexerunt te :* exponendo quantum mitiſſimus Præſul placuerit non ſolùm adoleſcentulis religioſis , ſed ſibi quammaximè ; ac propterea magnis eum hîc priuilegiis , & in cœlo præmiis fuiſſe exornatum. Promittendo inſuper paribus ornamentis decorandam diſcipulam , ſi eodem robore mentis , ſuique moderatione cunctas iracundiæ, & aſperitatis commotiones ritè temperauerit.

De ſolitudine autem anni 1636. ita ſcripſit ſponſa : *Voluit autem ſponſus in me fieri hoc loco , & tempore tres ſolitudines , in quibus quieſceret, regnaretque ſolus, videlicet ſolitudinem memoriæ , ſolitudinem intellectus , & ſolitudinem voluntatis. Quod vt perfectius fieret, repoſuit memoriam, intellectum, voluntatemque ſuam pro meis. Adiecit & quartam , nempe ſolitudinem cordis , appoſito ſimiliter corde ſuo pro meo , monuitque ita excubarem cuſtodiæ huius cordis noui , vt nullo tempore cogatur de loco iſto demigrare. Aiebat autem, Parentem , ac Fundatorem noſtri Ordinis conſueuiſſe degere in ſolitudine huius diuini cordis , & inde largiter expiſcatum fuiſſe ſpiritum manſuetudinis , ac humilitatis , necnon cunctas illas virtutes , quas poſtmodum multorum ſaluti promulgauit. Idcoque eius alumnas , & filias poſſe peculiari quadam ratione agnominari filias huiuſce cordis , de quo Inſtitutor ſolebat ſugere lac cœleſtis ſapientiæ pro illarum educatione , & in quo ſeipſum ſolebat contutari , ne ipſum turba negotiorum ſegregaret à Deo.* Hæc ſponſa.

Fundatio Cœnobij Montargienſis, cui præficitur Præpoſita.

CAP. XXII.

POſt aliquot annos habitationis Aurelianenſis contigit deſiderari alteram coloniam Sanctimonialium Viſitationis in vrbe Monteargo. Eſt Monſargus non inter poſtremas Galliæ vrbes conſtituta ciuitas in territorio Vaſtrenenſi, non longè ab Aureliano ſita, numero, dignitateque ciuiùm, rebus quoque ad vitam opportunis locuples, religione, ac pietate conſpicua, in qua non paucæ virgines deguſtantes quàm ſit ſuauis ſpiritus Dei, ad religioſa Gyneceæa, vitamque cœnobiticam anhelabant. Ibidem Clerici Regulares Sancti Pauli, vulgò Barnabitæ, paucis antè annis ſedem, collegiumque ſibi poſuerant, gymnaſio publico adoleſcentes litteris, ac moribus, ciues bonis inſtitutionibns, & pietate erudientes. Hi cùm olim Anneſſij in Sabaudia ſanctimoniam, ac diſciplinam omnem Ordinis Viſitationis perſpectiſſimam haberent, non ex longa ſolùm, familiarique conſuetudine Beati Inſtitutoris, cui manum, operamque multam contulerant; ſed propter reddita naſcenti illi familiæ officia, contractamque ſingularum Monialium notitiam: hi, inquam, arbitrabantur nulla re magis poſſe in communia ciuium vota concurrere, quàm ſi eiuſdem Ordinis cœtum in eam vrbem aduocarent. Quocirca habito priùs aſſenſu (vt fert mos regionis) à concilio vrbano, ab Epiſcopo Diœceſano, & à Rege, actum eſt de Monaſterio ſtabiliendo; & re delata ad ipſam Moderatricem Ordinis, quæ eodem tempore coloniam alteram pro ciuitate Rhedonenſi in Britanniam parabat, ſicut pro Rhedonenſi Claudiam Agnetem Iolij, Ducem, ac Superiorem, ita & pro Montargienſi Annam Margaritam Clementem deſignauit.

Potuit ne gratus eſſe virgini modeſtiſſimæ ſupremus iſte, & inopinatus ad regimen delectus? Ei quæ detrudi inter famulas domeſticas efflagitauerat, potuitne placere imperij principatus? Contremit, ingemit, reluctatur lacrymans, genibuſque flexis obſecrat.

Digitized by Google

obſecrat abiici curationem illam à ſe, cui nimirum plus nimio eſt cura rerum ſuarum : cauſatur ad regimen ineptam, ingenij, atque iudicij inopem, vacuam prudentiæ, carere denique iis omnibus, quæ aliquam conſtituunt dignam gradu Rectricis, cui neceſſariò competit eſſe cæterarum motricem ad omnem rem bonam, oculum directionis, exemplar, & ſpeculum vnde ſociæ ſanctè viuendi normam accipiant, quæ cùm à ſe ſciat eſſe longè remota, amoueri quoque à ſe rogat hanc regendi prouinciam, ni Monaſterio erigendo damno magis, quàm fructui fore velint.

Non exaudita tamen collum ſub iuga miſit, Chriſti obedientiam inſecuta, rata id ſibi pœnitentiæ nomine impoſitum. Itaque ſuperno innitens præſidio, & obedientiæ merito, ſeſe maxima fide commiſit Deo, ſic effata. *Ecce ancilla tua Domine, fiat de me, per me, & in me placitum tuum omne : tantummodò manuducito ignaram viæ, & tuis auxiliis adiuua, vt recto calle ad te dirigam ſponſas tuas, quibus, oro, elargiaris fortem animi conſtantiam, & immotam in te fidem.* Commendauit poſt hæc exiguum gregem ſuum cuſtodiæ Beatæ Virginis, cuius ſe ſubcuſtodem dicebat : atque hoc modo erecta in Deum mente expedit ſe viæ, reiecta omni ratione prudentiæ, atque prouidentiæ humanæ. Nunquam illa pugnam experta eſt ita ſæuam, ita pertinacem, nec viam toto vitæ curſu ita æqua animi virtute, aut conamine ſuperauit; ſubortoſque affirmabat ſibi ex eo triumpho ſpiritus generoſiores, & magis animatum pectus, ſubſequutam quoque eſſe ſummam tranquillitatem, & quietem.

Fortè iiſmet diebus anni 1628. Octauius de Bellegarde, Archiepiſcopus Senonenſis, eximiæ ſapientiæ, atque antiqui decoris Præſul, ſingulari quoque beneuolentia Inſtitutum Viſitationis complectens, luſtrationem ſuæ Diœceſis in Regione Montargienſi inſequebatur, apud prædictos Clericos Regulares hoſpitio aliquandiu exceptus. Is, ſicut iam antea conſenſerat erigi in præfata vrbe Monaſterium dictarum Sanctimonialium, ita eas accerſiri nunc iubet, vt præſentia & auctoritate ſua extinguat exorientia quædam impedimenta ; vt adducantur, delegat duos è ſupradictis Clericis, Dom Ioannem Auguſtinum Gallicium, Superiorem, & Dom Carolum Ludouicum Longhinum. Aduentantes Virgines in vrbana primùm, honeſtaque domo collocat

collocat, quando inſtruitur propria, in quam poſt quatriduum inducit ſub claue, & clauſtris poſitas. Haud difficile fuit proxima paupertatis incommoda ab ingreſſu præſagire, provt ſe dant rerum omnium principia. Domus erat conductitia, anguſta, ritibus cœnobiticis diſſona; res domeſtica parca, & magna parte mutuatitia: quæ clauſtra primo loco aperuere virgines quatuor, honeſta quidem & ſufficienti dote inſtructa ſibi, ſed aduenis non ſat commoda, quibus etiam nimis tenue ſubſidium à Monaſterio Aurelianenſi ſuppeditatum eſt. Itaque domus auctore benefico carens, fundamento præcipuè innixa eſt diuinæ prouidentiæ, ac Beatæ Virginis patrocinio. Nihilominus bona materfamilias Anna Margarita inter incommoditates exultat, religioſæ paupertatis detrimenta lætior amplectitur, maiora ſimul diuinæ prouidentiæ emolumenta expectans; ſiquidem nunquam decidit in animi anguſtias propter rerum egeſtatem, ſed potiùs traxit maiora argumenta præſentis Dei prouidentiæ. Nec falsò, nam quæ tunc erat exigui pretij, exigui ambitus domuncula, paulò poſt in amplum Cœnobium, & copioſum virginum Conuentum commutata fuit.

Quod attinet ad ſpirituale magiſterium, Archiepiſcopus munus Patris, vt vocant, ſpiritualis, quod inſtar Cœnobiarchæ eſt, apud ſe retinuit, à quo reſponſa, & conſulta peterentur, ſubrogato interim ad id officij Dom Ioanne Auguſtino Gallicio, quamdiu abeſſet ipſe, aut ſubſtitueretur aliquis de ſuo Clero.

Obtulit hic primus annus argumentum locuples patientiæ, ac fiduciæ erga Deum; nam quæ de quatuor nouitiis inopiam domus vtcumque ſubleuabat dote pinguiori, & parentum donariis, optimi generis, optimæque indolis, ac ſpei filia, in id morbi genus incidit, quo deterreri, atque etiam infici poterant contubernales; vnde aut diſſoluenda fuiſſet domus tota, remanente ægra, aut manentibus cæteris ægra dimittenda. Quamuis enim debiles, aut malè affectas fœminas charitas huius Ordinis amplexetur, morbos tamen contagioſos, aut aliis pernicioſos non patitur. Itaque conſultò, mandante Archiepiſcopo, clauſtris emittitur ægra, inuitis parentibus. Hinc orta tempeſtas, iræ, clamores, contumeliæ non vulgares, & ſingularis contemptus Præpoſitæ. Præpoſita contemptu alitur, contume-

liis

Digitized by Google

Iiis fortior fit, lenis inter iniurias ipſos lædentes lenit, & in tam aduerſo caſu ſpem diuini auxilij auget in ſe, exemploque ſuo firmat in ſociis.

Per Sacramentum Confeſſionis diſponitur ad maiores influxus diuinæ gratiæ.

CAP. XXIII.

IN decliuio anni 1629. quo ſingulæ de Monaſterio quieſcentes ab operibus domeſticis, & à communi frequentia, ſolent per dies decem in loca ſecreta ſecedere, prolixiùs meditationibus inſtare, ſuperioris anni malè geſta punire, & quærere quid ſit in via Dei maximè perfectum, cui per venientem annum præcipuè intendant (tollere enim antiquata vitia, & pro iis bonos inducere habitus, non eſt vis poſita in vna die, ſed in diuturna meditatione, ſtudio, & caſtigatione:) hoc, inquam, tempore Præpoſita à cæterarum conſortio ſegregata, ſuæ creationis primordia memoriâ repetebat, quum de repentè menti inciderunt ea verba Domini Ieſu, quæ quondam in libello de eius imitatione legerat; *Ego ſum puritatis amator, ego corda munda quæro.* Quibus intellexit volentem ad Deum propiùs accedere, omnem priùs animæ labem abſtergere debere; ſicque Prophetam ante ſpiritus innouationem cor mundum quæſiſſe. Hæſerunt autem prædicta verba animo tam profundè, talique cum obſtinatione, vt recurrentem ſæpiùs ad priùs propoſitum thema, ſemper retraxerint. Igitur accingens ſe ad eam cordis emundationem, repoſitis ſibi ante oculos leuiſſimis quibuſcumque offenſiunculis, etiam quas per ignorantiam patrauerat infans, accuratiſſimam expiationem præteritæ vitæ iniuit. Accuſanti ſe dies vna minimè ſuffecit, biduo opus fuit, quoniam dolor proſtrati cordis, lacrymæ interminabiles, & extenuatio virium ſæpò verba, ſæpe vocem ipſam compreſſere. Scrutanti, ac dicenti dedecora ſua, aſſerebat additum fuiſſe lumen ſingulare, & cœleſtem quamdam vim, qua quo momento virus alicuius delicti euomeret, eodem ſubingredi ſenſum gratiæ,

Digitized by Google

& diuinam quandam, atque copioſam ſuauitatem experiretur, cui ſuſcipiendæ quia impar erat velocitas ſpiritus ſui, plus temporis concedendum fuit diuinæ operationi. Denique dicta contra ſe cauſa omni, & per ſententiam Sacerdotis abſoluta, euerſos fuiſſe aiebat, ſublatoſque aggeres vniuerſos prohibentes liberum fluxum diuinæ miſericordiæ. Quamuis enim hactenus nonnullis guttulis cœleſtis bonitatis fuiſſet irrorata, repagula tamen quædam profluuio illius obſtitiſſe aſſerebat, quæ modò per confeſſionem confracta, conuulſaque ſunt; nuncque erupiſſe affluentem, imò ſupereffluentem cæleſtium aquarum inundationem.

Siſtamus pauliſper hic pedem, & hæc initia abundantioris communicationis gratiarum ſpeculemur. Referebat illa, quod Sacerdote enunciante abſolutoriam ſententiam, reipſa ſenſerit in intimo præcordiorum cæleſtem illapſum diuinæ miſericordiæ, fructumque ſanguinis effuſi ad ſuam redemptionem: ad ea autem verba; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* operationem efficaciſſimam ſanctiſſimæ Trinitatis perpurgantis animam ab vniuerſis labeculis ſuis. Quo facto ipſa ſibi poſteà paruerit quaſi ouicula niue candidior aſcendens de lauacro, & dealbata ſanguine vnigeniti Filij Dei. Addebat excitatum animo, impreſſumque odium immortale cuiuſlibet peccati, necnon deliberatam voluntatem vlciſcendi præterita: illuſtratam quoque fuiſſe mentem inſolitis, iiſque clariſſimis ſplendoribus, voluntatem ſuccenſam potentioribus flammis amoris Dei, & exultaſſe inuſitato quodam tripudio; tuncque accepto oſculo pacis, repoſitam fuiſſe in gratiam Dei ſui, qui ei reſtituit albam veſtem innocentiæ, rubeam charitatis, annulum fidei, ſtolam fiduciæ, cothurnos perſeuerantiæ, ac demùm cumulauit innumeris aliis donis pretioſiſſimis. Quibus expletis tota Trinitas illam in rem, ditionemque ſuam tranſtulit; ſumpſitque eiuſdem integram, perpetuamque poſſeſſionem, & alia multa peregit, quæ ſub verba non cadunt. Inter hæc demonſtratum fuit illi, quæ ſit virtus, quis effectus eorum verborum: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Collata quoque eſt profundiſſima cordis humilitas, qua ſe in centro ſui nihili occultare ſtudebat, quum ſe ab omni parte ſentiret diuinitate circumdatam, nihilque niſi Deum vnum, ac trinum in ſe conſpiceret.

Digitized by Google

ſpiceret. Quæ omnia dum pertractarentur, iacuit illa aliquandiu elinguis, & immobilis. Quodque admiratione non caret, per tres menſes ad omnem repetitionem eorumdem verborum; *Abſoluo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus & Sancti*, ferè iidem effectus fiebant; quod cauſæ fuit, vt apud ignotos non confiteretur, ne priuilegium illud promulgaretur. Adiiciam præterea (quod illa ſcripto ſuo reuelauit) puritatem, & ſanctimoniam Confeſſariorum à ſe diſtinctam fuiſſe, eo quod maiorem ſenſum illabentis gratiæ perciperet ab aliquibus, quàm ab aliis, non quoad ipſum effectum Sacramenti, quod eſt iuſtificatio, ſed ſecundum aliquid annexum ſuſceptioni Sacramenti, putà deuotionem ex merito Miniſtri magè Deo grati; de quo Sanctus Thomas 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 1. *ad* 2.

Ab hoc initio deriuarunt poſtmodùm fructus, & incrementa ſequentium contemplationum, quas diſtinctiùs ſecundo in libro colligemus.

Mutatur Sedes Monaſterij, & quid ibi prodigioſum euenit.

CAP. XXIV.

PRior illa commoratio in conductitia domuncula annum non exceſſit, conquiſita eſt habitationi altera, occurritque commodior domus perhoſpitalis, loco ſpatioſo, hortis amœna, & egregia circumquaque fronte, in quam multa pecuniâ emptam, & poſteà concinnatam officiis, facta eſt tranſmigratio, firmataque ceſſio. Verùm cum ex ædis illius angulis vnus careret ſtabili fundamento, non longè pòſt cœpit rimas agere, minarique caſum, & denique corruit anno quarto.

Præpoſitæ conſtantiam, neque proximæ ruinæ terror, neque ruina ipſa, etſi iacturæ non mediocris, quicquam conturbauit. Diſruptum domicilium eſt, non fracta in Deum confidentia, ſed aut præueniendo, aut reſarciendo damno inuigilatur. Denique tamen creſcente metu caſus imminentis, & ingruente nocte, aliò transferri lectos cum ſuppellectili ſatagit. Cumque intra

parietes nil iam tutum videretur, iubet formidolosas loco cedere, paucis secum retentis. Ipsa verò constantissimè accedit vbi laxiores erant parietum hiatus, & intrepida capillos Beati Patris, ac Fundatoris manu intromisit, sepsitque rimas imagine papyracea eiusdem. Deinde dormire securas iussit, quasi nil instaret periculi, dum interim noctem illam ipsamet inter crepitantium murorum tremores orando transegit. Mane summo emittitur partim per fenestras, partim per portas quicquid reliquum erat domi, & concurrente ad spectaculum ingenti populo, sub oculis omnium nutabant parietes, adhuc tamen stantes, quod miraculo propè dignum erat. Tunc subuenit in mentem recordatio capillorum, & imaginis appositæ rimis, quæ pro calce, & cæmento muros à casu seruabant. Nullo verò cæmentariorum illuc ad recuperandos capillos audente appropinquare, Præposita Dei patrocinio fidens in locum discrimnis ascendit, accessit, reliquias manu sustulit, saluaque recessit. Vix postremum pedem vltimo gradu extulit, cum momento domus à culmine ad radices circumquaque corruit, & tota in rudera abiit, illæsa Præposita, vniuersisque spectatoribus. Communis salutis beneficium alij Beati Patris merito, alij Matris Præpositæ orationibus ascripsere. Ipsa intereà de restaurando Monasterio fit sollicitior, cúmque ne obolum quidem haberet in arca pro arrha muratorum, nihilominus de Dei prouidentia in nullo diffidens fundamenta iecit, extruxitque nobile, ac multarum expensarum ædificium, subministrante nimirum Deo per vias mortalibus ignotas quicquid foret necessarium. Quare non immeritò scripsit aliquando, se maximum fiduciæ incrementum suscepisse è casu, & reædificatione Monasterij Montargiensis. Decem annis in dicta vrbe commorata, cœnobium ibidem bene composuit, magnifico domicilio instruxit, & numerosa prole in Christo genita amplificauit. Hanc gratiam singularem apud omnes promerita, vt virtutum, ac sanctimoniæ fama latè innotescceret; quamobrem ad formandum aliud cœnobium Meloduni desiderata fuit.

Digitized by Google

Fundatio Monaſterij Melodunenſis.

CAP. XXV.

QVa primùm vice egregius vir, ac Nobilis Eques Hieroſolymitanus Natalis Syllerius, quondam apud Paulum V. Summum Pontificem Orator Regis Chriſtianiſſimi, in colloquium cum ſerua Dei Anna Margarita Clemente venit, eius ſuaui affatu, pioque congreſſu captus, cogitauit de ea Monteargo Melodunum euocanda. Eſt Melodunum vrbs in Diœceſi Senonenſi non procul à Lutetia Pariſiorum, antiquitate, numero, atque nobilitate ciuium celebris, fœcundo ſolo, & alluente Sequana bipartito. Illuc aſciſci alumnas Viſitationis poſtulabant aliquot non ſpernendæ familiæ virgines, in quarum vota conſpirans Natalis permagnæ inter ciues authoritatis, de illis inducendis aſſenſum facilè ab vrbis Primoribus, necnon à Rege obtinuit. Archiepiſcopus non modò in eam rem conſenſerat, ſed præferri ſtationem Molundenſem Nemorſienſi iuſſerat.

Domus erigenda habebat ab ortu ſuo quinque deſignatas virgines, actu recepit tres. Baſes modicæ nimis ad fulciendam talem machinam, habituræ tamen prouentus altiores vbi Deus ſuppoſuerit manum. Etenim prætatus Eques Syllerius domicilium religioſæ familiæ ſatis conſentaneum magno ære ſuo conduxit, diſtinxit loca priuatis officiis, Oratorium rei ſacræ addixit, inſtaurauit, ornauit, Sacerdote donauit, ac inſuper ingentes pecuniarum ſummas victui, aliiſque rebus neceſſariis ſponte erogauit, longè plura erogaturus, ni ſe res, ita diſponente Deo, aliter dediſſent. Nam in primis honeſtiorem aliam, & ampliorem in vrbe ſedem quatuor millibus ſcutorum emendam parauerat, ſi venditores à pactis non receſſiſſent. Præter hæc Archiepiſcopus curam, & omnem ſpiritualem poteſtatem eidem commendauit, creauitque, vt aiunt, Cœnobij Patrem ſpiritualem; erat enim Eques Sacerdotio initiatus.

Dum res ita componuntur, aduocatur expectata cohors San-

Digitized by Google

ctimonialium, adsunt numero sex eunte Ianuario anni 1639. Duce, ac Præposita Anna Margarita Clemente, habitantque alieno in domicilio, donec instituatur proprium, in quod posteà traductæ biennium satis dulciter exegerunt, victitantes partim propriis expensis, partim beneficiis Patris spiritualis, & amicorum. Sed accedente iam anno tertio, bonus ille, ac benignus Pater, siue quod in animo haberet de aliis pariter Monasteriis benemereri, siue quod humanæ magis, quàm diuinæ prouidentiæ assuetus non tantoperè probaret reiici in Deum curas omnes, cœpit consueta beneficia contrahere, frigidè agere, regendi methodum despectui habere, & tandem regimini aliam substituere, Præposita omnem neglectum pacato animo perferente. Quin etiam expleto præposituræ triennio, ne in noua electione loco suo redderetur, idem Pater spiritualis voluit è catalogo eligendarum abradi Annam Margaritam, vt colligas hominum officia facilè in molestas offensiones declinare. Quantam putas inde cœperit hilaritatem de sede sua deposita Mater? Quàm exultauit non restituenda? Quippe nihil modestiæ ipsius erat infensius, quàm aliis præesse, aut imperare; nihil iucundius quàm subesse, aut negligi. Verumtamen exitum dissimilem res sortita est, & vota eligentium finem controuersiæ attulere contrarium: scilicet ab ipsis perspicuè demonstratum est Archiepiscopo electionum Præsidi, non leue præiudicium inferri legibus Ordinis, liberam votorum facultatem statuentibus; iniuriam verò maximam inuehi Præpositæ, cuius extitit æqua, legitimaque administratio, vita innocens, exempla sanctissima, nomen per omnem ciuitatem clarissimum, & gratissima agendi ratio. Quare conqueruntur sibi iniuria auferri datam potestatem optandæ Superioris, rogantque seruari sibi integram licentiam electionis faciendæ, catalogo licet non inserta Anna Margarita: quod vt maturiùs perpendit Archiepiscopus, petitionibus annuit, datisque suffragiis, vnanimi omnium voto, & canonicè iterum renunciata est Præposita Anna Margarita Clemens.

De hac moderatione Monasterij hæc habes quodàm loco scripta manu seruæ Dei. *Fateor maximo mihi fastidio extitit moles Monasterij, & multis capitibus toto sexennio asperrima. Vnde enim propter officia mea plus benevolentiæ, & obsequij sperabam, inde plus*

molestiæ,

moleſtiæ, & negotij proceſſit; iuſtè tamen, & culpa mea, ſed approbante Deo. Igitur anno ſecundo mei ſecundi miniſterij, qui fuit annus 1643. *dum in Paraſceue Domini intempeſta nocte ante Altare contemplarer ſponſum meum preſſum grandi trabe Crucis pro nobis ſuſceptæ, obtuli me ſuſcipiendis ſimiliter propter eum cruciatibus quibuſcumque. Confeſtim proſpexi oculis meis proceram Crucem, audiuique dicentem; etiam cruci adminiſtrandi Monaſterij ſubiiciaris oportet, vel inuita: meliora de Cœlis ſperes; inde erit virtus, prudentia, & fortitudo tua. Subſtraui tunc ſenſum, conſiliumque meum omne ſupremo Dei iudicio, immolauique pro victima voluntatem meam. Opprimebar quidem pondere crucis impoſitæ; ſed ne inde ſurgerem, ſubigebat me manus, voluntaſque Dei. Ergo bono animo acquieui, exiſtimauique nil poſſe feliciùs accidere, quàm ſubeſſe Deo. Viſum eiuſmodi longo tempore obuerſatum eſt ante oculos mentis meæ, perſuaſitque efficaciſſimè, vt datam prouinciam animosè, hilariterque ſubirem, ac fortiter gererem.*

Defectio Domini Syllerij, & qua via prouiſum ſit Monaſterio.

CAP. XXVI.

ATque hinc aperta paternæ beneuolentiæ diſceſſio. Syllerius eleemoſynas ſuas aliò transfert, & cùm grauioris eſſet ætatis, à cura ſpirituali Monaſterij etiam ſe ſubducit, quod propterea ad propriam egeſtatem retrogreſſum eſt, ſtetitque ſine ductore grex. At euocata precibus, & votis prouidentia Dei, conſilio, opeque ſua præſentia remedia naſcentibus malis obtulit. De diſciplina regulari curam præcipuam arrogauit ſibi Archiepiſcopus, ſubrogato beneuolo, & ſancti nominis alio Sacerdote. Suſcitati quoque ſunt ex inopinato ciues, qui fabricando Monaſterio fundos, ædiculaſque venales offerrent, necnon qui emendis pecunias inſperatas conferrent. Ita ſe res habet.

Erat Aſſumptæ in Cœlum Virginis dies Feſtus, quum ſe totus cœtus Monialium, hortante Præpoſita, facto voto in honorem eiuſdem Beatæ Virginis, Beatique Patris Inſtitutoris, ſeſe adſtrin

adſtringunt nouendialibus, ac menſtruis quibuſdam precibus, ſpondentque recepturas in communem menſam, & conſortium indotatam filiam, ſoluturaſque ſepulchro Inſtitutoris ædem argenteam, ſi ſua ipſorum ope contingat tantumdem ſpatij nanciſci, quantum ponendo Monaſterio ſatis ſit. Et ecce poſtridie emiſſi voti, an credideris? Poſtridie, inquam, emiſſi voti actor Monaſterij aream ſagittiferorum dictam, venalem habet, de pretio conuenit, numerata pecunia de ſuo ſoluit, & in rem Sanctimonialium transfert. Vrbis Dynaſta, reiectis aduerſantium ſuſurriis venditionem firmat, iura propria cedit ſponte, loci ambitum extendit, permittitque trahi intra ſepta domus riuulum de alluente Sequana. Deinceps quotquot prope erant ſiue hortuli, ſeu domunculæ, ſeu vineta vicinorum, facili negotio, honeſtoque pretio coemuntur: adde quod pro facienda re ſacra Archiepiſcopus adiacentem Ædiculam ſancti Michaëlis eidem Monaſterio attribuit, ſicque intra dies octo ab Aſſumptione Virginis poſtrema manus tum pactionibus, tum emptionibus appoſita eſt, non ſine omnium admiratione, palam fatentium, præſtare magis inniti diuinæ, quàm humanæ prouidentiæ, & nequaquam eſſe decertandum aduerſus eas, quarum votis militant cæleſtia Numina. Quid vltra? Poſt pauculos etiam dies adoptantur in Monaſterio Virgines duæ, quæ tantum æris attulere, quantum ferè ſufficeret alieno diſſoluendo, & parando domicilio, donec à fundamentis erigeretur nouum, quod ſubinde breui tempore perfectum fuit, ſitu, altitudine, amplitudine, & hortis nobiliſſimum.

Narrantur aliqua diuinæ Prouidentiæ ſubſidia.

CAP. XXVII.

LOngum eſſet cuncta referre diuinæ prouidentiæ beneficia præter omnium ſpem huic Monaſterio, merito fidei Præpoſitæ collata. Exemplum vnum, ac alterum proferam. Exoeſſerat è viuis Sacerdos, qui pro Archiepiſcopo Moniales ad ſanctitatem, domeſtica verò negotia ad ſuas metas ritè dirigebat, omnium virtutum numeris diues; remanſeratque familia

Digitized by Google

milia ſine duce, quem ſequeretur, & ſine conſule, quem adiret. Ecce nouus Sacerdos, qui ſe ſtatim præter omnium cogitationem ſuapte ſponte ſubſidiarium ſiſtit, diuino certè, non humano impulſu actus, magnæ authoritatis, & in Tribunali, quod Præſidiale vocant, ſubiudex, qui Cœnobium annuente Archiepiſcopo diu ſapientiſſimis conſiliis rexit, iuuitque plurimùm quotidianis benefactis, celebrato Sacro, audiendis confeſſionibus,& alia omni opera; aſſumpto prætereà in ſocium altero piiſmo Sacerdote, qui gratuitò pariter,& ambitioſo famulatu imperia Præpoſitæ ſubſtineret, exciperetque paſſim Monialium confeſſiones.

Paulò poſt vrgente bello ciuili,& milite intercludente vias nil minùs terra, quàm flumine, inuectio annonæ in vrbem erat difficillima. In horreo Cœnobij nil paratum rei frumentariæ, nullum genus eſcarum in penu, nihil æris in arca, neque vlla ſpes habendi. Omne perfugium dirigitur ad omnium Parentem, & Altorem Deum, ad quem idcircò congeminantur orationes, vt extremæ egeſtati ſeruarum ſuarum proſpiciat. Audiuit ille clamantes, & pro benignitate ſua votis egenarum inopinatò proſpexit hoc modo. Fortè eo tempore ciuis quiſpiam Pariſienſis puellam vix egreſſam metas infantiæ educandam in Monaſterio inter coæuas tradiderat, & præſentem anguſtiam ſuſpicatus, per litteras amico mandat importari ſuo ſumptu frumentum in Monaſterium, pecuniæ verò tantum deferri, quantum alendæ familiæ triginta capitum opus ſit; arceat denique domo omnem anguſtiam, ne cuiuſpiam rei penuriam patiatur. Res anteà confecta eſt, quàm Monaſterio innoteſceret; nam poſtera die acceptarum litterarum id omne præſtitum eſt, Deo ſic ancillas ſuas paſcente. Non defuerunt eiuſdem Ordinis Cœnobia, quæ afflictis receptaculum, abundantioremque alimoniam ſponderent, ſed iis audacter reſponſum eſt: *An poterit vſquam propugnaculum reperiri tutius diuino? Qui vitam tribuit, etiam quæ ad vitam ſunt tribuet.* Et hac fiducia in propria domo ſub Dei tutamine pacatè ſederunt.

Non inter poſtrema diuinæ prouidentiæ officia numerandæ veniunt turmæ adoleſcentularum ad clauſtra huius Monaſterij affluentium, ibidem ſibi ſedem perpetuam vltrò poſtulantium. Eò nempe claritatis, & boni odoris nomen huius ſeruæ Dei

euectum, & per viciniam diffusum percrebuerat, vt vndequaque discipulæ in eius Parthenium confluerent; Deo nimirum tacitis impulsibus incitante, vt quantociùs per numerum consentaneum interior Conuentus stabiliretur, fabricaretur exterior, provt re ipsa parui temporis interiecta mora successit. Huc pariter referendæ sunt matronæ non paucæ clarissimi generis, maximarum opum, eximiæque pietatis, quæ conspicuo fulgore virtutum, piaque collocutione eiusdem seruæ Dei illectæ, summo semper eam cultu, obsequio, beneficentia sunt prosecutæ. Cedat in exemplum benignitas semper augustæ, & semper piæ Reginæ Annæ Austriacæ, quæ apud Annam Margaritam Præpositam prandere in Monasterij penetralibus gauisa est, eandemque habere prandij ministram, dum interim à contemplanda ministrantis modestia lumina nunquam amoueret.

Quomodo se gesserit Expræfecta Monasterij.

CAP. XXVIII.

EXpleto iam Præfecturæ sexennio, ab ea secedere, non tam statuto Ordinis, quàm proprij genij voto oportuit, succedente sibi Franciſca Hieronyma de la Villette, quæ admirans incomparandam Præpositæ humilitatem, patientiam, charitatem, placiditatem, orandi studium, testata est, nil sibi, licèt fœminæ multorum annorum, & longæui regiminis, occurrisse simile, nempe vidisse omnium matrem anteire cunctas ad communes labores, & ad omnem regularem obseruantiam, ac si adhuc esset de choro nouitiarum. Eò quippe in primis animum direxerat Expræfecta, vt ad elementa nouitialia rediret (vt secundo libro constabit ex eiusdem epistolis) æstimans summi decoris, & glorioſi spiritus esse, hominem, quantumvis illustratum magnis splendoribus virtutum, & spiritualibus disciplinis, ad ipsa initia vitæ religiosæ reuocari.

Defuncta officio Præpositæ, mentem, otiumque omne seriò vertit ad demandatam sibi à Superioribus descriptionem eorum,

Digitized by Google

rum, quæ antehac ſibi contigerant, deditque poſteris nonnulla monumenta ſcriptione Gallica, ex quibus hæc hiſtoriola pro maiori parte compacta eſt. Ego illa hoc loco titulo tenus afferam.

Opitulationes Sacratiſſimæ Virginis Dei Genitricis erga pio, ſinceroque corde illam inuocantes: continetque hoc opuſculum primordia vitæ, & educationis ſuæ, donec in Cœnobium tranſiret, & ſimul acta Cœnobij, vſque ad profectionem Aurelianenſem.

Breuis narratiuncula miſſionis Aurelianenſis ab anno 1620. vſque ad annum 1631. Vbi de erectione Monaſteriorum Aurelianenſis, ac Montargienſis: fuſiùs autem de diuinis communicationibus vſque ad annum 1631.

Patrocinium diuinæ prouidentiæ erga confugientes ad ſe ſub alis Beatæ Virginis, vbi de erectione Monaſteriorum Montiſargi, & Meloduni.

Codex cæleſtium theoriarum, ſeu contemplationum, ab anno 1638. vſque ad annum 1658.

Ingentes faſces epiſtolarum ad Directorem, & alios, quibus reddit rationem actuum internorum.

Reminiſcere quod ſuprà adnotauimus, nonnulla ſuper myſteriis Canticorum Salomonis ab ea fuiſſe conſcripta, quæ iubente Matre de Chantail ignibus fuere tradita.

Extant præter hæc fruſtula non paruipendenda diuerſarum rerum, quas ad iuuandam memoriam ſolebat chartis committere, quales ſunt, Fructus ſolitudinis, Methodus innouandæ vitæ, & alia.

Morbi, & mortis præludia.

CAP. XXIX.

SEnſim ad vitæ periodum, & ad oſtia mortis appellimus. Illuc antequam inferam calamum, inſinuaſſe iuuabit, quod in diſ-

quiſitione vitæ ſeruorum Dei, decreto Vrbani VIII. Summi Pontificis indictum eſt: videndum nimirum eſſe, qualis fuerit vitæ exitus, & qualibus circunſtantiis ſanctitatis munitus, eo quod in hoc articulo magnum cauſæ pondus conſiſtat. Perſeuerantia enim protracta vſque ad finem vitæ, opus eſt laborioſiſſimum, diuturnitate ſua tædij, atque moleſtiæ plenum, coronam conferens perfectionis. Iam verò, ſicut ex antea dictis liquidò patuit Annam Margaritam, ab ea, quam adoleſcentula domi inchoauerat, mentis rectitudine nunquam deuiaſſe, neque receſſiſſe ab eo viuendi ordine, quem in Cœnobio aſſumpſerat: ita neque in vltima ſenecta, & ſub ipſum finem vitæ inter infeſtiſſimos ægritudinis dolores (quantum extremæ reliquiæ virium paterentur) defecit. Propter corporis ſalubritatem inſuauia ſenſibus minimè ſubterfugit, ab obedientia, à ſuo tenore patiendi, à diuinis contemplationibus, & à cuiuſvis generis virtutum praxi nunquam deſtitit, nunquam miniſtrantibus reſpondit, *Non placet*. Quod ſi non placeret, illæque inſtarent, ſubmiſſa flexit arbitrium ſuum, egregia obedientiæ monumenta ſociis, poſteriſque, ſi imitari velint, relinquens, provt lectione ſequentium notum fiet.

Monendum hoc loco pariter habeo, æſtum amoris diuini abſumentem præcordia huius virginis, extitiſſe radicem, & cauſam primam inualetudinis ſuæ, fuiſſeque efficaciorem ad extinguendam vitam calorem amoris, quàm calorem febris; cognita ſiquidem erant apud Medicos morborum ſymptomata, ſed non recognita bene cauſa. Primùm naturæ principiis origo morbi fuit attributa, tum re clariùs perſpecta, exceſſibus amoris; conſenſitque, quod illa inter ſecretiores confabulationes plus ſemel fatebatur, ardorem videlicet febris ab amoris violentia, non à naturæ radicibus ortum habuiſſe. Eius veritatis certum, & exploratum fundamentum innuens Angelicus Doctor 1. 2. *q.* 28. *art.* 5. ait, quod quamuis anima per amorem coaptata, & agglutinata bono ſibi conuenienti, maiorem inde perfectionem, vireſque lautiores trahat, læditur tamen non parum ab immoderato illius exceſſu propter violentam corporis immutationem, eo prorſus modo, quo organum ſenſus à fortiùs irruente præſentia validi obiecti hebetatur. Hinc eſt quod

quem

Digitized by

quemadmodum non rarò videmus ſenſum propter noxiam vim obiecti deficere, exemplo quoque conſimili experimur ſenſus internos, langueſcentes ex violentia amoris, ſuccumbere, quos nimirum extra ſe raptos amor per vim aliò transfert. Hanc quoque veritatem vide quibus verbis ipſamet exprimat in epiſtola ſub die 23. Martij 1658. *Repentina, eaque acutiſſima ſagitta amoris diuini ſauciatam eodem momento me ſenſi; vulnus reverà excepi, quo id modo, non percepi. Quare ex eo tempore pectus meum torretur duplici igne, & flammis inter ſe valdè diſcrepantibus. Ignium alter naturalis eſt, alter ſupernaturalis, lucta interminabili mutuò contendentes. Hic irrequietus ſurſum ad Deum tendit principio quærens coniungi ſuo, & cupiens exſolui de hiſce retinaculis carnis; præſtat enim Deo per mortem iungi, quàm per vitam ſeiungi. Ignis alter exedit ſtomachi virtutem omnem, membra debilitat, & imbecillitatem parit intolerabilem.* Inferiùs autem: *Si me hinc migraturam euocet Deus, ores velim, vt actu amans inteream, perfodiente ſcilicet pectus meum lethali ſpiculo amoris.* Sed quid ego exempla litterarum congeram, eùm teſtimoniis omnes ſint plenæ? Hîc ſponſus martyrem amoris appellat, ibi ſociam eligit ad paſſionem, &c. Contraxit autem iſtas ægritudines, partim dum tela pateretur amoris, partim quia cogente amoris ſtimulo, dura, & aſpera ſupra vires fœmineas aut agebat, aut ferebat. Properantem iam ad extrema ſequamur.

Igitur quæ ab ineunte ætate per innatam corporis conſtitutionem, per victus continentiam, & imperturbatam animi ſerenitatem ad ſenectam vſque firma ſemper, & integra ſanitate potita fuerat, licet ſanitati nullatenus ſeruiens, aut parcens, cœpit anno ſexageſimo ſexto vitæ ſuæ nonnullis morborum incommodis concuti, quæ quod corporis firmitati detrahebant, in maiorem animi fructum, & lætitiam refundebant, dum per ea propè adeſſe exilij expectatum finem præſignatur. Profectò quod hominibus afferre ſolet grauem amaritudinem, id huic ſeruæ Dei in delicias ſuauiſſimas verſum eſt, & priſca illa fames, ſitiſque patiendi, patiendo irritata potiùs eſt, quàm depulſa. Euntibus deinde annis creuere quoque morborum damna: exarſit atroci febre, ſanguinis ad nares fluxu, & humorum ad pulmones allapſu, tandemque cœpit abire in crebra deliquia, viribus iam vacua, non tam morbi, quàm vti

diximus, amoris rigore. Attamen attrita malis, ingenio fœmineo fortior, priſtinum orandi modum retinuit, & ſaluti ſpiritus magis, quàm corporis fauens, potiùs paſſa eſt vitam in diſcrimen venire, quàm conſueta Religionis officia interrumpi: vnde, quæ ægrotanti diu, noctuque aderat cuſtos, ſtupens mirabatur quonam pacto poſſet inter tot ſibi inuicem ſuccedentia deliquia maximam partem noctis ſolitis cum Deo contemplationibus dare. Si quando verò à morbi cruciatibus reſpiraret, illicò, quantum ſineret corporis ſarcina, ad aſſueta, & communia vitæ religioſæ exercitamenta redibat.

Increbreſcentibus poſteà vomitibus, febri continua, & duplici eryſipelate in vultu, vita in dubium venit. Hinc iteratæ ſanguinis miſſiones, & ex his formata hydropiſis, minimè abeunte veneno eryſipelatis. Nihilominus quo die ſolent eius Inſtituti Alumnæ coniunctim, ac publicè emiſſa iam vota Religionis firmare, idem præſtare cum aliis enixa eſt Anna Margarita, turgido adhuc vultu. Grauatè quidem fœmina regebat corpus confectum ætate, auſteritatibus, præſentibuſque malis; at ſexu, ætate, & malis ſuperior, tantùm diuini amoris, atque fiduciæ in pectore clauſum habebat, vt inde virium pluſquam opus eſſet ad id officium, traxerit; & ſi aliàs vnquam illuſtribus factis cœtum ſociarum exædificauit, nunc in admirationem rapuit. Stetit nixa genibus toto ſacro, oblatam languenti ſedem repulit, preces abſoluit diſtentis in crucem brachiis, nil minus quàm ſoleret validior, vt potiùs vacua, quàm oppreſſa malo videretur. Quid, quod licèt ex eo tempore fatigata pondere corporeæ molis totis diebus decubuerit, feſtis tamen nunquam non audito ſacro? Repugnant Medici, & caſum minantur periculoſiorem; nihilo ſecius vt ſibi cum aliis ad rem ſacram conuenire liceat, impetrat importuna, metuentibus Medicis maius ex denegata licentia detrimentum, quàm ex itineris labore, vetuſtæ, ac benè radicatæ virtutis indicium. Huc pertinet, quòd debilitatem corporis, & omne vitæ periculum paruiducens, petierit à Præpoſita intereſſe officio, & rei ſacræ in nocte Natiuitatis Domini: ſuadebat quidem deprecantis oratio, diſſuadebat tamen virium defectio, ac proinde nil niſi repulſam à Matre tulit; ſed quod rogatu non obtinuit, patientia tandem, & importunitate aſſecuta eſt; etenim

Præpo

Digitized by Google

Præpoſita aſſiduitate precum fatigata, lætam, & hilarem, data licentia dimiſit, ne pertinaci repulſa religionem rogantis affligeret: ſic illa magno pietatis feruore ad ſacrificium nocturnum, iterumque die poſtera ad matutinum, & identidem ſequentibus feſtis deſcendit. Greſſum turgentia, & debilitata membra præpediebant, expediebat vigor pietatis pro diuini cultus opere, & ſi ardorem diuini amoris tollas, vix aliquid coloris in hydrope reliquum erat. Quibus verò diebus ſacrificio Miſſæ adeſſe nequiret, eius myſteria mente, & affectu percurrebat ſola, ac ſi præſens interfuiſſet. Statum officium Beatiſſimæ Virginis nulla non die perſoluit, poſito, niſi prohiberetur, in terra poplite vtroque; nec antea prætermiſit, quàm membrorum diſſolutio vocem faucibus, linguæ, labiiſque motum morienti eripuerit.

Quis hic reliqua virtutum inſignia proſequatur, obedientiam, patientiam, mentis aſcenſus ad Deum? Latiùs ego clariſſimam omnium virtutum imaginem, quàm ægrotantis effigiem appellauero. Facilis omnem Medicorum, Præpoſitæ, necnon cuſtodis legem accipit, poſthabita ratione omni præterquam obedientiæ. Abſente cuſtode potionem hauſit amariſſimam; redeunti, & percunctanti, cur tantoperè amaram ſumpſiſſet? reſpondit, ſuſpicata ſum ita à te volitum. Noctu vigil effuſis amoris habenis cum Deo tacitè de more agebat, erumpentibus tantùm ſuſpiriis, aut vocibus interruptis, quibus impetus, ardorque amoris aliquatenus mitigaretur. Sed monita poſſe inde perturbari requiem iacentium in valetudinario, ſuſpiria, voceſque continuit, clauſum in pectore amoris ignem ſinens concaleſcere. Ægritudinis diuturnitas nullum vnquam lamentantis verbulum extorſit, dolorum acrimonia nullam fronti rugam impreſſit, aut triſtitiæ ruborem in ore formauit, dulci ſemper affatu audientium auribus detentis, ne de ſociarum commiſeratione quantulumcumque ſolatij ſibi captaret: ab inducendo ſermone de genere, de vi, de curatione morborum ſuorum abſtinuit, altitudine mentis mœrorem coërcens, doloreſque ſuos gaudens intus concoquere. Ne verò contubernalibus oneri eſſet, nocturnas circum ſe vigilias fieri etiam ſuprema nocte vitæ repudiauit.

Quantum coniectura aſſequi licet, diem imminentis mortis præſen

præſenſiſſe æſtimanda eſt, conſtanter confeſſa ſe in Feſto Sanctorum Innocentium, ac Beati Franciſci Saleſij, præſtantiſſimum omnium antiquorum beneficium conſecutam, quod cùm aliter nullo modo appareret, de exoptata mortis reuelatione, ac de felici tranſitu ad ſponſum, dictum putauimus, provt ipſamet ſubinde confirmauit, aſſeuerans, ſe intra eiuſdem Beati Franciſci Octauam è viuis egreſſuram, & æterna beatitudine potituram. *Quàm beata pace* (aiebat) *quàm perfecta quiete frueris anima mea! Non ibi dumtaxat erit tranquillum mare, ſed erit mare tranquillitatis.* Cui valde etiam conſentaneum eſt, quod paulò antè affirmabat: *Ea pacis perfruor abundantia, quam nulla ventorum vis, aut turbo poſſit amouere, aut minuere.* Dictabat præterea Epiſtolam breuiuſculam, admonita per ſcribentem nimiæ breuitatis; *Sat eſt*, reſpondit, *reſcindenda ſunt mihi colloquia in terris, habenda copioſiùs in cælis.* Medicis ſuadentibus atque ſpondentibus longiorem vitæ tractum, vt illam de proximæ mortis opinione dimouerent, incerta Medicorum iudicia neglexit, deriſitque falſa auguria, ſubdens. *Quod ego patior, Medicos latet, ſoli Deo perſpectum eſt: non eſt vltra mihi libera, & anceps via ad vitam, aut ad mortem. Quamcumque tamen aperuerit Dei arbitrium, lætanter ingredi præſto ſum.*

Ipſo die feſto Beati Patris Inſtitutoris, ad domeſticum eius ſacellum maximo conatu ſupplicatum conſcendit; diebus cæteris ab aſcenſu ſcalarum prohibita, ſiſtens ad radicem graduum, communibus ſupplicationibus iungebat ſuam, rata ex eo conſortio permultum meriti ſibi augeſcere. Sed in die Circumciſionis Domini annum aperientis, ſacro adhuc, & ſynaxi in choro interuenit, felici quidem euentu, mira videlicet oris alacritate, frontiſque non ordinaria ſerenitate, manifeſtè propalante tacitos, beatoſque animi ſenſus.

obi-

Obitus, & quæ obitum ſecuta ſunt.

CAP. XXX. & vltimum.

INterea flacceſſebat, deperibatque quicquid eſſet virium, & finitimæ mortis ingruebant prænuncia: quocirca vt ad oſcula ſponſi faciem perferret omni parte illibatam, ad pedes Sacerdotis, ſi quæ adhuc ſupereſſent humanæ fragilitatis reliquiæ, abſtergit, genibus quidem flexis, donec deteſſæ propter longam moram appoſita eſt ſedes. Conſtanti dein pectore, genibus iterum innixa, & brachiis extentis impoſitam pœnitentiam perſoluit, præmuniri poſtulans reliquis Eccleſiæ Sacramentis. Noctem illam penè totam inſomnem inter alloquia ſponſi pertranſiit, huiuſmodi vocibus eum compellare interdum audita: *Supplex inuoco te, obſecro te, adiuro te Numen benigniſſimum ſponſi mei, iungito me tibi, præter te nil opto. Trahe me, heu! trahe animam ad te meam: vita mea præbe exilio finem, & greſſui viam, vt me integrè poſſideas, & ego te: fac placido itinere inter agmina cæleſtia deducar. Vt quid adhuc terram premo inutile pondus?* Non illa ſonos vocum, ſed rutilantes carbunculos emittere viſa eſt, quibus adſtantium pectora mirificè incendebantur, potuiſſentque faces illæ ſaxea, & gelidiſſima corda teneritudine, ac dilectione Dei emollire. Interrogata cuinam verba faceret? reſpondit; *Ad pedes ſponſi mei crucifixi.* Monenſque celerem inſtare mortem, iterum rogat adminiſtrari ſibi extrema morientium præſidia.

Itaque mane ſummo præſentiſcens adeſſe vltimum vitæ punctum, cœpit vehementiùs efflagitare prærogari ſibi Euchariſticum pro Viatico, vt per præſentiam ſponſi tutior fiat animæ egreſſus, & eodem duce ſecurior in cœlum ingreſſus. Viaticum deferente Sacerdote exclamauit ardore Seraphico: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:* & qua decebat reuerentia, fiducia, & amore oblatum recepit, coram eo firmauit religioſa vota, Apoſtolicam indulgentiam, atque benedictionem Ordini collatam adepta eſt. Poſtremò ſibi ignoſci poſtulauit à ſociis de hactenus illatis offenſis, veniam petens vbi ma-

Digitized by Google

ximas laudes promeruerat. Rogata aliquid ad communem ſodalium profectum proloqui, breui ſermone, qui quaſi de lacteo fonte manabat, ad perſeuerantiam, concordiam, plenam obedientiam, atque ad mutuam charitatem, & diuinorum beneficiorum memoriam cohortata eſt. Teſtata læto ſe exitu ab eis ſecedere, eo quod domum bene compoſitam, & familiam Deo acceptam relinqueret, nonnihil etiam lætitiæ præferens ex eo, quod ſpiritum eſſet redditura inter brachia eius Præpoſitæ, quam Omnipotenti Deo ab infantia educauerat. Et hic loquendi, ac agendi finis. Tunc vergenti ad extrema adhibetur vnctio Olei ſacri, facultatem reſpirandi producente Deo, donec ſicut malo oppreſſa, ſic'ope Sacramentorum fulta excederet. Exceſſitque tandem, & religioſa, Deoque gratiſſima victima dulciſſimè ad exoptata loca, & ad deſideratos amplexus ſponſi (vt ſpes eſt, & publica fides) euolauit hora octaua matutina, die tertia Ianuarij 1662. relicto terris exanimi ſpolio, quod antiquam oris maieſtatem, & decorem ſeruans, viuentis, non emortuæ ſpeciem exhibebat.

Abeunti Matri redditæ ſunt communes lacrymæ, & pro illius requie communes ſupplicationes. Ad claudendos oculos nons fuit aduocanda cuiuſpiam manus, quos nouitia didicerat deiectos, & ſuis tegumentis obductos geſtare, ne quid mali per has ſpeculas in animam irrueret, etiam moriens ſponte contexit. Sed ſuos ſponte tegens, quantis ſuffuſos lacrymis oculos ſociarum dimiſit! Odoribus pretioſis ad abigendos fœtores non eguit, gratiſſimam ſuaueolentiam de corpore longè, lateque euaporans, quam ſorores tum generatim omnes, tum nonnullæ ſeparatim euidenter percepere. Denique parentatum illi eſt, permixtis hilaritati fletibus: decidiſſe columen Monaſterij nulla non deflet; Matrem emigraſſe ad cæleſtes manſiones nulla non ſperat, nulla non gaudet; totaque domus viduata ope viuentis, maius è cælis emortuæ patrocinium ſibi promittit.

Fit eodem tempore innumerus ex vrbe concurſus, & quæ dum viueret omnium ad ſe trahebat aſpectum, potentiùs traxit mortua. Nil de vultus ſplendore, & modeſtia immutatum mirantur omnes; non enim exanimati cadaueris liuor cinericius, ſed orantis viua ſpecies ſpectantibus offerebatur. Eſt qui tacita cordis inuocatione eius implorat opem, vtpote poſitam credens

Digitized by Google

dens in Regno Beatitudinis: eſt qui vulgò proclamat ſibi magè neceſſarias Annæ Margaritæ apud Deum deprecationes, quàm illi ſuas. Palam audiuntur elogia virtutum, palam recenſentur acta pietatis, data documenta, & ſanctiſſimæ vitæ non vulgaria exempla. Paſſim petuntur eius reliquiæ, aut ſaltem coronis contingi corpus, quaſi certiſſima antidota aduerſus omne malorum genus. Corpus in choro humatum iacet propè feneſtellam Communionis, quod dum plerique venerantur, expetita à Deo beneficia reportarunt.

Non auſim de poſtremis huius ſeruæ Dei geſtis excludere, quod morti iam proxima egit pro redimendis veteribus culpis incautæ locutionis, & inanium verborum. Litterulam ad ſorores manu ſua ſcripſit, reliquitque in ſcrinio poſitam, deprecans, vt poſt mortem ſuam earum quælibet, vno die, cum bona venia Præpoſitæ, ſilentio ſe ſubigat, quo tranſacta errata ſolutionis linguæ ipſius caſtigentur, & ea taciturnitate præterita loquacitatis detrimenra reſarciantur: futurum pollicita, vt pia hæc damna ſilentij multo fœnore gratiarum à Deo compenſentur. Siluiſſe alienæ quidem charitatis opus fuit, exegiſſe cautæ prouidentiæ Annæ Margaritæ.

IDEÆ DIVINÆ BENIGNITATIS LIBER SECVNDVS:

De diuinis communicationibus.

MEMORIA hîc primùm repetantur, quæ antecedenti libro deſcribuntur de primitiis diuinæ communicationis, *cap.* 16. quæque referuntur de magnifico eiſdem communicationis incremento, *cap.* 20. viam procul dubio ſternent ad intelligentiam, fidemque eorum quæ venientibus temporibus contigere. Quo loco primùm occurrit ſolitudo in decliuio anni 1629. in qua ſerua Dei maculis anteactæ vitæ egregiè expurgata, ſimilem ſe conteſtabatur eſſe terræ nouali, cuius nimirum tribulos, ſpinas, & ſentes manus Cœleſtis Agricultoris conſumpſerat admoto igne amariſſimæ contritionis, funditus etiam extirpatis radicibus ſarculo, & ligone cæleſtis auxilij, ne poſthac contingeret adhuc ſuppullulare ſurculos vitiatos. Addens allatam inſuper cœlitus fuiſſe, & iniectam nouam ſementem ad frugem vberiorem; auſa etiam dicere, nihil propriæ voluntatis apud ſe ſupereſſe, nil cordis, nil ſui, ſed tanquam à ſe dilapſam, in priuatam rem, ac poteſtatem Dei Optimi Maximi pertranſiſſe, habereque in ſpiritu ſuo ſpiritum alterum rectorem, ac dominatorem ſui. Tunc cœpit obſcura Sacramenta Trinitatis, ac Verbi Incarnati pleniori lumine diſcernere, calidiores ignes Spiritus ſancti concipere, indeſinenter refici præſentia, & blandimentis ſponſi, denique bonis cæleſtibus copioſiſſimè augeri. Petamus iſta de ipſius Epiſtola ad Matrem de Chantail.

Epiſto

Epiſtola narratoria ſolitudinis ad Matrem de Chantail, Fundatricem Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ. 1629.

REuerenda Mater. Vrget me tempus, ne vlteriùs differam, quas tibi iamdudum debui ſolitudinis noſtræ rationes. Venio poſtrema, ne tot faſciculis litterarum grauata meas ſuſtinere nequires : minimè enim dubito, quin ad te vndequaque litteræ confluxerint. Boni quæſo conſule, dilectiſſima Mater, & quod tardiùs, & quod nunc prolixiùs ſcribo. Maturiùs cæteris ego in ſolitudinem ſeceſſi : vix credas quanta in me morum facta ſit mutatio, partim dum in ipſa ſolitudine quieſcerem, partim ea peragrata : dexteræ Dei opus, ac molimen fuit. Ego nedum verbis tibi, ſed nec animo mihi, rem provt eſt, repræſentare queo ; ſpiritus meus tenuior, etſi experientia edoctus, non ſatis comprehendit, quî id factum ſit. Faueat ſcribenti Deus, vt aliquid tibi Matri meæ, licet obſcurè, innuam.

Primo loco conſcientiam ab anteactæ vitæ malefactis generali luſtratione expurgaui ; qua in re nullum puto remanſiſſe indiſcuſſum latibulum, vbi retruſum remanſerit aliquod malorum genus, ſiue de iis, quæ in aditu Cœnobij olim poſueram ad aures Sanctiſſimi Patris, ac Fundatoris noſtri ; ſiue de iis, quæ poſtmodum conſecuta ſunt. Id ſollicitudinis non tam probatum aliquibus priùs apparebat, & ipſa ſuperfluam curioſitatem metuebam : feci tamen conſule Patre, ac Præfecto noſtro, cuius iudicio rem omnem ſuppoſueram ; apud eundem paratam expiationem feci, explicatis cunctis penetralibus, atque receſſibus animæ meæ. Quatriduum tribui huic ſcrutinio, & actibus pœnitentiæ. Fateri cogor multa mihi ante oculos poſita fuiſſe, quæ quondam tenebris tecta latebant. Addidit quoque Deus noui luminis radios, quibus diſcernerem non ipſas tantùm fœditates meas, ſed & earum capita, & ortus. Vidi namque triplici de fonte deriuatas, nempe à philautia, ab animi elatione, & à deprauatione voluntatis. Haud facilè

Digitized by Google

explicare queam in quàm profundos dolores proiecerit me, ac protriuerit diuinæ iuſtitiæ indignatio; ſed neque edicere, quanto pudore erubuerit mihi frons, eo quod oblatis à Deo ſubſidiis ita languidè vſa ſim, immò etiam tot obices poſuerim. Inter hæc mala vnicum mihi fuit perfugium in lacrymis, & in multiplicatis ſine numero ſuſpiriis. Perturbauit autem, & præ cæteris pupugit pectus meum reminiſcentia benignitatis ſuauiſſimæ Dei, cuius ego beneuolentia, ac beneficiis tam largè, ſed & inutiliter fruor: propter quod ipſa inferorum ſupplicia viſa ſunt mihi leuiora, quàm mereantur errata mea: nec tanti æſtimaui iacturam beatitudinis æternæ, quanti detrimenta amicitiæ, & gratiæ Dei. Cæterùm ego iàm nullum adeò funeſtum caſum formido, quàm illam eandem infinitam benignitatem lædere tantillo, ne dicam amittere.

Inuicta tamen Dei in calamitoſos clementia, firmiores mihi animos reddidit, tranſmiſſis in me fructibus Paſſionis Dominicæ per Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: quod ex eo colligo, quia ſucceſſit pax animi ſumma, quies imperturbata, interior ſpiritus lætitia, & comes quædam, dulciſque cordis pœnitentia. Viſa eſt, vt arbitror, non iniucunda Deo meo recens iſta excuſſio ſordium mearum, fuiſſeque in expectatione, vt ſe poſt eam nouo, eminentiorique modo miſellulæ communicaret. Quibus potero verbis explicabo me, ſciens verbis non bene ſatisfieri eiuſmodi rebus: non deeſt mihi ſenſus, ſed deſunt verba; loquar vtcùmque ſciuero.

Poſtremis diebus ſolitudinis, excuſſis iis meditationum generibus, quæ apud nos ſunt familiares, in id conſilij veni, ſenſique me inſolitis motibus à Deo ſollicitatam, vt omni ſtudio, atque contentione obfirmarer in ſolida praxi virtutum, humilitati cordis ſtuderem impenſiùs, propria carnis, ac ſpiritus ſolatia effugerem, caſtigarem indictas à natura, vel ab habitibus propenſiones malas, diligerem contemni, gloriæ Dei incumberem, atque eius patrocinio ſecurior inniterer. Viſus eſt ille recepiſſe me in fidem ſuam, & ſpopondiſſe ſemper præſidio futurum. Illicò interceſſere tam viuidi ſenſus præſentiæ, & amoris Dei, vt à me ſuſtineri nullatenus poſſent: cor laterum compreſſione arctatum ampliorem, liberioremque campum ſibi quæritabat ad capiendas, ſuſtinendaſque tum conſolationes,

tum,

Digitized by Google

tum iunctos animo dolores. Quonam modo, aut qua præcisè vi id actum fuerit, non probè diſtinxi; nam ſimul atque cogitatione conuertebar in bonitatem, in amorem, aut in aliam quamcumque Dei perfectionem, ſubitò in maximas affectuum agitationes rapiebar, ſuppreſſa omni rationis, ac voluntatis actione propria. Tantùm mihi fas erat adiungi, & ſubeſſe volitis Dei, qui validiſſimo dominatu totas vires animæ meæ tanquam à me diſiunctas in ſe tranſtulerat, tenebatque ſibi fortiter concatenatas. Quo loco occultauerit me, dicerem, ſi noſſem; nam de tenui tantùm filo pendere videbatur vita mea. Hoc vnum liquet dicere; abſorptam me ſenſi in Deo, dum inſignia quædam opera ignota captui meo operaretur. Nonnunquam recreatam maxima animi iucunditate adhuc blandè demulcebat illecebris multis, verbiſque leniſſimis, ac amatoriis, qualia ſunt; *Tota mea es, totus ego tuus*; & his ſimilia. Quandoque velut chariſſimam pupulam ſinibus ſuis aſtrinxit, promiſitque ſeruaturum à lapſu brachio protectionis ſuæ.

Peracta videntur iſthæc omnia in ſuprema parte animæ, quamuis interdum nonnihil reſilierit in inferiorem: non quidem per eas conſequentias, quas olim tibi notas feci, corpori, & animæ infeſtas. Diuinæ iſtæ communicationes potiùs compreſſiſſe videntur cunctos motus aduerſos, aboleuiſſe ludificationes phantaſmatum, vertiſſeque omnia in ſimpliciſſimam puritatem cordis, & corporis, atque in caſtiſſimum amorem Dei. Vix, aut rariſſimè occurrit mihi vti rerum imaginibus, ſeu ſpeciebus; ſentio enim mentem meam purgatiſſimam, tota res agitur verbis, & colloquiis, Deo animam, & anima Deum alloquente. Nihilominus in ſermonis mutuam communicationem non niſi iuſſa venio, in eo nempe congreſſu, & in conſpectu tam excelſæ Maieſtatis tanta premor verecundia, & confuſione, vt oculos attollere vix audeam; corripiorque magis in incredibilem admirationem, aut ſtuporem, quoties inopias meas diuitiis bonitatis, & amoris Dei comparo. Quare ſæpenumero retrudo me in nihilum meum, & coram meo toto vt cera ante prunas liqueſco.

Moris eſt, vt totæ tres Perſonæ Beatiſſimæ Trinitatis in me operentur interdum vnà omnes, interdum verò vna, aut altera. Porrò quoties lumina voluo in ipſum Dei Verbum, ſine cunctatione

tione in illud pertrahor ſublata potiùs, quàm mota. Vulnerauit quippe animam meam ita ſpeciali, ac potenti iaculo amoris ſui, vt quid ego de ea re cogitem, quidve referam tibi vnicæ Matri meæ, ignorem. Non vt aduentitia hoſpes verſor cum illo, ſed vt incola ſedeo perpetuò in latere, vel in corde Saluatoris mei, qui me in eo loco vti domeſticam retinet, penè dixerim ad delicias ſibi. Auguror inde parari mihi de cœlo neſcio quam occultam crucem, & quaſi ex ſpecula proſpicio futuram alicunde tempeſtatem. Sed Maximus ſcrupulus, & permagnum nefas mihi eſt immorari huic cogitationi; ſpiritus enim, qui inſidet animæ meæ, cuſtos cordis, obſeruatorque actuum, & cogitationum mearum, ſi quando me diuagari abs ſe viderit, quanta eſt longitudo Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, velociter, & acriter carpit me. Sed me miſeram! quoties ſtolida in eam defectionem labor? Erigor tamen ſubinde in bonam ſpem miſericordiæ ſuæ, licet non ſalua verecundia, pudore fiduciam, fiducia pudorem comitante, & accedente feruentis precis contentione, qua debilitati, atque inſipientiæ meæ indulgentiam peto. Tuncque Benigniſſimus ille Pater, Creatorque noſter, facilis priſtinæ reſtituit gratiæ, & conſumptis erratis meis igne amoris ſui, qua priùs bonitate fauebat, fouet. Penè obliuiſcebar monere te, quod præuenta magnis illis motionibus Dei, noctes tranſigo ferè inſomnes, ad tres, aut quatuor horas tantùm dormiens: quodque admiratione non caret, euigilans à primo ſomno, ſomnum repetere etiam prouocando minimè poſſum; opprimor enim ea violentia diuinæ virtutis, vt nulla vi reſiſtam, vnde aliquando corpus meum ſenſi paululùm viribus extenuatum, & ſoporatum in hymnodia matutina. Inſuper cibus præſentiæ Dei, quo mens mea alitur, ita replet cor meum, vt eſca vti cogar tenuiſſima, & longè inferiore ſolito, alioquin ſtomacho non coquente opprimeretur robur corporis: alimenti tamen tantum adhibeo, quantum pro neceſſitate ſatis eſt.

Eiuſdem penè tenoris fuit meus cum Deo vſus, meæque vitæ tractus ab exitu ſolitudinis, niſi quod à ſeptem, vel octo diebus experior aliquid lenius, pacationem animi, tranquillitatem, & motiones Dei paulò mitiores. Non rarò tamen ſuſcitantur, ſed ea in menſura, qua ex arbitrio ſuo dimetitur

metitur Deus. Præcipuus autem amoribus nostris locus est in synaxi; ibi illustriora lumina, ibi feruidiores ignes, & robustiores sensus concipio de ipsa corporea præsentia Dei mei. Eo tempore, ausimque dicere, aliis pariter horis rarissimè euenit seiungi ab illo, astrictam quippe tenet vinculis dilectionis, dulcedinis, ac familiaritatis suæ; exacuens etiam persæpe me ad altiorem perfectionem, & ad laboriosam culturam gratiæ suæ.

Habeo præter hæc etiam illud bonum à Deo, quod per hæc non prohibeor à data cura Monasterij, cui intendo quàm possum diligentissimè, non quidem pro debito, sed pro viribus. Si qua tamen parte administratio recta est, & laudabilis, Dei est; sic enim definio, omne malum à me ipsa, omne bonum à Deo proficisci. Eius idcircò sub patrocinio cuncta mea repono, rogans conferre mihi opem, qua omnia ad eiusdem placitum conficiam.

Ad maiorem profectum, statutum est in animo mihi, tueri regulas nostras omni obseruantia, pluris facere doctrinam Beati Patris nostri, ac tuam, institutionesque Ductoris nostri, cui de propinquo candidè manifestata facio singula cogitata, operaque mea. Hortatur ille me perquàm frequenter, & exstimulat ad arctam custodiam earumdem regularum, eniti ad humilitatem omni conamine, diffidere mihi ipsi, & submota omni pugna, cunctas Deus voluntates complecti. Optat autem, & petit vniuersales rationes animæ meæ ad se scripto referri. Ego id à recto alienum minimè puto, facio tamen inuita. Quamobrem dubium defero in iudicium tuum; intercedat quæso etiam authoritas tua, & quid in hac re sentias, doce; num præstet honesta aliqua ratione excusare me, an cœptam scriptionem prosequi, habere testimonium tuæ vocis percupio; ego enim, quantum mea est, nolim hæc secreta in lucem hominum aliquando venire; sat est esse nota Deo, & iis quos posuit mihi magistros. Scribendo longior sum, quàm par est, veneranda Mater, etiam, atque etiam oro benignitatem tuam ignoscere nescientiæ meæ, res serias paucioribus sincerè describere non noui, vt tu sincerè quoque quid censeas, filiæ tuæ adaperias. Quæso iterum te, secretò hæc accipe, & tecum secreta habe. Si me amas, fac ne inter alias supersit hæc epistola; vt legeris, consecra flammis, & vale.

Digitized by Google

ADDITIONES.

Optat autem, & petit vniuerſas rationes animæ meæ ad ſe ſcripto referri;] dicitur in calce epiſtolæ. Fortè non deſit qui cognoſcere deſideret, cur, & cui bono in dies exigerentur à ſerua Dei epiſtolæ teſtes cæleſtium harum çommunicationum, cùm vocalis expoſitio videatur ſufficere. Is citò ſciat, id multis, iiſque validiſſimis rationibus fuiſſe expetitum, præſertim in ipſis exordiis, antequam longo vſu, & examine conſtitiſſet de illarum origine, ſinceritate, boniſque effectibus: ſiquidem plerumque huiuſmodi ecſtaticæ actiones inſidiis, atque deluſionibus patent, putanturque à Deo colloquia, aut reuelationes, quæ dæmonis ſunt præſtigiæ, aut deliramenta fœminarum. Quamobrem non impetu præcipiti, nec de ſimplici dicto narrantis, ſed de ſcripto, velut de tabulis, poſt varias diſcuſſiones lis tanti momenti tutiùs dirimenda eſt. Volat namque irreuocabile verbum, at ſcriptis mandata manent, dantque, vt primis extrema conferens ſecurior ad diſcrimen veri, ac falſi pertingas. Minùs etiam perſpicua ſunt demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta. Adde quod ad inquirendas virorum doctorum ſententias idonea magis ſunt, quæ ipſius Authoris ſcripto referente habentur, quàm quæ alieno; longéque maiorem fidem conciliant ſignata Authoris manu, quàm quæ externa. Præter hæc ſuaſit hanc nobis viam teſtata magnorum virorum praxis, qui non tantùm in epiſtolas, ſed & in libros reduci voluerunt ab ipſiſmet acta propria Sanctarum Mulierum, vt à Beata Thereſia, Gertruda, Catharina Genuenſi, & aliis. Vnde ſi benè conſideres, magis conſcripta apparebit vita iſta ab ipſa ſerua Dei, quàm ab alio quopiam. Nobis ſanè maximo ſolatio fuere datæ epiſtolæ, quum adire, & de ore narrantis geſta excipere non ſemper eſſet vacuum. His adde nunquam, & à nemine iſthæc meliùs, aut veriùs exprimi, quàm ab iis, quos experientia cæleſtium theoriarum reddit diſertos. Quare Archiepiſcopus Senonenſis aliquando teſtatus eſt, ſe neminem vnquam reperiſſe, qui tam aptè, facilè, & verbis accommodatis diuinas illas communicationes exponeret, quàm præfata ſerua Dei; neque ſit poſtrema ratio, epiſtolas iſtas teſtes benignitatis Dei, plenas boni exempli, ac doctrinæ, poſſe permultùm

multùm ad aliorum eruditionem conducere; quod vt contingat, diuinæ ſit benedictionis. Quod dicit, Perſonas SS. Trinitatis egiſſe modò vnam, modò alteram; intellige factum per quandam appropriationem, & repræſentationem, cùm alioqui opera SS. Trinitatis ad extra ſint communia totis tribus Perſonis.

Vtplurimùm ſub horis ſilentij, quietiſve nocturnæ, quando, vt aiebat Iob *cap.* 40. ſolet ſopor occupare homines, fiebant iſtæ negotiationes inter Deum, & hanc famulam ſuam; nam violentia actorum ſoporem omnem pellebat. Vnius, ac alterius horæ erat veri ſomni menſura; & hoc tenore fluxerunt dies ſolitudinis, manente eorum ſenſu in ſequentes dies, vt indicant epiſtolæ ſubſequentes.

Epiſtola diei 15. *Octobris.*

PAuperculi cordis mei ita ſe res habenr, ac tu abiens reliquiſti, Reuerende Pater, nullo loco requiem adinuenit, nulla re ſolatium captat, quàm contemplando, deguſtandoque Deo, qui eſt vnicum centrum animæ meæ, vna quies, vnicumque perfugium in cunctis euentis huius mortalis vitæ. Externa negotia me tantillum à dulci eius præſentia trahunt, non tamen extrahunt; & iis expedita, citiſſimè ad ſupremum illud omnium bonorum confugio, mœrens quod à me neque pro debito meo, neque pro merito ſuo dignè ametur. O ſi amando plus Deo pectoris mei ſinus extendere poſſes, quàm immenſi gratiarum fructus tibi pro tali, tantoque beneficio à me redderentur! Ne tamen credas me omni puncto fidelem extitiſſe, per interualla minùs præſens, minùs intenta fui Dei conſpectui. Sed crede mihi, inexcogitantia illa mihi cariſſimò venditur, cùm afflicta nimis ad pedes eius erubeſco, defleoque obliuia mea, proſtrata, ac pudibunda; licèt magna mihi adhuc ſubſtet fiducia in Deum ex immenſa eius miſericordia, quæ flammis ſui amoris imbecillitates meas, vt ſpero, abſumet. Vale.

Digitized by Google

Epistola diei 30. Octobris.

INopinatò aduenere litteræ tuæ, Reuerende Pater, quum ipsa iam calamum digito premerem meas datura, quibus rogauerim te, vt si fieri posset, hac die adsis, & absolutionem impertiaris dextera tuipse tua, quæ mihi magnorum parens bonorum est, & diuinæ misericordiæ infusio. Petitionis meæ causas congruentiùs, & aptiùs verbo coram patefaciam, neque enim cuncta scripto exponere facile est, neque chartulis fidere tutum. Quæso ergo te venias, & arborem Crucis cum pendente fructu suo denuò plantes in visceribus cordis mei: illud sibi diuina bonitas nouis, & in dies maioribus officiis deuincit, deuinctumque strictiùs propè se tenet. Hac nocte, quantum satis est, quieui: licèt bonam partem noctis Dominus sibi vendicarit, alteram partem mihi benignè cessit, ita rogatus pro lata à te mihi lege obedientiæ; præcepto detulit ille tuo, & pedetentim progredienti sopori aditum fecit. At paulò post horam tertiam quasi mecum expergefactus, ad me, & ad opus suum rediit, quo etiamnum absque vlla cessatione detinemur. Vt hæc ad te scriberem, author est ipsemet Dominus. Repleat ille cor tuum sui amoris abundantia, & mentes nostras sibi coniungat. Vale.

Additiones.

Arborem Crucis.] Colloquium eius noctis fuerat de Passione Christi Domini, cuius Crucem Deus in visceribus seruæ suæ erexerat, & clauis ad cor eiusdem confixerat.

Epistola kalend. Nouembris.

NOn te præterit, Reuerende Pater, nihil esse opportunum magis, aut magis optabile animæ meæ cordis humilitate, cum stabili fidelitate. Cordis compressio ab hesterna serotina meditatione aliquantò fuit mitior, acrior autem in matutina, acerrima in synaxi, à qua vbi itum est ad mensam, manna illud spirituale nauseans consortium alieni cibi, ægrè permisit corpoream escam introferri faucibus, scilicet vt Christus sit

tota

tota animæ meæ alimonia. Expleat ille in me, expleam ego pro eo omne arbitrium ſuum. Hic vnicus ſcopus cordis mei, cui cætera omnia nullam præſtant, præſtabúntve vnquam in terris requiem, aut oblectationem. Vale.

Epiſtola ſecundæ diei Nouembris.

QVod expetis, promptiùs exequor. Quo ordine, quóve ſtatu repoſitæ ſint rationes cordis mei, cognoſcere cupis, obedientiam tibi dixi, obedientiam reddo. Quo me loco plus infra detrudam, non noui. Tam immoderatè miſellam ſubmergunt exundationes cæleſtium miſericordiarum, vt vbinam ſim, non ſatis diſcernam. Ab heſternæ litterulæ ſcriptione in hanc vſque horam nulla fuit reſpirandi mora, neque certò diſtinguere potui, vtrum ſomno refectum fuerit corpus, quamquam egeret plurimùm refocillatione. Id tamen magni apud me diſcriminis minimè eſt, nec ea me multùm mordet cura, arctóne, an laxo ſomno vtar. Quàm læta viderim hanc terream molem ſub humum cadere, ſpiritum verò ad ſuperna gaudia euolare, vocante Deo, cuius me clementia in dies magis purificatam potentiùs ad ſe attrahit! Vale.

Epiſtola diei quartæ Nouembris.

NIl langueſcit in me opus Dei, Pater mi. Operoſa ille, ac diuina de more agit, licèt nonnullam quietem cordi elargitus ſit, & cor eandem corpori dormitanti, atque per ſingula momenta mihi multò amplius ponderoſo. Sed quid ego rectiùs, aut meliùs optauerim, quàm vt ex voluntate Dei fiant in nobis omnia? Quærit ille ampla, magnificaque corda, ad quæ fluenta ſuæ bonitatis deriuet. Equidem meum ſentio nimis coarctatum, & quod peius eſt, meis viribus non ampliandum. Qui illud creauit, recreatque frequenter deliciis ſuis, reddat per charitatem latius, per humilitatem profundius, ibique dulciter, ac perenniter conquieſcat. Vale.

Digitized by Google

Epiſtola diei ſeptimæ eiuſdem menſis.

BEne precare, Pater mi dilectiſſime, animulæ filiæ tuæ, quam ſibi Dominus Ieſus amplexibus, & amore arctiùs aſtringit. Heu me! areſco in horas magis ſiti diuinæ bonitatis, quamuis tam exuperanter ebria videar, vt amplioris non ſim capax. Suſcitauit hos ſenſus heſterna meditatio beatitudinis eorum, qui eſuriunt, ac ſitiunt iuſtitiam. Accipe quo pacto id acciderit. Iam ille in oppiparo conuiuio Altaris vino ſuarum deliciarum inebriauerat me, ſed eo minimè contentus, demerſam in oceano ſuæ charitatis præfocauit, & præfocatam tenuit ad vſque extrema diei. Serò abnuebat mihi defeſſæ refectionem ſomni; annuit tamen, eo quod videret nimis attritam anteactis vigiliis. Hodie me magis tetigit dulcedo diuinæ miſericordiæ (erat enim pro themate matutinæ meditationis beatitudo miſericordium) quæ ſtimulis acta clementiæ ſuæ, ærumnas noſtras, egeſtates, contemptiones, & alia mille malorum genera ſponte in ſe tranſtulit, vt à miſeris mortalibus æterna ſupplicia auerteret. Me autem proſecutus placidiſſima oratione pollicita ſuæ bonitatis, aiebat; *Tu ſis delectum vas hauriendis, accipiendiſque influxibus miſericordiæ meæ, habetoque conſortes alumnas tibi commiſſas: eas in apta vaſcula effingito ad continendos imbres clementiæ meæ, donec vnanimes aſtra conſcendatis, cantantes miſericordias Domini, exultanteſque præ gaudio, & beatifica viſione Dei.* Vale.

Epiſtola diei 18. *Nouembris.*

VOlenti, alacrique animo, ſi Deus iuuerit, imperiis tuis obtemperabo, Reuerende Pater. Quicquid enim per te mihi indicitur, indici afflatu cæleſti opinor, oſque tuum diuini verbi organum eſſe æſtimo, & dexteram tuam dexteram benedicentis Dei. Maximas tibi gratias habeo de indulta triduana ſynaxi; hac vna eſca vigeſcit anima mea, quæ non priùs ad plenum ſaturabitur, quàm cùm ad menſam Angelorum ſederit in conclauio cœlorum. Equidem à ſummo mane cupidiſſima eram huius vitalis alimoniæ, poſtulare tamen non audebam. Rogaui tunc ſponſum, & amorem meum, vt id in mentem tibi inſpiraret.

raret. Ecce quàm placidè obſecundat deſideria corculi mei. Ipſius nunc eſt, illudque magis, ac magis per ſingula momenta captat, atque deuincit amoribus ſuis. Poſt digreſſum à me tuum, aliò animum, atque cogitationem conuertere permiſſa non ſum, quàm ad ipſum. Heri à decima hora veſpertina vſque ad mediam noctem, & mane ante horam tertiam, nullum dedit actioni ſuæ interuallum, aut relaxationem. Ignoſce, Pater, ſi ſeriem rerum, aut modum pluribus non extendo, reticere cogor ab earum dignitate, & à mea fandi inſcitia. In meditatione intentus laborauit amouendis de corde meo iis omnibus, quæ oculis ſuæ Maieſtatis forent iniucunda, eodem propè modo, quo monebat in Euangelio; *Si oculus tuus, vel manus tua ſcandalizat te, erue, & abſcinde abs te.* Virtute ergo ſuæ potentiæ ſeparabat ille memet à memetipſa, tollens vanas cogitationes, inſanaſque affectiones, & pro illis ſubſtituens ſanas, atque cœleſtes, quibus potiſſimùm inſtruitur animus ad ſynaxim. Ante ſomnum, dum in ſtrato expectarem benedictionem ab amabili Ieſu meo, expandit oculis mentis meæ inæſtimabiles diuitias latentes in theſauro inexhauſto meritorum ſuorum, vnaque ſimul expoſuit promptum deſiderium diſpertiendi illas plena manu in vſum, & commoda mortalium. Mihi talis copia deliciarum contigit, vt obrutam potiùs dixerim, quàm refertam. Mane ſacramentum fidei, & venerationis præſtari iuſſit à corculo meo erga regium, auguſtum, diuinum, atque amantiſſimum cor ſuum, fuitque in eo tota noſtra actio, & oratio matutina. Vale.

Epiſtola diei 19. *Nouembris.*

PRocul dubio legem obedientiæ, qua teneor, turpiſſimè violarem, Reuerende Pater, ſi imperanti tibi, qui mihi pro Deo in terris ſtas, & inſtrumentum diuinæ bonitatis, non extemplò paruiſſem. Tu quicquid hoc loco leges, in Dei gloriam transfer, mihi in notiſſimum opprobrium. Quid verò aptè dicam in tanta rerum amplitudine, magnitudine, ac præcellentia? Extinguit orationem omnem operum diuinorum altitudo, & verba noſtra iis lucem potiùs adimunt, quàm afferant. Reuulſos hac vice æſtimo aggeres omnes à torrente diuinæ miſericordiæ, & ripas deiectas fuiſſe eluuione gratiarum. Illas ingenium

nium meum non satis illuminatè distinguit, non tamen ignorat; acutissimè persensi, & sensu tam acuto, vt penitus desciuisse me putarem ab hac vita, qua neque crudeliorem, neque magis odiosam tolero crucem. Heri per totam diem distentissima fui contemplando, fruendoque Deo; nil mihi vnquam datum est temporis, vt pauxillum aliò diuerterer, ne quidem ad consueram, sacramque lectionem. Semper suspensam Dominus Iesus detinebat, iis verbis; *Venite ad me omnes, qui Astra suspicitis; venite ad fontem bonorum omnium, tollite crucem vestram, neque sectamini.* Properaui ad hunc fontem, vasa multa, id-est multorum corda obtuli implenda pretiosis hisce liquoribus, sed sponso visa sunt non sufficere. Corculum seruulæ suæ cæteris prætulit, dilatauit, in medio sedit, gerens quinque plagas pro fontibus aquas vndequaque emittentibus, effuditque tam vastos fluctus consolationis suæ, vt aquis submersa clamarem; *Non vltra, Domine, non vltra, neque enim vltra respirare mihi licet.* Sed ille possidens quicquid in me est, quæcumque voluit, fecit per totam diem. Quid addam de operatione nocturna? Accesserat iam hora somni, accedentem me ad lectulum adorsus est iis verbis; *Cor istud lectulus mihi erit, lectulus nempe floridus, & deliciarum mearum: illum ego regiè apparabo, vt crastina die dignè pro Maiestate mea recipiar ad sacrum Altare.* Quis recenseat quæ dicta, quæ facta sint ea nocte inter hæc duo corda nunquam ab inuicem disiuncta? Quis blandimenta? Quis amplexus, vnitiones, dona, mutua colloquia? Vnum dumtaxat proferam, quo sacri actus terminati sunt. Ne de tot benefactis nonnihil superbiolæ inuaderet cor meum, docuit coërcere spiritus altos, & induere humiles, petitos ex ipso aspectu benefactorum ipsorum. Ego vt vno ictu oculi vidi diuinæ munificentiæ largitos honores, & amorem, vultum demisi, à me ipsa defeci, & in nihilum recessi, quærens inopiæ meæ latebras. At paupercula nusquam satis obscurum, nunquam satis abditum adinueni latibulum. Tunc ad foramina, seu mauis, ad antra profunda pedum ipsius cucurri, & furtim abscondi me. Quid hic tu putes? diu ibi latitasse me? Ne puncto quidem altero. Tectam adhuc verecundia multa de pedibus ad amabile latus suum transtulit, induxit per plagam in intima cordis sui, & ibidem intus conclusam, atque concatenatam continuit

continuit ſupra tres horas, ſublata omni ſpe ſomni, & egreſſus. Quid non magnum, ſuauitate, ac Deitate plenum toto eo interuallo tranſactum eſt! Sed malo iſtæc omnia tacito ſilentio venerari, in eodem corde adhuc immorans, quàm balbutienti repetitione deterere. Matutinis horis huius diei æternitatis ſuæ magnificentiam oſtendit, obtulit, atque in eam introduxit ancillam ſuam, vbi liberiùs imperia eius fierent. Vtinam placitum ſuum omne in me perficiat, & totam abſorbeat, ne relicto meiipſius veſtigio. Illum ego auidiſſimè in ſynaxi expecto. Vale.

Epiſtola diei 25. Nouembris.

ORo te, Reuerende Pater, age precationibus tuis, vt improbitates, flagitiaque mea, quibus hucvſque iras cœleſtes in me concitaui, funditus deleat ipſa Dei clementia. Per hæc tempora ſuccreſcit in me magis flamma deſiderij diligendi Dei, & impenſiùs inſeruiendi eius Maieſtati, ſeu (vt ſaniùs loquar) liberrimam facultatem faciendi, qua ipſa ſibi maiorem det gloriam in me, & per me, quæ mei iuris ampliùs non ſum, & eſſe reſpuo; nam tota Dei, tota in Deo, & tota propter Deum eſſe volo. Commouet ille me modò ſenſibus potentioribus præſentiæ ſuæ, & poſt acceptam à te abſolutionem delictorum meorum, exercet actibus ſublimioribus amoris, reuerentiæ, & humilitatis. Quatuor horas ad quietem conceſſit nocte poſtrema: ſatis, ſuperque, quia ita ſibi placitum. In oratione matutina patrocinio brachij ſui vallauit me, iuſſitque, vt ſi quando ab hoſtibus impetita fuero, ad eam arcem confugiam, eo quod nullum ſit ad ſalutem ſecurius propugnaculum. Hoc ipſum ſedulò facere magis quàm antea, condixi. Vale.

Epiſtola diei ſextæ Decembris.

EPiſtolam ſignatam notis cordis mei Patri depoſcenti dirigo filia. Cur id à me poſcas, ſcrutari dedecet: paruiſſe ſat eſt; nam pro Chriſto Ieſu tu mihi es. Nil oppono, ad omnia parata, etſi deſperem id poſſe ritè aſſequi, quod popoſciſti: quare condones mihi hanc dicentis impotentiam velim, ex-

Digitized by Google

plicari enim dicendo acta non possunt, vbi idonea verba minimè suppetunt. Iacebam quieti, corpusculum tradens inter brachia diuinæ bonitatis, auspicata hymnum *Gloria Patri, &c.* quando ecce præsentia Dei mei inuasit me validissimè, obstrustruxitque ora mihi, ne quid vltra efferrem, quàm, *Amen, amen.* Celeriter acquieui; præsentiebam enim exoriri magnos sensus, & flagrantia desideria gloriæ ipsius in corde meo. Pòst nonnihil silentij, ardere cœpit pectus mihi cupiditate strictioris vnitionis ad eum, & exclamare cœpi cum mystica sponsa: *Osculetur me osculo oris sui.* Tu ne me audaciorem, aut temerariam ex hoc putes, Pater; audacem fecit imperium sponsi, audacem pariter fecit plus solito ignitum desiderium. Petitionis tamen audaciam temperare studui lenimento decentis reuerentiæ, atque humilitatis. Quid vltra expectes? Castissimus, & castissimæ dilectionis sponsus optati compotem me fecit, in spiritu adfuit, suauissimum osculum tulit, intimè copulauit sibi, & corroborauit amore vehementiori. Dein post aliquot horas nonnihil pacis, ac quietis dormituræ donauit. Patere, rogo te dilectissime Pater, huc concisè, & confusè congeri nonnulla acta semper venerandæ Trinitatis, explicatiùs exequi nequeo. Miris illa modis plausit, blanditaque est huic fœminulæ, non secus ac amantissimus genitor dilectissimo genito, vel sponsus sponsæ, aut creator plasmati manuum suarum. Interdum egenam munerauit fructibus potentiæ, sapientiæ, bonitatis, charitatis, necnon protectionis suæ. Protestatus est frequenter conditam, atque electam me sibi ad delicias: corculum istud meum sibi pro throno esse à se fabrefactum, vt in eo perillustria facinora perpetret. Nonnunquam professus est se esse verum, cordatum, sincerum, & fidelem amicum, assumpturum quoque me in instrumentum gloriæ suæ. Hæc, & eiusdem pretij encomia dum proponuntur, plenam pudoris, atque timoris noctem offundunt oculis meis, meque in latebras nihili mei celerrimè coniiciunt. Verumtamen à promissis recessurum se minatur, si contra motiones, placitáque sua quoquo modo eluctari tentauero, quia omni fruge quarumcumque plantarum arboreti mei frui omnimodè prætendit.

Obsidebant me hodie à primo diluculo agendæ res Monasterij,

Digitized by Google

ſterij, attamen Omnipotens continuit intentam elogio illi; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ioan.* 3. demonſtrans ſpeciatim paternam in me dilectionem, paternamque curationem, & traditos cum filio theſauros, amoreſque ſuos. Ego vt audiui, vt vera cognoui, cucurri ad tenuitates meas, & ad nihilum vſque extenuaui me. Cúmque de meis copiolis nil viderem, quod Patri beneuolo, & benemerito referrem, ad verba, & ad preces confugi, dixique; *Semper amabilis, & ſemper auguſte Parens, arctius eſt, tu noſti, arctius eſt cor meum ad tantas opes: aut iſtud protendas, aut vitam eripias, vt te dies, nocteſque omnes poſſim amare, quod ne plenè faciam modò, & temporis, & corporis anguſtiæ præpediunt. Præmor facibus amoris tui, nec illarum vim vltra ferre valeo: fac igneſcam tota, & hoc modo deficiam; concrema, abſume voraciſſimis flammis tuis, & ad te aſſume; nam viuere ſine te, & te non perfectè amare, vita morti vicina eſt.* Quid de hoc dialogo ſentis Pater venerande? An non eſt optimi Creatoris patientia abuti? Præbuit tamen ille placidas aures loquenti, & ſubridens contuebatur labentem incendio amoris, ſed adhuc de non ſatis ardenti amore afflictiſſimam.

Subinde aliò inuertens ſermonem, & prioribus officiis noua ſubtexens; *Volo*, inquit, *te filio meo ſponſo tuo conformem: para te ad crucem, crucifiget te amor meus.* Obſecuta ſum dictis, renouato obedientiæ voto, quod hiſce verbis clauſi; *Recipe, eterne parens ancillam tuam, & potentiæ tuæ protege ſubmiſſam.* Quid plura? recepit, inter amatas filias ſuas annumerauit, ſeſe ſtatuit illi Patrem, Nutritium, Magiſtrum, Ducem, aſylum, & omnia. Obſtupui ſuperexcedentem beneuolentiam, & genitus in corde pudor me quaſi ingenio obtuſam reduxit ad paruitates meas. Tota tempora matutina in hæc acta abierunt. Poſtremò tamen occupauit me inexpectata quædam animæ meæ conſecratio, qua illam Deus in rem ſuam quibuſdam ritibus ſacrauit, mandans Filio, quem vnxit oleo præ conſortibus ſuis, inungere cor meum oleo ſancti Spiritus: quod ipſe arte ſibi ſoli nota præſtitit in ſynaxi, longè, lateque ſuauitatem ſuæ præſentiæ diffundens. Bone Deus! quàm beata, quàm locuples, quàm potens extitit diuini pollicis inunctio! Permeauit cunctas animæ medullas, & ſuauitas vnguenti cœleſtis fluxit per venas ſingulas,

Digitized by Google

ipſum, ipſum co pus immune ab ea haudquaquam fuit. Sed hæc præſtat ſilentem admirari, nam calamo, & chartæ ſubtrahit verborum penuria. Nolo tamen ignores me ab ea hora, ad hanc vſque, quæ eſt ſecunda poſt meridiem, à dulci præſentia ſponſi, à collocutione, & ab amoribus ne momento vno fuiſſe ſeiunctam. Vale.

Epiſtolà diei 7. Decembris.

VNice Pater animæ meæ, ſeu potiùs animæ, quæ Ieſu Chriſti eſt, ſilere hac die putabam: vt ſcriberem impulit inexplebilis fames Pabuli Euchariſtici. Cordis mei dominatum tenet amor meus Ieſus Chriſtus, exercetque firmiùs in dies; facit quoque vt aridum ſit, atque inſulſum animæ meæ quicquid Ieſus non eſt. Ego verò non ſatis inuenio, quid præter eum grata cogitatione in me verſem, aut quid placido amore complectar. Quodque mirabilius eſt, quo propiùs appropinquo Deo meo, eidem magis intimè vniri exardeſco, & cohærere quacumque liceat via. Quamobrem quamappetens ſum illius eſcæ, quæ me conglutinat ſecum. Hanc mihi, tua bona venia, indulgeri per hoc triduum poſtulo. Quod rogo, ſupplex, & ſubmiſsè rogo. Age tu ſuperiore, ac libero arbitratu tuo; interpres enim mihi es diuinæ voluntatis. Ne tamen orantis poſtulationi ſuccenſeas: quod ſolent filij egentes parentum indulgentiæ exponere, hoc fidenter, & ſimpliciter ſequor: ni feciſſem, rigidiſſimè corriperer ab eo, cui nota ſunt cuncta cogitata conſilij mei. Aſſenſum tuum neque vi attrahere, neque ſuaſione aliqua allicere contendo, tantummodo ſenſum tuum perquiro; nam carere omni proprio arbitrio volo, ſubiecta nutibus Dei, qui vniuerſos affectus meos regat digito ſuæ ſapientiæ, & amoris. Plura ſcribere non fert otium præſens, feret, vt ſpero, futurum. Vale.

Epiſtola diei nonæ Decembris.

PErpetuò viuat, perpetuò regnet Ieſus Chriſtus crucifixus in cordibus à ſe potenter conditis. Præuenio ecce te Reuerende Pater, maturiori Epiſtola: impulit me ſponſus exem-

plo

Digitized by Google

plo suo. Hodierno namque diluculo misit in mentem mihi ea verba Euangelij ; *Quod placitum est Patri meo, facio semper. Ioan.* 8. Inde intuli : Ergo incumbit pariter mihi, quod placitum fuerit Patri meo, efficere, potissimùm vbi certior fieri desiderat de statu cordis mei. Itaque quod modò occurrit, paucis explebo. Ingeniosa Dei benignitas nunquam abstinet à paternis beneuolentiæ suæ officiis, onerat me potiùs in immensum. Dedit heri serò solida amoris indicia, sic affatus ; *Quoniam omni modo mihi es dilecta, & ego tibi, pone me vt sigillum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Cant.* 8. Pro sigillo in corde optabam ego apponi crucem, & Iesum plagatum ; à petitione tamen continui me, quia verebar inuerecundam. Tacito nihilominus desiderio acquieuit ille, sed implendum distulit in synaxi. Vale.

Additiones.

Quod hic promissum fuit de erectione crucis in corde sponsæ, completum fuit in ipsa communione, sed multò efficacius, quàm antea vnquam, ita vt instante hora prandij cibum omnem exosa cellam peteret, non refectorium, eo magis corpoream fastidiens escam, quò plus oblectata cœlesti. Verumtamen vim faciens ipsa sibi cum commensalibus accubuit, panem suum cum fletu miscens. Celabat interim cautè omnia sodalibus, sed species vultus pallentis satis clara testimonia internæ commotionis, atque doloris prodebat. Cúmque ex oppressione cordis propter impositam, infixamque crucem, & propter longissimam vigiliam noctis subsequentis, mane appareret infirma, nil coniecere sorores, nisi quod neque cibum, neque somnum caperet ; audiebant enim in somnis ita cum Deo sæpè sermocinantem ; *Domine tota tua sum, suscipe totam, in manus tuas cedo me.* Sed altera die ad extinguendum omnem sensum elationis continuit illam Deus in agnitione proprij nihili, ita eleuans ad sublimia, vt non redderet immemorem sui; quod sanè summi beneficij loco ponendum est : & hoc est quod in epistola diei vndecimæ notauit his verbis.

Digitized by Google

Epistola diei vndecimæ Decembris.

VNo, ac altero versiculo rem omnem circumscribam. Adhuc alis diuini patrocinij tegor: sed ab hesterna die aspectu magis, & consideratione tenuitatis, ac paruitatis meæ detineor, perscrutans si qua ratione radices nihili mei attingam aliquando, vt præ bonorum meorum inopia humilis vltimo semper loco inter creata resideam. Non te pluribus immoror, breuiorem me facit otij penuria. Vale.

Epistola diei 13. eiusdem.

Sed neque hac vice expectationem tuam fallere licuit: vicit desiderium tuum. Esto ergo quicquid dicam in maiorem Dei gloriam, cuius tu mihi vicem geris, magnus mihi Angelus, & nauclerus huius nauiculæ, quam de naufragio eripuisti. Tantum illam dirigito, & tuta portum appellet. Potentissimam efficientiam hesternæ absolutionis de dextera tua euidenter persensi; subinde enim ac eam contulisti, nunquam diuina bonitas abscessit ab hac animula, quam fecit omni iure suam, licet horas ferè quinas quiescenti non denegauerit.

Mane summo ardentissima vrebar siti coniungendi me principio, Deoque meo: ille vti sic ardentem vidit, præsentia sæpè sua leniuit sitim. Orantem posteà cum sociis præuenit, & suffocauit exultanti oceano amoris sui. Ibi consepulta, neque me ipsam, neque commendatas animas discernebam. Nil in corde, nil in labiis resonabat meis, præter gratissimam vocem amoris, *Oh amor! oh amor!* Videbar dicere; Oh amor, aut mori, aut amare: iam nolo viuere nisi vt amem. Oh quis mihi det, aut solo amore viuere, aut solo amore mori! Oh ita faxit Deus. Oro te, Pater mi, offeras æterno, purissimoque amori amore ardentem animam meam. Nuncia illi, & obtestare, nihil mei superesse mihi. Dic sponso meo, tota versa est in amorem amoris tui, expoliauit se omni voluntate, ac libertate sua, rerum suarum claues vniuersas transmisit tibi. Vale.

Epiſtola diei 16. *Decembris.*

MIlle tibi ſplendeant cœlitum dies, mille mihi à te benedictiones. Cœleſtes Dei operationes verbo tenus innueram heſterna die, ſcripto reddi iubes, annuo: vt verè dicar Chriſti imitatrix, forma eius obedientiæ in me eluceat oportet, alioquin ſtomachum illi, mihi labem inobedientiæ commouebo. Quod protulero, ad laudem Dei, mihi ſit ad contemptionem. Nudiuſtertius, ſi benè memini, ſponſus meus ſedem pro matutina ſynaxi parabat, vt frequens ſolet, dicebatque: *Accipe me hoſpitio, comede, amplectere.* Cumque mane id egiſſem, ſtrictiſſimè copulauit Maieſtati ſuæ, addens; *En ego tuus, omninò tuus: tu mea es, omninò mea. An non id perſpicuè vides, tutò tenes, & certò experiris? Tu cor meum deprædata es, & inter tuas prædas ſeruas. Vtere iam vtcumqme velis, meque, rebuſque meis; nam in rem tuam totus ini, vt tu in meam.* Ad hæc ſtupore contabui, vox omnis faucibus hæſit, ſupremis tantùm voluntatibus ſponſi mei animo conſenſi. Tandem verò vehementiſſimo impulſu amoris verbula hæc mihi de corde erupere: *Oh amor, oh dulcis amor, num alicuius eſſe poſſim, quàm tua! te ſolum quæro, te vnum cupio, te vnicum ſemper amabo. Millies potius mori, quàm vel vno momento non amaſſe. Sed quid heu me, quid cogito ſtulta! Tam dignus es amari, vt te præter teipſum condignè amare poſſit nemo. Ames ergo tu teipſum in me, collauda teipſum in me, quæ ad tantum opus inæqualis ſum, quæque ſummopere lætor, neminem extra te poſſe immenſas opulentias diuinitatis tuæ vel dicendo, vel amando iuſta menſura conſequi, infinitis quippe perfectionibus cuncta excedis.*

Serò eius diei piè, ſanctéque colens conceptum in vtero Virginis Saluatorem, meditationem ordiebar ab eius pulchritudine, ab excellentiis, & ab opulentia; corripuit illicò me effuſi gaudij triumphus, & ſpiritus meus ebrius amore tanti ſponſi, quaſi bacchans feſtiuiſſimè exultabat. Irruit tunc ille in animam meam, & magna vi tenebat ſubiugatam, volens ardentiùs adamari, & cuncta mea voluntatibus ſuis ſubiacere, eo quod dominans Dominus ſit. Per aliquot interualla varias actitabat operationes, varioſque in anima excitit affectus. Per alia in memoriam referebat priuilegia amo-

ris,

Digitized by

ris erga me præcipui ; plenam oblectationibus manſionem, & diuinis actibus conſociata conſilia diuina : modò perquam intimè iungebat ſibi, & morti dare præcipiebat quicquid extra Deum eſt : interdum quantaquanta eram, demerſit in vaſtiſſimo pelago diuinitatis ſuæ ; interdum quoque perdidit in vaſtitate proprij nihili mei : euanueram vtrobique tota, ſpeciem mei ipſius neque ante oculos, neque in ſenſu habens vllam, vtpote ſemimortua, cui reliquiæ vitæ tenuiſſimo pendebant à filo. O vtinam propitia mihi manu prorſus fuiſſet reciſum, quo ſpiritus, abiecta corporis ſarcina, expeditiſſimus ad amores Dei Optimi Maximi tranſmeaſſet ! Acerrima amoris incendia paſſa ſum nocte tota, ſed his ignibus abſumi aiebat ærugines animæ meæ. Excurrit inter hæc nox, eaque ferè inſomnis, debilitato propterea non mediocriter corpore, quod refocillari ſopore maximè indigebat : furtim enim, & per interciſa tantum momenta dormitaui, ſpiritu nimirum propter diuinam attractionem ſomnum exturbante.

Mane tamen ſummo in chorum cum cæteris conueni, vbi puriſſimus ille amor, amantium, atque amorum ſelectiſſimus amor noua argumenta amoris protulit huic ſeruulæ, quam nocte antecedente deliciis tantis, & copia bonorum obruerat. Iacebam ego mœrens, & anxia valde de inopia amoris mei, eo quod Dominum, ac Deum cordis mei peramabilem ſatis ardenter non amarem. Quid feciſſe putas benigniſſimum amatorem? Ex tempore conſilium amantiſſimum afflictæ ſuggeſſit, & vt intrepidè mutuam cordium noſtrorum permutationem peterem, ſubiecit; ſic enim fore, vt ipſum amare poſſim ſecundum cor ſuum. Animoſa petij, ſtatim aſſenſus eſt, ſed pacti ſolutionem in horam ſynaxis diſtulit, & ea hora ſeruauit. Senſi ego, Patermi, ſenſi, non inficiar, nec hallucinabor mendax, perſenſi cordis ſubtractionem, cordis immiſſionem ; & ita perſenſi, vt quaſi extincto omni ſenſu rerum cæterarum, ſpecies, ſenſuſque eius immutationis per totam diem in animo mihi, & in mente præſens verſaretur. Accipe quid ea actione innouatum ſit. Peracta cordium immutatione interdixit ſponſus, ne poſthac, ſi quando incidat de cordibus ſermo, cor meum appellarem, ſed ſuum, diceremque ; *Domine offero tibi cor tuum* : nullatenus verò dicerem, *Offero tibi cor meum.* In quantam erubeſcentiam

centiam tunc decidi misellula, vt animo, & æstimatione mei comminuta: nescia quam ineam gratiarum actionem erga clementissimam illam bonitatem. Ad opem, Pater mi, ad opem tuam me confero; ne quæso defraudes spes meas. Cæterùm hic etiam parce, si in breuia coniicior; in angusta me coniicit temporis angustia. Heri serò, necnon luce hodierna perseuerauit vetus amorum nostrorum commercium: materiem præbuere operationes Spiritus sancti in Beatam Virginem, atque in animas præstanti sanctitate, castitate, & humilitate illustres. Sat bene valeo: nam quatuor, aut fortè quinque horis dormisse licuit. Stet mens connexa Deo, quid de cura corporis? Vale.

ADDITIONES.

O vtinam, &c.] Comparationem de suspendio animæ habes capite 3. dialogi Beatæ Catharinæ Genuensis, quando nimirùm pendente de funiculo corpore, homo sui impos fraudatur vsu omnium membrorum, ac sensuum, modici tantùm aëris respiratione viuus. Rogata ergo sponsa, quid tunc temporis diceret, respondit; *Haud eram dissimilis homini suspenso, cui subligata collo restis verba surgentia iugulat, vix halitui meatum pauxillum relinquens. Effari nitebar ego, viam voci occludebat amoris compressio, vix suspirius, & singultibus cedens.*

Vbi verò se dicit multùm passam ex incendio amoris, addendum, quod æstuante nimis fornace pectoris sui propter amoris incendium, adacta fuerit ipsum pectus operimento omni discooperire, vt nonnihil refrigerationis acciperet, & pulmonibus vim redderet respirandi.

Epistola vigesimæ diei Decembris.

HOdie auscultandæ sunt rationes sumptuariæ Monasterij: facilè nonnihil eius attentionis, quæ negotiis spiritualibus mancipata est, surripient. Quid hîc faceres Pater? Cedendum est legi Regis, Rectorisque mei, ob cuius amorem omnia fieri decet. Tuam si tu mihi benedictionem inter hæc impenderis, dubio procul salutaris, & auxiliaris erit per totum diei circuitum. Iam verò quibus ego vocibus exprimere coner, quæ post

vltimum inter nos congreſſum acta Dei mei ſuperuenere? Deficient vtique voces, areſcet manus, deficiet dies, in id ſi accingar. Si quid ampliùs otij craſtina dies attulerit, quæ ego non bene ſapio, dictabit Spiritus eorundem operator. Interim, vt aliqua parte tibi placeam, ſcito nullo tempore à paternis blandimentis Dei ceſſatum eſſe. Certatim actum eſt inter Perſonas Trinitatis de ampliori largitate erga fœminulam pauperrimam. Ad vltimum ſub finem matutinæ Orationis vnanimi omnium Perſonarum conſilio, & imperio immerſa fui in profundo oceano Diuinitatis, quo etiam hac hora immerſam me ſentio, ſeu vt aptiùs loquar, pleno opertam mari, exhauſtiſque in Deum viribus meis, meipſam neque ſentio, neque video. Halitum ſimplicem, non vocem mitto, ſolis ſuſpiriis ſic orans; *Oh amor, oh amor dulciſſime, tota, tota tibi ſum, nihil quicquam mihi, nihil mei in me habere volo: omne meum Ieſus eſt: omne meum crux Ieſu eſt.* Vale.

Epiſtola diei 22. Decembris.

QVod poſtremis litteris tuis, de meis ineptiis, de mea iudicij inopia, de indignitate titulorum, deque toto malorum meorum ærario aſſeueras, ita ratum apud mē, fixumque manet, vt nulla ſit controuerſia diſcutiendum, ſtatque menti meæ ferè articuli fidei loco; fæx enim ſum mundi, rerum creatarum corruptio, & nihilum in nihilo: peccare, hæreditarium mihi eſt, & optatis Dei contraïre, natura. Et ne de eiuſmodi veritate dubia ſim, quotidiana obſeruatio delictorum meorum conuincit; etenim hoc biduo, & ſemel, & iterum id experimento comperi: vnde plurimus increbuit vultui meo rubor, & cordi pudor, licèt neque ab animi aſſueta firmitate, neque à Dei fidentia concidam, quippe quia fieri à ſe grande diuortium non ſuſtinet, qui me appenſam gremio ſuo, & inter brachia potentiſſima tenet: quin auſim dicere, quod penè fidem veritatis excedit, quo ego me minùs fidelem, Deus ſe magis exhibet benignum, munificumque Patrem.

Redeat nunc, quæſo te Pater, ſermo noſter ad eam narrationem, quam nudiuſtertius tetigeram, abundantiori otio fuſiùs redditura. Cœleſtis patrocinij certitudo erat clementia Patris

Digitized by Google

Patris, meque, meáque omnia brachio poteſtatis ſuæ propugnante. Inter multa, *Ecce*, aiebat benigniſſimus ille Princeps, vindexque rerum mearum, *ecce, teque, tuaſque res omnes tuta ſub cuſtodia poſui: poſthac concitatiori ſtudio mihi, rebuſque meis vacato: vide ne vlla cauſa vel momento vno ductum meum deſpicias, fidentiſſimè ſequere præeuntem.* Dixit, ſed dicentis ſuaueloquentiam, & energiam, verba fiduciæ, & iucunditatis plena, animique mei dulciſſimum raptum, eloquio, aut ſcriptione repræſentare nullatenus valeo. Silebam interim ego tremens, ſed demùm de ſilentis pectore nonnullas voculas extorſi, quibus acta beneuolentiæ ſuæ profiterer in hunc modum: *Amantiſſimus Pater tenerè diligit me, ſinu ſuo fouet, filium ſuum deſpondit mihi, & ſpiritum amoris ſui obſequio meo obligauit: illum ego plus quàm me diligo, ille me plus quàm merear diligit:* & his dictis iterum ſilui. Protinùs ille animulam meam in intima penetralia cordis ſui contraxit, & proximè appoſuit filio ſuo. Si quæras qui eo loco fuerint cogitatus, quæ ſenſa mea? hoc vno continentur: *Oh amor ſapientiſſime, quid agis? Quid tantoperè deprimeris? Quid tanta propter ſeruulam moliris?* Permulta alia eiuſdem rationis blandimenta, allocutiones, & immiſſiones ea nocte pertractata ſunt, quæ ego ſenſi quidem, ſed enarrandis ſuperſedeo, quia ab omni narratione remota ſunt.

Heri à lucis crepundiis adverſque tenebras noctis ingenti lætitia exultaui, exhilarata de theſauris cœleſtium chariſmatum congeſtis in animam ſponſi, ac Redemptoris mei: amore complacentiæ, & guſtu incundiſſimo triumphans gratulationes Deo Optimo Maximo, gratulationes Filio iteraui frequentiſſimas, pluris vtique æſtimans ſibi, quàm mihi collatas opes tantas; ſponſæ enim ſat eſt bonorum ſponſi participem fieri, vti poſtmodum reuerà mihi obuenit in ſynaxi.

Per reliquam diem condidit ille me, & conditam retinuit in paradiſo cordis ſui vſque ad nocturnam quietem, quam vt ibidem, quantum ſat eſt, caperem, permiſit. Ante lucem tamen excitauit me ad opus, cui antea elucubrabat ipſe, cuique etiamnum dum hæc ſcribo, inuigilat. Fabrum diceres, qui manu, ac forcipe maſſam ferream ignitam verſat ſuper incude; voluit, reuoluit; tundit, retundit, donec opificium compleuerit, ictus, motuſque moderante operis fabricandi

idea. Profectò ictus percepi, non vidi tamen, ſed formet Deus opus ſuum conſilio ſuo. Perficiat quod vult ad mentem in re ſua, & materiem elaboret ſuam. Vale.

Epiſtola diei vigiſimæquintæ Decembris.

VIuat, & perpetuò viuat Puellulus Ieſus in cordibus noſtris, vt ſecreto aurium tuarum feſtinem committere, quod Rex cordis mei nouo, & mirifico partu editus operatur: vrget ipſemet idem Puellulus. Nunquam ille oculos à me declinauit, nunquam ego ab eo, admirans quibus extremis ſubegit illum amor, vt nudus, omnium egens, neglectus inter pecudes iaceat. Viſus eſt autem mihi expetere, vt quo potero feruentiore affectu ipſum redamem; amorem enim amoris pretium eſſe dixit. Sed hîc moleſtia in me exurgit maxima, & dolor inuincibilis, quòd amori eius intenſiſſimo non bene reſpondeat amor meus frigidiuſculus. Verùm quia humano ingenio maius eſt opus iſtud, hoc vnum ſupereſt, vt deuicta demiſsè ſuccumbam, & quum dabitur ardentioris amoris affectu proſequi, id præſtem. Vale.

Epiſtola diei 26. Decembris.

NVmquid non amor ipſe Beatum Stephanum Protomartyrem effecit? Oh ſi mihi contingeret amore vitam finire! grauiter incumbit mihi amor, premitque cor meum maturato greſſu de clauſtro pectoris abſcedere. Heu me! animula mea quandonam amotis terminis longioris vitæ illuc euades, vbi ſine vlla mora, vel obice ames ſummè amabilem Ieſum? qui licet tenellum, & ſine viribus Pupulum referat, prædator tamen cordium eſt validiſſimus, & dominator fortis. Per nocturna ſilentia, necnon in vigilia matutina contriſtauit me diutiſſimè inſpectio lacrymarum, quas vbertim de duplicato ſole oculorum eius, per genas diuinas fluere contemplabar: flere autem ſe dixit propter amantium deplorandam paucitatem, meamque in primis dilectionis frigiditatem. Ego Pupulum vagientem, & fuſiùs lacrymantem, vt aliquantulum placarem, amores meos omnes flenti ſacraui, & meliorem fidem iuraui. Vale.

Epiſtola

Epiſtola diei 27. Decembris.

POſt heſternas litteras ad te meas miris ſe modis prodiga nimis, & vt ita dicam, proiecta bonitas Dei prærogauit animæ meæ, quam infantulus amoris Ieſus, amoris quoque infantulam ſolet cognominare. Hoc mane adhuc ſemiſopitam reclinare caput iuſſit, & ſupra horam vnam conquieſcere in aureo ſtrato cordis ſui, dum ipſe idem vice verſa in lectulo cordis mei placidè conquieſceret. Mente dumtaxat ſimplici ſecum agebam, proſtratæ namque iacebant, & in eius prædam ierant animæ, corporiſque vires meæ vniuerſæ; & niſi me ſignum ſurgendi ad preces antelucanas exſuſcitaſſet, nondum à loco receſſiſſem, quamuis minimè receſſiſſe videar, adhuc eius præſentiæ dulcedinem deguſtans. Vis aliquid ſimile dicam? Puta mare latiſſimum vna in guttula concluſum, & dicito; Sic in corculo Annæ Margaritæ collecta ſtat Diuinitas, nempe quia ita profunda quæque animæ meæ repleta ſunt præſentia Dei, vt nihil oculis, nihil ſenſui, nihil menti occurrat præter Deum, cui me propterea perenniter dicatam volo. Vale.

Epiſtola diei 30. Decembris.

QVi cœlum, ac terram pugillo continet, inferat te ille choris Sanctorum. His ego te verbis ſalutatum volo; reſalutabis autem optimè, ſi corda noſtra Deo offeras, cuius ea eſt peculiaris in me miſericordia, vt cæterorum incurioſus videatur, negotioſus verò in blandulè, & amanter fouenda hac ineptiſſima ſeruula. O ſi mihi præberet quiſpiam poſſe in hac chartula referre ſpecimen aliquod eorum, quæ in tabula cordis mei affirmata ſunt. Sed heu! neque pingentis manus, neque apti ad id colores ſubſunt. Præſit dicenti Deus, vt ſaltem balbutiens efferam, quod intra horas viginti quatuor geſtum in me fuit à Patre, à Filio, & à Spiritu ſancto. Me primùm Pater præſentia, ac potentia ſua diutiſſimè tenuit circumſeptam: tum hora vna, ac altera contectam oceano bonitatis ſuæ: inde expergiſcentem ante horam quartam à leui ſomno, iterum obſedit interceptam præſentia ſua; & niſi me inſtans ora-

tio pepulisset in odæum cum sororibus, in immensum processissent arcana nostra. Ad signum citissima properaui in odæum, vbi citior Pater iam expectabat ad delicias spirituales. Ibi me solitis amplexibus oblectauit, patrocinium innouauit, curatorem se statuit rerum mearum, maximi pretij dona elargitus est, pollicitus maiora: Filium denique suum recenter natum, in quo repositos habet thesauros suos, despondit mihi in sponsum, iussitque ex tempore, & in loco sanciri fœdus sacri connubij, rata omnia habente Puelluli Matre. Sed antequam ad actum ventum sit, Pater voluit sponsam inopem, & mendicam exornari triplici vestimentorum genere, nempe innocentia, seu puritate cordis, humilitate, & charitate. Sponsus annulum fidei produxit, digitoque induit, & gemmas dotales meritorum suorum appositit, adhuc sedens in gremio Matris, quæ identidem hilaris infantulum in sponsum concessit, & sponsam in beatam sortem filiarum suarum scripsit. Connubium clausit Spiritus, amor Patris, & Filij, nostra amborum corda iungens, stringensque indissolubili modo amoris diuini. Sed puncto eodem coniecit in animam torridos globos flammarum, quibus etiam corpus meum vndique conflagrauit. Ad tantos ignes fornacula pectoris mei erat valde minor, & ipsa pene tota in ignem conuersa sum. Alia verò parte mare lacrymarum nemine cogente exundabat per ora mihi; stupor enim inuaserat me, & insuperabilis erubescentia admirantem, tanti fieri apud Deum Omnipotentem hanc seruulam nequissimam, & nihilo inferiorem. Cum hac tamen reuerentia nunc residua manet in me suauitas quædam inexplicabilis, & animi gaudium inexplebile. Quid inter hæc faciam, Pater mi, non video: deficit me omne consilium, exhaustum est ærarium meum, & facti magnitudine extincta spes gratiæ persoluendæ. Ad subsidia festino supplicationum tuarum. Sit clementissimo laudatio perennis, sit æterna gloria. Reddat ille me semper sibi fidelem, nunquam verò immemorem benefactorum suorum.

Crastina die renouanda sunt apud nos seruitia domestica in annum sequentem, quæso te præmuniar ego sacra Eucharistia, vt sic non ego, sed in me Christus pro sua sapientia congruè singulis singula diuidat. Amabo etiam te plurimùm, si assumi permiseris aliquod opus pœnale. Vale.

Additio

ADDITIONES.

In hac partitione officiorum obtigit ipsi Matri Præpositæ cura emundandæ, seu euerrendæ domus, quod est de Præposita fieri famulam scopariam.

Postera verò nocte præproperè, & intempestiuè euigilata, diutinos sermones habuit cum sponso, sed metuens ex longiori vigilia malum, rogauit, corpus posse reparari quiete aliqua. Consensit sponsus, talibus tamen vsus est verborum illecebris, vt somnum arceret potiùs, quàm conciliaret. *Quiesce*, aiebat, *charissima, tota conquiesce, reclinare super pectus meum, & sterne caput in puluinari cordis mei, ibi in vtramque aurem dormi.* Vix illa caput appositerat, dormitanti similis, cùm sponsus resumptis dialogismis Canticorum, omnem somnum per reliquum noctis longissimè amandauit. Primùm conuersus ad angelos monebat: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Cant.* 3. Tum alliciens sponsam blandulis inuitationibus, excitabat, dicens: *Surge, propera amica mea, & veni: iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit; flores apparuerunt in terra nostra, &c. Cant.* 2. Quæ omnia diffusiùs explanans aiebat; *Num ambigis abiisse de sphæra cordis tui veterem hyemem propriæ dilectionis, & solutam in te glaciem vitiorum, ac pro iis regnare æstum amoris mei, & studium virtutum? Numquid non id tenes claro experimento? Recordare pariter recessisse imbrem peccatorum, quando generali confessione expiasti vniuersas labes animæ tuæ, & ego clementia facili detersi. Flores præterea bonorum desideriorum, quæ diu latuere in imo cordis tui, iam per actus amoris apparent in terra nostra; ficus quoque proferunt grossos suos, id est fructus bonorum operum, quibus libenter vescor.* Pleraque alia per illam noctem dictitata, & actitata fuerunt, per quæ recessit cum somno omnis spes somni.

Epistola diei 1. *Ianuarij anni* 1630.

DIluceſcebat iam mane, Pater Reuerende, & dulciſſimus Ieſus celebraturus diem ſacram nomini ſuo, iam comparabat ſe inuiſere ſponſam in ſynaxi: ſed violentus amor longioris moræ impatiens illum intereà induxit inſcribere idipſum nomen

Digitized by Google

nomen in corde ipſiuſmet ſponſæ. Scripſit digito ſuo cœleſti, pollicitus proximè, id eſt in communione, ſcripturum ſanguine ſuo, vt nullo momento diſſociarer ab eo. Exordium autis anni non eſt paſſus tranſgredi abſque xeniis : liberaliter, & certo cum effectu donauit mihi puritatem cordis, mentis, & corporis. Vale.

Epiſtola diei ſecundæ Ianuarij.

TAntum abeſt, Pater Reuerende, vt ſponſus modum, ac metam ponat profuſionibus ſuis, vt potiùs per dies, horaſque ſingulas inundet me copioſioribus, præſertim poſt ad te datam poſtremam epiſtolam. Vt autem me magis benefactis oneraret, noctem penè ſomno vacuam traduci voluit. Sed de ſomni breuitate minimè laborat anima mea, amandi Dei auidior, quàm ſomni. Parcus eſt nimium, & iniquus, qui ſe pluſquam te amat Deus, quique rebus priùs vacat ſuis, quàm tuis. Ego vehementer pro me doleo, nondum ad hoc amoris peruenisſe, qui æquiparandus ſit dignitati tuæ; vilior adhuc eſt, non negabo, amor iſte meus, & cultus exilior, quàm quem merearis. Verumtamen ſit tibi perpetua gratiarum actio, atque laudatio de bonis immenſis, quæ elargitus es mihi omnium maximæ peccatrici. Vale.

Epiſtola diei ſextæ Ianuarij.

PRiſcam Religionem Regum Magorum hac die repetimus, Reuerende Pater; in hanc rei memoriam oportuit me tenere ſceptrum Regni in exigua noſtra familia, & Proregem agere, ſanè non inaniter, ſed gratiſſima cum mercede : etenim Rex ipſe cœlorum ab eo tempore nunquam à me diuertit, præcipuè nocturnis horis, tranſgreſſus vndecimam in diſſertatione filiationis ſuæ à Patre Æterno; voluitque me ipſam gaudere titulo filiæ eiuſdem Patris, deditque tot indicia beneuolentiæ, vt nihil vltra. Vale.

Epiſtola diei vndecimæ Ianuarij.

PAter mi, ſorores noſtræ incaleſcunt ad opus diuinum ; mihi ſoli friget pectus , mihi ſoli langueſcunt lacerti , cui plus cæteris incumbit elaborare. Ingenuè inertiam , infidelitatem, ingratum animum profiteor , culpoque meum. Attamen is qui de more plurimùm fauet optatis hominum , clementer , & amanter abſtergit errata mea. Huius negotiationis leges quò minùs concipio , eò maiori veneror cum admiratione. Nam quò plus coram Deo expolio me ſenſu deliciarum , & obſecrationum ſuarum , eò abundantioribus adoperior ; quò profundiùs vergo mentem ad ima nihili mei , eò altiùs eleuat , attrahit , & ſibi iungit fortiùs ; ita vt breuiſſimis tantùm interuallis ſeiungar ab eo , qui me frequentiſſimè viſitat præſentia ſua. Attrahat ille me , vniatque arctiſſimè Maieſtati ſuæ , ne aliquo temporis puncto ſegreger ab eo. Vale.

Epiſtola diei 17. Ianuarij.

QVàm ſplendidè , & quàm amicè diuina bonitas hanc animam curet , edicere nequeo , Pater mi Venerande. Nunc Patris , nunc ſponſi partibus fungitur ; nunc ignis eſt abſumens imperfecta mea , modò fit arbor vitæ plantata in medio cordis mei , cuius fructibus abundè paſcor , floribus exhilaror , ramis vt clypeo tegor , ne quid mali è tranſverſo obueniat. Aliquando vt nutritius infantulam inter brachia , ſinumque ſuum geſtat , & quaſi curator negotiola mea dicit , & ducit eſſe ſua. Sit collaudatio ſempiterna tam eximio benefactori. Tu quoque plurimùm de me mereberis , ſi cor illi meum dicaueris. Vale.

Epiſtola diei 19. Februarij.

QVid me moueat ad ſcribendum , non planè noui ; exiſtimo tamen mouente Deo , cuius mihi bonitas , ac miſericordia inexplicabili modo ſemper arridet. Vide rei nouitatem , & mirare. Hactenus fecit me participem amoris ſui , nunc autem

esse quoque vult consortem doloris, merseratque nuper me ita profundè in vtroque gurgite amoris, & doloris, vt vix respirarem: loqui nil licuit, præterquam, *Elanguens morior, Domine, quia tecum non morior, & quia quicquid amoris amori tuo rependam, vel quicquid doloris pro te patiar, valdè inferius, atque impar est amplitudini amoris, doloriſque tui.* Oro te, optime Pater, age supplicationibus tuis, vt quod in me deficit mensuræ amoris, ac doloris, impleat pro sua bonitate Deus: & vale.

Additiones.

Propter absentiam Directoris nihil adnotatum est hisce diebus, vsque ad idus Iunias. Extant tamen nonnullæ litterulæ eiusdem tenoris, ac præcedentes. Idem quippe erat influxus cælestium charismatum, eademque viuendi ratio: nihil intepuit ardor mentis, aut feruor actionis.

Quamuis autem ob vehementiam amoris, atque præsentiæ Dei videretur prorsus absorpta ab eo, soleretque interdum dicere, nil sui habere residuum, attamen familiari oratione precabatur cum Propheta, *Cor mundum crea in me Deus*, tanquam patiens adhuc aliquid in visceribus animæ dissidens à Diuinitate. *Adhuc sentio in me* aieba t, *aliquam mei portiunculam, qua vellem expoliari, quia Dei non est: quid isthuc sit, ignoro, sed scio non esse à Deo; molestiamque mihi infert maximam, non secus ac spina, vel spinæ frustulum infixum digito; quod quantumvis tenue, & exiguum sit, aculeo tamen, & punctiuncula sua digitum feriens, acutum vulnus, doloremque maximum infligit. Ego hanc spinam tollere, radicitusque vellere enixa sum, sed operam perdidi; latis nimium, & altis fibris confixa iacet. Heu, quam grauem sarcinam gesto corporis mei! Si vis nosse, corpus est spina ipsa, qua torqueor.* Huc pertinet quod Apostolus *ad Rom.* 7. conqueritur de infausta lege prædominante in membris suis, dicens: *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Tum de origine infelicitatis suæ exclamans ait: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nimirum venenati sunt fœtus de venenata stirpe noxæ originalis, naturæ vitia, quæ morte, non labore extinguuntur.

Die igitur decima sexta mensis Iunij, in qua legebatur Euangelium de Piscatione Petri, *Luc.* 15. sponsus sponsam allocutus

Digitized by

locutus eſt his verbis : *Hactenus è mari bonitatis meæ piſciculos tantùm bonorum deſideriorum, & affectuum expiſcata es, poſthac grandiores piſces illuſtrium operationum piſcaberis. Iacta audacter manus tuas in profunda cordis mei, his retibus, quicquid optaueris, attrahes.* Quam petitionem putes hic factam à ſponſa ? Certè non aliam, quàm vt poneretur modus deliciis, & finis conſolationibus; pati ſibi magis eſſe in deſiderio : contrario tamen euentu ſucceſſit petitio, nam blanditiarum reiectio, blanditiarum augmentatio fuit, & interni gaudij perfectio ; quoniam venientibus diebus, ac noctibus, ſponſus mutauit cor ſponſæ in lectulum floridum, in hortum, ac thronum, talemque lætitiæ exſuperantiam in illud infudit, vt quaſi dedignans loculos ſui pectoris, egreſſum vndequaque quæreret, ſomnumque repudiaret, nempe vehementiùs ſitibundum Dei. Cumque parte vna ſponſa maximè indigeret ſolatio ſomni ad recuperandam corporis firmitatem ; alia verò parte ſponſus robuſtiſſimè ipſam contineret in ſui contemplatione, dicebat, ſe, perſimilem eſſe homini hærenti, atque pendenti de ramis arboris proceræ, vnde deſcenſum pertentat, ſed exitu vano, arbori nimirum religatus vinculo indiſſolubili.

Epiſtola diei vigeſimatertiæ Iunij.

DE vera, & ſincera cordis humilitate actio noſtra eſt, Reuerende Pater. De ea poſt diſceſſionem à me tuam, quamplurima explicatè, & diuinè locutus eſt ſponſus, quibus ſuſcitauit in anima mea vehementiſſimam ſitim eius virtutis. Quamobrem, obſecro te, impetres mihi ſacrificiis rem vſqueadeò pretioſam. Sponſus commonefaciens me minitatus eſt multa, dixitque ; *Niſi te, quam præ cæteris opulentiùs ditaui, videro præcellere cæteras humilitate, ac zelo paupertatis, minimè eris accepta, & bonorum meorum, meique partem nullam attingens.* Verbum iſtud grauiter perſtrinxit viſcera mea. Nam hinc cumulus benefactorum Dei condemnauit me ingrati animi ad Tribunal Miſericordiæ ſuæ ; illinc verò cumulus offenſarum mearum, quas vno oculi coniectu vidi omnes, conſtituit me ream ad Tribunal Iuſtitiæ eiuſdem. Inter hæc extrema deieci me in

nihilum meum, & ſubieci Maieſtati, quam offendi, & miſericordiæ, qua ſemper confoueor. Vale.

Epiſtola diei 26. Iunij.

NIſi vrgeret lex obedientiæ, prorſus à conſcribendis abſtinerem: volenti, atque iubenti Domino morem gero. Quodcumque breuiter dictura ſum, dictet ille prior menti, calamoque meo ad laudem, & gloriam ſuam. Poſt retrò habitum colloquium noſtrum diuina bonitas lautiſſimè oſtentauit diuitias beneuolentiæ ſuæ, ſpeciatim ſub horam nocturnæ quietis procul pulſo ſomno. Anſam dedit verſus, quem de Pſal. 50. recitabam, *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Tunc enim ſponſus humaniſſimus cœpit lauare hanc Æthiopiſſam, ſordeſque eius eluere puriſſimo, ac pretioſiſſimo ſanguine ſuo. Tum bene terſam, ac nitidam leniſſimis verbis inuitauit ad ſacra, diuinaque receptacula cordis ſui, & facto verba probans, me in illa ipſa induxit. Modum reticeo, quia modum non percepi. Oh ſi Angelus mihi cuſtos quippiam eorum ſermonum audiſſet, nobiſque referret! Sed de hac re aliàs. Nolo interea lateat te, animam meam remanſiſſe oppreſſam lætitia mentis, & penè extinctam cordis iucunditate. Nihilominus aliquantiſper dormiui inter brachia, & in ſinu ſponſi: quo id pacto, ignoro.

Mane meditantibus nobis aſperitatem vitæ Baptiſtæ Præcurſoris, Magiſter vocauit me ad audientiam, iis verbis Pſ. 44. *Audi filia, & inclina aurem tuam. Audi quid à te poſtulem, inclina intimam aurem cordis tui; nam quæ foris ſunt aures, parum officiis noſtris proſunt. Auſculta quid à te poſcam: poſco, vt funditus interimas propriam, liberamque poteſtatem voluntatis tuæ, iudicij, amoriſue tui: item paſſiones, propenſioneſque naturæ, vt mihi vni liceat in te regnare, ac viuere. Arduum quidem, & prolixi laboris opus poſtulo. Non ideò deſpondeas animo, ego ipſe, ego confodiam hoſtes tuos, & eos ſuſtollam: tu agenti tantummodò manus da, & cuncta tibi ſalua ſunt. Cæterum ſit hoſpitium, ſit lectulus tuus in corde meo, & omne deſiderium tuum prouidentiæ meæ; etenim ego ipſe ſum vera requies, & vita tua.* Obmutui Ego, & obſtupui de tam magnifica liberalitate erga infidelem,

Digitized by

& indigniſſimam ſeruulam. Ecce, Pater, quid ſine lucta paſſa ſum fieri, quidve dici à Deo Optimo Maximo in anima mea. Sit illi ab omnibus laus, & benedictio. Vale.

ADDITIONES.

Niſi vrgeret, &c.] Quod tantoperè reluctaretur dare ſcriptis ſuſceptas Dei operationes, partim ortum habebat ex ſua ſingulari animi modeſtia, qua verebatur dari aditum ſuperbiæ ex earum euulgatione; partim ne dum ſcriberet, actu pateretur diſtractionem à præſentia Dei: quamuis enim etiam ſcribens reuerà haberet in imo cordis ſponſum præſentem, & expectantem reuerſuram; fieri tamen nequit, quin ipſa ſcriptio à quacumque re aduocet ad ſe ſcribentis multam attentionem. Quo factum eſt, vt paucis diebus ante hanc epiſtolam, cùm illa deploraret mollitiem vitæ ſuæ, & repoſceret auſterius viuendi genus, Magiſter loco corporeæ animaduerſionis iniunxerit velut quid aſperius, vt in dies deſcriberet acta diuinarum communicationum, donec de earum veritate, ac probitate pleniùs conſtaret. Vbi ergo mandatum Superiorum acceſſit, facilis donauit chartæ, quod ille ad maiorem ei cautelam expetebat.

Epiſtola diei nonæ Iulij.

OBedientia ſcriptioni ſubiecit me, vt tibi fiat ſatis. Summa Dei benignitas hodierna ſynaxi cunctas dominationis partes ſuper corde huius ſordidæ fœminulæ exercuit. Raptim illam ad ſe attraxit, repoſuitque in ſinu paterno cum Chriſto in Deo, vt ibidem cum Rege, ſponſoque meo aſſiderem. Statim verò ſuauiſſimus ſponſus pauperculam ſic eſt allocutus: *Tu te mihi totam redona, vti ego me tibi totum donaui.* Ad hæc erubui ego pudore, & pauore obrigui intuita diſparitatem, atque diſtantiam donorum. Quid enim nobilius, quid præſtantius corde, quod acceptum tenebam? Quid autem vilius, aut ignobilius corde, quod datura forem? Sed ipſe trementem, atque hæſitantem vno verbo conſolatus eſt, inquiens; *Cuiuſcumque ſis modi, cuiuſvis pretij, vilis, & exilis, iuxta puſillitatem tuam cede totum, quemadmodum tu me totum poſſides* (hanc enim fiduciam hodie accepta Euchariſtia contulit mihi.) *Æquum etiam*

Digitized by Google

eſt, vt ego tui poſſeſſor omninò fiam: tu ex deſiderio tuo potiris corde meo, par eſt vt ego tuo perfruar ex voluntate mea. Oro te, Pater Reuerende, quid egiſſem? quid cepiſſem conſilij? Iuſſioni detrahere, illicitum; donum retrahere, incongruum. Ergo me totam, meaque omnia in volentis poſſeſſionem ceſſi. Ecce quod mane operata eſt benignitas ſancta Dei. Quid dico operata eſt? verius dicam, ecce quod adhuc modò operatur, vetans ne aliò me vertam, aliudve reſpirem præter ſe, quia ipſe eſſe vult vnicum obiectum animæ meæ. Vale.

Epiſtola diei 10. *Iulij.*

MAlo tuis mandatis, quæ mihi ex Deo ſunt, quàm ſenſibus meis credere, memor dixiſſe Dominum, *Qui eos audit, me audit.* Soluat ipſe linguam, ſoluat digitorum meorum articulos, vt quod intendit, epiſtola dignè enunciet. Ab eo tempore, quo poſtrema verba apud nos feciſti de Dei miſericordia, deque eius perquam venerabili corde (in quo etiamnum occluſa commoror) ita profusè expandit ſe benignitas cœleſtis, vt cùm nulla vi intus reprimi potuerit, tu ipſe nonnullos effectus oculis tuis inſpexeris. Subinde ad hanc vſque horam tacito ſemper congreſſu continuit me Dominus. Colloquia quidem, & acta memini, ſed ſermone ad te perferre, vltima licet parte minimè valeo; non enim ſermonibus illis aptè cohærent noſtri. Dicam tamen intellexiſſe me poſt multa vim, virtutemque miſericordiæ Deo inniti, immò nil aliud eſſe, quàm ipſum Deum, qui vt recenter aliquod opus clementiæ adderet, hanc ſeruulam ſuam benignis oculis intuitus eſt; & eam propriis peccatis exſoluit.

Dein ingruente multa nocte, ego ſomno preſſa, & in lectulo poſita, reſarcire mihi vires dormitatione tentabam, ſed fruſtra; Ieſus quippe amor meus dulciſſimus colludere animæ meæ videbatur, corculum de coſtulis meis extrahere, illudque palam exponere, quaſi ſcopum excipiendis ſagittis amoris ſui, paratus ipſummet ſagitta vna configere; abſtinuit tamen. Iam amandi Dei exardebam deſiderio, ſed ardor erat adhuc minor deſiderio. Acceſſit tunc rex placidiſſimus, & ignitis facibus ſuccendit cor flamma amoris feruentioris, ita in mentis arcano locutus;

cutus ; *En quem tamdiu deſideraſti, tamdiu inclamaſti : en ipſe ego adſum , complebo.* Statimque coniectione teli lethale vulnus amoris inflixit. Deflagraui tota ictu amoris violentiſſimi , non ſecus ac vibratione fulminis ignei , manſique aliquandiu intimè vnita , & abſorpta à dilecto. Mox reddita mihi ipſi , de tali amorum genere attonita , & tantam ſtupens bonitatem , tota fui in eius veneratione , ac laude ; verumtamen non ea fuit diuinarum immiſſionum extrema linea. Idem ſponſus ablato corde meo ſuum ſummè colendum , ac venerandum intulit, & in mediis præcordiis animæ meæ collocauit : quo loco meum repoſuerit, neſciebam ; neque enim aliud vel aſpectu , vel ſenſu percipiebam præter ipſum cor Saluatoris mei , cor grande, cor dulce , cor potens , & omni parte perfectiſſimum : vnde etiam noua mihi ſeges admirationis orta eſt ; etenim non bene concipiebam quomodo poſſet cor vſque adeò magnum , tam exiguo , & arcto fine pectoris conſtringi , aut concludi. Heu Reuerende Pater ! vt me vidi euectam ad tam alta faſtigia diuinæ beneuolentiæ, in quantam putas abyſſum deciderim? proſtraui me , abſcondi me , deieci me in profundiſſimam foueam paupertatis meæ , & perdidi in voragine nihili mei. Sed quid inde frugis ? Proſtratam , abiectam , ſepultam in nihilo ſuſcitauit , erexit , & ad ſublimiora ſenſa iterum , ac tertiò prouocauit.

Per binas horas merſit me , ſubmerſit , præfocauit in mari Deitatis , & amoris ſui. Commorationis meæ locum haudquaquam aduerti , ſenſuum , ac mei impos ; inde tamen huc remeaſſe nollem : ſed ad me regreſſa retuli membra conquaſſata , atque diſrupta propter ſpiritus attractionem. Tota ferè nocte vix vmbram ſomni deguſtaui , ſed in extremo iam noctis nonnihil quietis reparandis vigiliæ damnis à ſponſo depoſci. Velox annuit , ſic intimè cordi meo reſpondens : *Requieſce , attamen ſuper corde meo requieſce : ſit iſtud puluinar tuum.* Receſſit illicò ſomnus , aut ſi dormiui , diſpari ſomno dormiui, quàm quem expetieram ; creuit namque altiùs in intimis viſceribus cordis mei gaudium cœleſte , creuit incomparanda iubilatio animæ quieſcentis in ſinu , & in corde Dei ſui.

Præter hæc nolim ignores appoſitas mihi fuiſſe ea nocte binas mammillas , quibus enutrire poſſim animas mihi commiſ-

ſas

ſas. Si quæras de ſpecie mammillarum, charitatis apellantur, & amoris. Vis vno verbo dicam? Sponſus dixit, cor ſuum ſtare pro mammillis, vnde quæ mihi neceſſaria ſunt ad ſpiritualem diſcipularum alimoniam, depromerem. Oh paſcat ipſe vniuerſas lacte ſuo, præbeat ſingulis cor ſuum, & illud conſeruet in ſingulis. Vale.

ADDITIONES.

Quod legitur in fine Epiſtolæ de appoſitis ſibi mammis, non exeunte, ſed ineunte nocte actum eſt, nempe vbi dicit ſponſum colluſiſſe animæ ſuæ: fiebat tunc dialogiſmus quidam inter ſponſum, & Patrem, ſuper regimine Monaſterij, & inſtitutione Monialium, productuſque fuit in colloquium verſus ille Canticorum 8. *Soror noſtra parua eſt, & vbera non habet.* Quod Bernardus *cap.* 10. *in Cant.* interpretatur de Superioribus nondum idoneis aliorum regimini. Verùm quia hoc loco minimè conueniebat hanc Dei ancillam vocari ſororem, propter altiſſimum gradum Patris, pro ſorore dictum fuit, *Filia noſtra parua eſt, & vbera non habet, quid faciemus ei?* Tuncque addita ſunt illi vbera ab paſcendam lacte diuino familiam ſuam, vt in ipſa epiſtola.

Præ ſua autem animi moderatione ſiluit in epiſtola, quod nobis in præclariſſimum venit virtutis exemplum. Licèt enim noctem illam tranſegerit inſomnem, variiſque iactatam commotionibus; nihilominus ſummo diluculo, & antequam excitarentur ſodales, ſurgens è ſtrato ſola perrexit in culinam vaſa coquinaria ſuis palmis detergere. Hoc infimi famulitij genere metuendam animi elationem calcans.

Epiſtola diei 12. *Iulij.*

QVo poſſum maiore cordis affectu cum Pſalmiſta concino: *Benedic anima mea Domino*, de ſynaxi hodierna per te mihi diuino inſtinctu conceſſa. Verùm idemtidem precor Angelum tuum, vt te nil minùs moueat ad infligendas mihi increpationes, atque afflictiones corporis, & animæ, quàm ad indulgentiam, & conſolationem. Sanè miror, quod tam præſens obuerſetur memoriæ tuæ memoria huius viliſſimæ mulierculæ, æter-

na

na omnium obliuione dignissimæ. Sed valdè vehementiùs miror, nondum abolitum, atque erasum nomen esse meum de sacratissima memoria Dei, cui notissima sunt flagitia, infidelitatesque meæ. Cui Pater mi, æquabiliùs tribuam meritum eius officij, quàm interminatæ bonitati, seu misericordiæ ipsius.

Vt ergo quod quærit paterna tua sollicitudo de mea cùm corporis, tum animæ valetudine, tibi clarescat, scito me, quantum satis est, fuisse nocturna quiete relaxatam, licèt permultùm reclamante spiritu, & non nisi post longissimos tractatus cum amatore sponso, eiusque æterno Patre. Heri audita concione meipsam ad benedicendum Deo incitabam iis verbis: *Benedic anima mea Dominum. Ps.* 102. At ecce de repente sponsus labia mihi compressit, eripuitque de ore verbum, subdens: *Sine, sileant labia tua; benedictionum vicem præstabit anima mea, impar enim tua est. Nonne cor meum tibi tam credidi? Quidni & animam crediderim? vt quemadmodum amborum vnum est cor, ita amborum sit anima vna, quæ diuini præconij munus lautissimè perficiat.* Bone Deus! Qualis coniugatio? quæ communio? Tenebræ cum luce præclarissima, lutum cum sole, fæx mulierum cum Deo? Quæ commixtio bone Deus!

Hoc mane idem Rex, & amator cordium nostrorum exposuit amplitudinem, gloriasque charitatis suæ, quæ ipsum talibus suppliciis substrauit, vt quasi vnus de infima hominum sorte abiectus dicere cogeretur; *Ego autem sum vermis, & non homo. Ps.* 21. Ad hæc anima mea in deliquium cordis, & penè in nihilum decidit: non vis, non animus remansit sistendi me coram sic depresso, & conflictato Deo, sed in nihilo meo abscondi me, vbi etiam hac hora langueo, nec video qua parte inde egrediar, vt ad synaxim accedam, nisi is qui regit me, hinc dextera sua retraxerit. Vale.

Epistola diei 14. *Iulij.*

QVanti ponderis sunt iussa tua, Pater Reuerende? Quia hesterna die nonnihil de retroactis Dei operationibus verbis exposueram, æstimabam me immunem à scriptione, sed vi-

cit legis tuæ authoritas, quæ me non patitur ab obedientia abscedere, ne transuersum quidem digitum. Vnde auguror fore posthac dicendum vltimum, æternumque vale arbitriis meis, vt integrè compleatur in me omne velle eius. Quæ ergo apud me adhuc depositа sunt, paucis expandam. Narrationi nostræ deerat notatio vespertinæ meditationis, sic se habentis. Claudebam completorium Symbolo fidei, auspicata articulum secundum, *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum.* Ibi orationem, ibi cogitationem figere adacta sum; idem namque ipse Filius vnicus Patris Cœlestis longum sermonem instituens elucidabat quis, quidve esset iste filius vnicus, quem mente, ac fide mea concipiebam, vnà simul recensens glorias, & celsa præconia suæ filiationis, qua manet æqualis Genitori. Post multa concludens propositam argumentationem, intulit; *Quem vides speciosissimum, & perfectissimum hominum, qui est vniuersorum pulchritudo, atque perfectio, in quo positum sistit omne bonum, qui denique est æterni Dei æternus Filius, hic est sponsus tuus, hic est res tua, hic ille est, in quem credis Filium Dei vnicum: vt verò plus firmamenti, plus virium, & certitudinis habeat fides tua, certò crede paratissimum esse apud me eandem corroborare, & perspicua magis luce propagare, vt ad omnem gressum, & omni loco me præsentem, & spectatorem in oculis habeas: caueto, ne viuum hoc lumen vllo tempore extinguas, sed tutissima hac cum fide secura ambulato.* Mirum est quod hoc loco adiiciam, Pater mi. Pari passu ibant cum verbis verborum effecta, etenim nouum, & inusitati ordinis sensum præsentiæ suæ percepi, & incomparabilis claritatis iubar intellectui meo fulsit. Quæ nox insecuta attulit, maiorem dicentis vim, & scribentis maiorem sapientiam desiderant; delicati sunt sensûs, & subtilioris descriptionis, vtpote supremo in apice mentis acta. Ego provt occurrent, breuibus deducam, vt quod debeo obedientiæ, reddam. De spectabili serie virtutum emicantium in Passione Domini fuit sermo noster; earum omnium indiculus, velut in tabella oblatus est oculis meis: sed ne inspicerem, interdicebat earumdem dignitas, ac multitudo, donec Spiritus dominator mei, ne me præterirent, iussit lumina illuc coniicere, atque defigere: is idem deinceps significauit, ea omnia in gratiam, & commodum animæ meæ fuisse perpetrata.

trata. Corrui protinus ſine voce ad tantæ bonitatis ſupereffluentiam, & humi proſtrata opaco ſinu terræ contegi cupiebam. Fefellit me tamen expectatio mea, obiiciente ſponſo; *Nequaquam cooperieris humo, quæ morientium ſedes eſt, ad terram viuentium potiùs aſpira, eam namque hæreditatem pretio ſanguinis mei comparaui tibi.* Tunc in incognita loca tranſtulit ſpiritum meum, & intimè, ac fortiter adiunxit ſibi. Quò loci eſſem, neſciebam; mortis tamen extrema paſſa ſum, quoniam eum, qui à blandimentis ſuis nunquam ceſſat, nunquam congruè amare poſſum. Fortè ſtrictiùs rem omnem comprehendo; cùm primum te viſendum dederis, fuſiùs reſumam. Interim vale.

Epiſtola diei 15. Iulij.

OBnixè rogo, chariſſime Pater, ne cunctéris gratias immortales reddere Domino Deo, qui me peccati, & ſupplicij ream aſſiduitate largitatis ſuæ inundat fluctibus miſericordiæ. Recitanda differo in proximum congreſſum noſtrum; ne id in præſenti præſtem, denegat exiguum otij. Interea votis tuis acquieſcens admoneo, me tres, aut fortè quatuor horas poſtrema nocte fuiſſe ſomno perfuſam. Vale.

ADDITIONES.

Geſta his interiectis diebus, quæ recitanda diſtulit, breui contextu comprehendam. Renouatum fuit ſacrum connubium cum ſponſo, Præſide Spiritu ſancto, qui ſponſalia dona ferens, pro gemmis, & monilibus tamdiu cor ſponſæ ignibus amoris caſtiſſimi cremauit, vt vel in cineres abſceſſiſſe, vel in fumos euanuiſſe crederetur.

Alterum eſt illecebrarum acceſſio magna; de qua hæc verba referebat: Hac nocte quoniam ſubſtare aquis cœleſtium oblectationum nequibam, caput aliquantulum ſuſtollere nitebar ad reſpirationem; at illæ protinus, & maiori impetu in miſeram exundabant. Eram quaſi cadus in mari, quem ſupernatare aquis natura docet, cogente tamen brachio violento, ſubſterni aquis compellitur. Pauliſper enim exurgens à deliciarum ſubmerſione, citiùs iterum ſubmergebar à ſponſo ſubridente, ac dicente; Enitere, fac vim, exere cunctas

„ vires, ſuccumbas oportet; quod de te antea decreui, pleniſ-
„ ſimè exequar. Quod enim volo, valde volo; opus meum
„ eſt, mihi ad delicias formatum, pendeas ab Authore neceſ-
„ ſum eſt. Tunc inuaſere me recens verecundia, & frigidus ſtu-
„ por; cumque non haberem quod contrà proferrem, planio-
„ rem viam iniui, ſubdidi me totam voluntati, & auſpiciis Dei
„ mei. Qui rurſus me velut infantulam complexus, in ſinum
„ tulit, & priora blandimenta cumulans maioribus, appoſuit
„ vberibus Diuinitatis ſuæ, ſuauiſſimoque nectare lactis ſui
„ inebriauit.

Tertio loco collata fuit ſponſæ firmiſſima animi ſecuritas contra quoſcumque ſiniſtros euentus, ſponſo vendicante ſibi curam rei domeſticæ, & obtegente ſponſam alis ſui patrocinij. Huius fundamenti fide, nullo amplius nutare timore, etiam medio in turbine rerum viſa eſt, intrepido ſemper, & inconcuſſo pectore perſiſtens; dixitque aliquando, ſi corruat domus tota, impauidam me ferient ruinæ. Quippe quæ adeò plena eſſet Deo, & Dei fiducia, vt nihil quicquam mali, vel boni inde poſſet eam mouere; gerendis tamen rebus Monaſterij adeò intenta, ac ſi nihil aliud ſibi incumberet.

Præter hæc repetitæ ſunt cordium permutationes, aliaque multa diuini amoris indicia, & dona; præcipuè ſponſo conſtruente in corde ſponſæ palatium habitationi ſuæ. Partitus verò eſt palatium in membra diuerſa pro variis functionibus regiam ad Magnificentiam; conclaue ad eſum, cubicula ad ſomnum, cellulas penetrales ad amores.

Epiſtola diei 18. *Iulij.*

COllaudemus igitur, Reuerende Pater, & ſine cunctatione celebremus Dei bonitatem, quæ conſtantiſſimè ſemper largitionum ſuarum effuſionem mortalibus prærogat, ne prætermiſſo quidem hoc terræ vermiculo. Ab eo die, quo te apud nos vidimus, fluunt perpetua, & inter ſe connexa eius in me beneficia. Heſterna die meditanti commendabat magnifica dona liberalitatis ſuæ, magnificentiora daturus amanti. *Pete quod vis*, aiebat, *initce manum in theſauros meos, dummodo ames me.* Ego ad pedes eius veneram, & ibidem vti mendicula catella

Digitized by Google

tella conſiſtebam, expetens miculas panis excidentis de menſa Domini. Sed ô eximiam, & in ſæcula commemorandam Dei miſericordiam! *Quid iſthuc petis?* obiecit Rex æquè diues, ac liberalis: *quid memoras miculas panis? Exteris, ac prophanis eſto ea pabuli portiuncula. Non tam mendicè tecum agendum, quæ cor meum poſſides. Lautiùs refici te volo, & mihi commenſalem in conuictum venire, eadem quadra, ferculoque potiri; nam ſponſas lateribus ſponſorum aſſidere congruit, & cibis ali non diſſimilibus. Quin aliquid meditor maius, fieri volo cibus, alimoniaque tua. En profero, en dedo me ipſum, accipito, edito, in præcordia animæ tuæ traducito, ac in me transformare, vt poſthac non ampliùs ſimus duo, ſed vnum vnitate charitatis, fiamque hoc modo vita, & bonum tuum omne.* Hæc ille. Mox ſine mora effecta res eſt: catellam corripuit, adiunxit ſibi, & tanta repleuit dulcedine, vt grauata ſtomacho, quo poterat meliori modo clamaret: *Ah nimium eſt, Domine, ah Domine valde nimis eſt, & ſuper vires catellulæ. Diſpertire, ſi placet, Patri, ſodalibuſque meis, necnon iis, quos noſti eſſe mihi propter te chariſſimos.* Sanè, dilecte Pater, viua nimis fuit voluptas ex conſortio, & præſentia ſponſi, vis quoque ipſa amoris violentior, quàm perferri, aut enarrari poſſit. Actioni terminum attulere ſeruitia exhibenda ægrotantibus, quibus etiam peractis ſomni tantum cœpi, quantum ſatis eſt.

Prima luce hodierna aliud opus, aliud decus additum fuit, ſed multorum verborum res eſt, ſermoni præſenti reſeruo. Interim vale.

Epiſtola diei 22. *Iulij.*

DEſideras crebris ad te litteris perſcribi quicquid in me fœtitat magnarum rerum Operator Deus; prompta mihi quoque mens parêre. Verùm tranſactas operationes poſt diſceſſum tuum plenè, & ad verbum deſcribi non fert vacui temporis facultas; heſternam dumtaxat raptim indicabo. Deſignabat Dominus architectari templum Maieſtati ſuæ in corde ſponſæ; ſed intuitus ibi fœtere neſcio quid inquinatum, valdeque infenſum oculis, ac manſioni ſuæ, priùs illud inde excutere contendit, excuſſitque, ac ſtatim ait; *Eſto hîc templum Diuinitati meæ, eſto domus orationis: hic coli, hic amari, hic volo ado-*

Digitized by Google

rari. In ara cordis huius continuum ardeat ſacrificium, quod vt ſit Deo acceptius, hic ibidem repono cor meum. Nam vt verum fatear, Pater mi, ſubmotus erat ab oculis meis conſpectus cordis illius, & an adhuc ſederet in meo, permultum ambigebam. Ne quæſo quæras abſentiæ rationem. Erubeſco cauſam, non enim ſine illata à me iniuria celauit ſe. Noxia ſum, profiteor, imprudens læſi. Nihilominus redintegrata per ſynaxim amicitia, clementiſſimus ſponſus cor ſuum ſuo quoque loco amicè reſtituit, adiuncta commonitione vigilantioris cuſtodiæ; *En*, inquiens, *ego vt propiùs tecum ſim, ad humilitatem, & abiectionem tuam demiſi me, ne deſeras quem tenes; ames me, complectere, ſtringe; non hinc recedam, niſi tu abigas.* Quid hic agerem miſellula, anceps conſilij eram. Proſtraui ergo me, tradidi me Deo meo, & ſuæ cuſtodiæ credidi, cùm ex me debilitate ipſa debilior ſim. Hæc fuit heſterna negotiatio cum Deo. Veſpertinam ſurripuit honeſta, ac neceſſaria ad proximum collocutio. Hodie egimus de diuinis attractionibus animarum, quas Deus ſui contemplatione paſcit, atque de eius immenſa benignitate, ſub oculis ſuis tolerante peccatores, immò quæ patitur ab eiſdem contrectari, & oſculis fœdari. Ego cum Magdalena pœnitente continebam me ad pedes illius, reuerenter eos deoſculans, & complectens amantiſſimè. Ægrè ab illis diſiunxi me, verumtamen non vacuam ſuauitate multa, eo quod Dominus inſpexerit me inde exurgentem hilari, atque amatorio oculo. Vtinam ille me ſupplicem in tutela ſuſcipiat, ſeruetque ſua, & tandem aliquando dicat, *Vade in pace.* Vale.

Additiones.

Intuere hîc zelum Spiritus diuini. Tenellus eſt, læditur, indignaturque paruo. Sponſa prætulerat colloquia matronæ aduentitiæ communi pſalmodiæ: ſi quod crimen eſt, imprudentiæ, comitatis, atque humanæ indulgentiæ crimen fuit; attamen eo aliquatenus obtenebratus extitit ſplendor diuinæ conſuetudinis, ac amicitiæ.

His ipſis ſubiiciam, quod eadem die ad propriam, communemque multorum inſtitutionem ſponſi ſapientia tradidit. Sponſa gemens errata ſua ad plantas Chriſti cum Magdalena, poſt aliquantulam moram admiſſa eſt ad earumdem contactum, ad

contactum

Digitized by Google

contactum præterea capitis, pectoris, & cordis, myſticum ſenſum ita enucleante ſponſo: *Prouoluéris pedibus meis, ſi per intimam tui ipſius notitiam humillimè de te ſapias. Immundos, & deprauatos affectus ſociarum tuarum emunge, & lauiſti mihi pedes. Funde copiosè preces pro iis, qui præſunt, ſuntque prima capita Eccleſiæ meæ, & aſſurrexiſti ad tactum capitis mei. Si tota fiducia innitaris, & quieſcas in prouidentia mea, pectus meum tetigiſti, & cum dilecto meo Diſcipulo in ſinu meo recumbis. Tange iam cor meum, & inde exhauri quicquid opus habes, præſertim amoris copiam, ſiue pro te, ſiue pro tuis.*

Hunc autem humilitatis, & diuinæ fiduciæ ſenſum fuiſſe protractum vſque ad periodum mentis, probant litteræ ſequentes, nouis nempe de cœlo radiis hinc propriam paupertatem, illinc immenſam Dei bonitatem detegentibus. Quare longè ampliùs ſibi expedire aſſeuerabat, deiici per veram ſui notitiam, quàm ad ſublimia per conſolationes euehi, priuſque de deiectione gratias Deo ſolebat agere, quàm de acceptis oblectationibus, eo quod diceret, rem tutiorem eſſe, quæ ſuperbiæ obturat aditum, & corporis ſaluti magè proficit; amor enim, & gaudium vehemens, vires corporis extrahit, humilitas comprimendo ſeruat.

Epiſtola diei vigeſimaquintæ Julij.

NOn planè liquet, quid de corde meo annunciem, Pater mi; lenteſcit priſcus vigor amoris, non exaruit tamen. Paueſco propter datam offenſam, reddere me in conſpectum ſponſi, doleo, & lacrymis doloris, ac amoris conficior. Dolor omne verbum dulce compeſcit in ore meo, labra non moueo, niſi vt hoc modo orem. *Deus propitius eſto mihi peſſimæ, & perfidæ peccatrici.* Perſpexi tamen precationem iſtam eſſe ſponſo gratiſſimam, & talem ab ipſo expectari. Quin etiam cenſeo me in hoc lauacro pœnitentiæ ſiſti, donec dilutis fœditatibus meis ſplendidior emergam. Audio enim verbum internum ſponſi; *Ne ſpem deponas, innitere bonitati meæ; bene munda, & nitida redibis in familiaritatem meam; & ego in ſinu te meo reponam.* Etiam hac vice, Pater mi, ignoſci delictis meis exora, & impetra ſacrificiis. Vale.

E litterulæ

Digitized by Google

E litterula diei vigesimæsextæ Iunij.

GRatias, ac laudes immortales offero tibi, summę Deus, pro eo quod non reuocas me de loco paruitatis meæ, sed magè pateris in nihilo meo perstare. Nil mihi magè est consentaneum, nil potioris commodi..

Epistola diei trigesimæprimæ Iulij.

OH si ægritudinem, qua nunc premeris, dilectissime Pater, transferre liceret in hoc putridum cadauer meum! quàm lætè, quàm celer subirem! Sed præstat nihil quicquam velle ex me, alieni sum iuris, ac arbitrij, affligat ille me quocumque placuerit modo. Venio ad acta recentia diuinæ Pietatis. Sponsus melle dulcior, dulcissimo sui vsu in synaxi me recreauit; admouit, induxit intra viscera sua, considere fecit medio in corde, præsentia sua circumquaque sepsit, pressitque, quasi inter catenas, & compedes carceris coniectam. Conscientia indignitatis meæ excedere loco suadebat, & confessu: tentaui, at egressûs viam, vel ostiolum, quo abirem, non inueni: obsederat me omni parte potens, & arctissima sponsi præsentia, occluseratque omnem viam discessui: me asserebat rem suam, velleque vt ibidem moram perpetuam secum traherem, & metas beneuolentiæ suæ, quæ fine meta sunt, internoscerem: Viam vi facere, aut effugere cum non valerem, acquieui volenti, admirans, ac venerans incircumscriptam bonitatem suam, & eximo cordis expirans, vtvt poteram, amoris actus simpliciſſimos. Iam enim fumabant altaria cordis mei, & sacer ille ignis flammas altissimas in cœlum iactabat, iactatque, crede mihi, hac ipsa hora, altiores emissurus, si meliores escas, quibus continuò aleretur, nactus esset. Ardeat, oh ardeat perenniter diuinus iste ignis in ara cordis Patris mei, qui eumdem toties subiecit, atque accendit in me. Velit Beatus Petrus Apostolus, cui data est potestas ligandi, atque soluendi, vincire me crastina die catenis amoris diuini, & soluere vinculis malarum passionum, vt liberè fruar libertate filiorum Dei.. Vale.

Epistola

Epiſtola diei tertiæ Auguſti.

PErſonet igitur perenniter in corde, perſonet in ore noſtro, quod nuper præſcripſiſti carmen regium; *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Dominus enim eſt iugis puteus aquarum ſcaturientium, & ſedantium ſitim meam. Tibi verò gratias debeo immortales, qui vt has aquas de ſynaxi haurirem, benignè heſterna die indulſiſti. Areſcebat profectò anima mea ſiti, & ad hunc puteum diuinæ charitatis anhelabat. Nudius quippe tertius amor ille meus candentes carbunculos de Altari in foculum meum ſecum intulerat, iuſſeratque perpetuò ardere. Tunc flammæ toto triduo erumpentes tam ſæuè & animam, & corpus torruere, vt propè vita excedere metuerem. Serò eius diei ſelegit me, ſtatuitque pro victima præbenda Patri in holocauſtum, vt ea combuſta, fundituſque conſumpta ignibus ſui amoris, nil prioris vitæ in me remaneret: vtque facilior, & gratioſior euaderet hoſtia, hiſce præluſit verbis: *Tu è re mea es, tu te mihi lege perpetua votorum ſacraſti in hoſtiam viuentem; ego pariter deſponſaui te in miſericordia, & charitate: ergo res mea prorſus es, & voluntatibus meis ſubiugata.* Hæc ille. Mihi fugæ campus non erat, ideò verecundans ob tanti amoris prærogatiuam, tacendo cunctis acquieſcebam.

Heri in diei crepuſculo paſſa ſum repentinam flammam amoris ſacri; optabam ſpeculari mirabilem vim charitatis contrahentis immenſam Maieſtatem Dei ſub exiguam ſpeciem Sacramenti: ſiſtere tamen coacta fui in limine, cohibuit ex improuiſo ſponſus, qui repente viſcera cordis mei inflammauit. Alium actum de corde educere in manu mea non fuit, ſponſo cunctis viribus meis prædominante. Verùm poſt aliquantulam moram fore dixit, vt per hunc ſacramentalem cibum transformarer in eum; hoc enim conſilio, & fine fuiſſe inſtitutum, idque præſtitit in ſynaxi, cui poſteà nulla diei portio ſucceſſit pro me libera, quia occupabar intima diuinæ poteſtatis præſentia. In exordio pariter meditationis veſpertinæ accedens ſponſus, & longiùs proferens ignes amoris ſui, cœpit auſcultantem his verbis interpellare: *Iamiam abſumam te totam in for-*

nace Diuinitatis meæ, & verè dicam, consummatum est. Quod dixit, è vestigio præstitit; prehendit me, prehensam in sinu Diuinitatis suæ inclusit ita firmiter, ac profundè, vt nullatenus abduci possem.

Psallenti quoque in choro sub noctem blandimenta sua produxit, & traxit ad se mentem, viresque meas, ne inde soluto officio pedem efferre possem. Ægrè tandem extuli, relicto ibidem corde, & ad nocturnam quietem cum sociis progressa sum. Quam quietem bone Deus! Propè mediam noctem sponsus suscitauit animo insolitam exultationem, & iubilationem: existimabam me positam in culmine eius felicitatis, qua perfruuntur cælestes spiritus in beatitudine æterna. Dulcia eloquia, dulciores illecebræ abstulerant à me sensus, ac rationem, nec vbi loci essem, potui dignoscere, tantummodò sentiebam me Deo, & eius amore ebriam. Quonam pacto id fiat, sola Dei mens capit, sola Dei lingua effert. Cum his permulta eiusdem dignitatis, & charitatis peracta sunt hac ipsa die, partim in oratione, partim in synaxi; vnde perfusa, immò repleta cœlesti gaudio prodij decantans plus affectu, quàm voce: *Benedic anima mea Domino.* Vale.

Epistola diei quartæ Augusti.

QVæ modò de supernis influxibus suscipit anima, quam nosti, Reuerende Pater, vel in profundissimo cordis delitescunt, vel ad supremam mentis aciem subtiliter conscendunt, atque idcircò nullis bene attingenda verbis. Hoc biduo suauissimus Dominus peramicè, & peramanter ancillam suam tractauit, cuncta beneuolentiam, cuncta blanditias, cuncta sapiunt hilaritatem: quare de illius conuersatione recessi bonis omnibus refertissima, quæ sicut ego dictis explicare nequeo, ita nec à quoquam explicari queunt. Puta nutricem pupulæ suæ studiosissimam; inspice vt tenerè educat, pascit lacte, in gremio gestat, fouet in sinu, frequens oscula figit, denique blandulè, & curiosè ministrat omnia; & dicito huic esse persimilem speciem educationis, & institutionis meæ ab eo, cui soli incumbit vitam, & ea quæ sunt ad vitam rebus creatis subministrare. Ministrat autem tam curiosè, & copiosè mihi, ac

si

ſi alteram non haberet alumnam. Ne me quis dicat falſa deludi opinione, ſenſus fidem facit præſentis Numinis hæc omnia prouidè agentis. Bone Deus! quàm immoderatè benignitas tua ardet dilectione humani cordis! Si fas eſſet, innumera corda, ſiue parua, ſeu magna tibi cumularem, atque deferrem. Parua quidem ea paruitate, quam facit mentis, atque iudicij humilitas: magna verò magnitudine charitatis. Sed tuæ ſunt iſtæ partes, Pater mi, cui inſtat parare idonea corda Deo. Cras ſacra facturus, velim mihi, delictiſque meis Deum propitium reddas: anniuerſaria erit dies, qua à tredecim annis habitum religioſum ſuffurata ſum, promiſſis nil minùs fallax, quàm larga. Pœnitet equidem me datam fidem interuertiſſe; ideò fateor me dignam graui animaduerſione, & expoſco aliqua puniri caſtigatione. Ne verearis damnum corpori, ſatis ſum benè valens, nec aliud incommodum patior, quàm quod nil incommodi patior. Vale.

Additiones.

Spectat ad hunc pœnitentiæ rigorem exortus doloris ſenſus accepta abſolutione, de quo ſic loquebatur; *Diffindi mihi latera cordis ſentio, vt inde radicitus extirpentur peccata, vitiaque mea, non aliter quam cùm ferro perforantur, & vi diſiunguntur teſtæ conchilij ad eruendum piſciculum intus latentem, & conglutinatum.*

Epiſtola diei quintæ Auguſti.

VNo verbo complectar quæ plurimis egent, cætera exinde argues. Plus ademptum eſt ſomni nocte præterita, quàm poſtulabat corpus. At ſufficiat illi, dum ſpiritus largè fruatur ſuo in ſinu Dei. In hoc vnico centro conquieſco, Pater mi, religiosè, ac ſubmiſsè adorans ſublimes Dei operationes, quibus nullam horam vacuam eſſe ſinit. Quicquid nobis expedit, quicquid ſibi placuerit, liberè perficiat. Tu verò vale.

Additiones.

Prætermittendum minimè eſt, quod de imminutione ſomni hoc loco indicat, quodque latiùs manifeſtauit verbo; impetus

Digitized by Google

nimirum amoris, & cordis oppreſſiones ita extitiſſe ea nocte violentas, vt deficiente iam libero halitu, & ipſa penè vita, opem vicinarum ſororum implorare pararet: continuit tamen, etſi non à gemitibus, altiſque ſuſpiriis, quæ ſoror propinqua, & de proprio auditu teſtis, facili aure exaudiebat. *Ita me*, referebat narrans, *ita me obiecta illa ſpecies Diuinitatis, infuſuſque amor attraxerat, vt præſenti bono illectus ſpiritus extra me procul abiiſſe videretur. Ego quaſi maſſa ferrea de ſurſum pendens, nihil niſi pondus corporis mei nitentis vnico filo ſentiebam, quo ſolo, ne tota tranſirem ad Deum, impediebar. Eo experimento didici perſpicuè diſcernere, quid meum, quidve Dei in me ſit.*

Huic rationi accedit, quod cùm inciperet lumina tantiſper claudere, dormitanti ſimilis, vocem ingemiſcentis ſororis audierit. Et ecce velox de ſtrato, licet ſopore oppreſſa, exiliit, & hortante ſponſo celer ad ægrotam cucurrit quæ opus eſſent ſolatia miniſtrare, alienæ magis, quàm ſuæ conſulens neceſſitati. Amores, cordis commotiones, blanditiæ, & nocturnæ vigiliæ ſequentium dierum pari paſſu cum ſuperioribus procedebant.

Epiſtola diei nonæ Auguſti.

BReui ambitu comprehendam arcana cordis mei, dilectiſſime Pater. Dominus extra omnem modum produxit magnificentias miſericordiæ ſuæ; crebris illapſibus Diuinitatis ſuæ cor occupat, irrigatque amoris ſui ignibus, quos perpetuò ſplendeſcere vult in ara eiuſdem cordis; obtectam denique tenet alis ſuæ protectionis, ac regiminis. Vale.

Epiſtola diei 10. *Auguſti.*

CRas vacuo magis, vt ſpero, tempore, & animo litteras ad te dabo nuncias occulti cordis mei. Intereà pro certo habeas, me nullam viuendi methodum probare, vel appetere, quàm quæ eſt ſecundum datas leges ab eo, qui cùm cunctis vegetantibus det viuere, mihi vitalis, & vnica vita eſt. Vale.

Epiſtola

Epiſtola diei 11. *Auguſti.*

RECurrunt iam propè dies antiquæ ſponſionis meæ, qua me olim irreuocabili verbo Deo deuoui. Dedi præteritos dies iudicio faciendo ſuper eius ſponſionis obſeruantia : nutaſſe me quamplurimùm agnoui, & promiſſis non conſtitiſſe. Indolui pœnitens, mutaui conſilium, infidelitati meæ veniam depoposci. Quanta id animi pace, & cordis ſecuritate actum ſit, vix credas. Cœleſtis namque, & miſericors Pater, cum ſponſo meo, & Paracleto intentè animam à noxis purificauit, ſpiritu nouo recreauit, & omni parte ſanctificauit, vt repetendo ſacrificio dignior victima inuenirer. Præ cæteris ſponſus amator, & cuſtos zelotypus cordis mei, exacuit me ad amandum pleno corde, tota anima, & viribus totis. *Quicquid habes, quicquid es*, aiebat, *ſoluatur in vnicam mei dilectionem. Si me bene amaueris, remittentur tibi delicta tua, non enim aliam mulctam exigo, quàm vt ames. Igitur miſſa fac cætera, ames me toto corde tuo, cuius ego ſum dominator, Deus, & ſolus Rex, ſalus, purgatio, & ſanctitas.* Flebam ego copioſiſſimè, & ad nihilum vſque attrita ſtupebam, pro vltione flagitiorum meorum blanditias, & maiora beneuolentiæ lucra reddi. Perſiſtebam ingemiſcens, & interno affectu clamans; *Bone Ieſu, miſerere mei, & quem exigis amorem, prior præſta. Diligere te cupit cor meum, ſed ſine tui Numinis adminiculo non amo.* Ecce ad laudes diuinas vocor, Pater mi; ideò hic reticeo. Vale.

Epiſtola diei 13. *Auguſti.*

QVod maximè optabam, auſpicatò euenit, Pater mi dilectiſſimè. Hodie Saluator meus hanc hoſtiolam Deo rurſum immolauit, cruci ſecum affigens, recenti trium votorum nuncupatione, quaſi tribus clauis. Acceptiſſimum fuit Diuinæ Maieſtati ſacrificium. Hilaris Pater amplexus eſt filiam, Filius ſponſam, Paracletus templum ſuum. Signanter autem quilibet auſpiciis fouere ſuis promiſit, nullo caſu deſerere, & conſortem habere ſuæ miſericordiæ, ac charitatis. Quamobrem ego me multò quàm antea obligatiorem tantæ bonita-

ti reputo, cui, etsi pares vices nequeam rependere, gestio tamen voluntate, & præconio accepti beneficij recognoscere. Odi enim caput supinum, & immemor, horreoque maximè ignauiæ, atque ingrati animi labem; & vbi posse par reddere mihi deest, velle reddere non deest. Acta, & epistolam claudam, postquam eiusdem benignitatis memorandum opus retulero. Reminiscens eram errata vitæ meæ, & dolenter cum Regio Propheta orabam; *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Verùm quoniam peccatis minor erat dolor, & insciția muliebris non penetrabat mysteria eius Psalmi, illicò adfuit cælestis Magister, docens quo spiritu contritionis, quáve cordis pœnitentia supplicandum esset Deo; immò adiuuit supplicantem, cunctos versiculos singillatim, ac dilucidè in eum sensum interpretatus. Patienter adhuc, & paterna cum indulgentia accipito verbum istud: Patrem à Patre peto filia. Angor, Pater mi, vel etiam enecor fame eius cibi, qui solus mihi vires, vitamque suppeditat: sed escam tanti pretij sumere de mensa Dominica absque tua bona venia non ausim. Vale.

Epistola diei 15. Augusti.

VT præceperas, à lateribus Reginæ Angelorum, atque hominum non discessi, idque mihi feliciter cessit; namque sub serò ardentia mihi desideria inspirauit sectandi ipsam in spiritu; & ne lentè progrederer, ingentes mihi stimulos adhibuit, vt si non integra imitatione, saltem plena voluntate sequi tentarem. Magna mihi lætitia oborta est ob Matris Dei præsentiam: cor ipsum saltus edidit non mediocres. Ego verò supplex orabam; *Heu Genitrix sponsi mei, trahe me post te, diutiùs languere in his plagis seiunctam à sponso meo, & à te, acerbius mihi morte est. Heu si non alio mortis genere, fac amore moriar. Cita mors beatius mihi erit beneficium, quàm prolixior vita.* Ad hæc leuem quemdam susurrum aure interna audisse videbar, respondentem; *Ita nempe fiet, amore morieris: æquum enim est, solo amore viuentes, etiam amore mori.* Vocula illa aliquantulum leniuit afflictionem, quæ animum meum longè post horam vndecimam contorserat.

Primo

Primo autem diluculo ſuſcitata ſunt eademmet deſideria, non ſine magna cordis mei iucunditate, propter viſas illecebras à Patre ad dilectiſſimam filiam, à Filio ad Matrem Virginem, & à Spiritu ſancto ad præelectam Sponſam. Pauperculam me! Spectabam ſilens, & latitans in angulo incredibiles illas blanditias. Sed quo in angulo? Paradiſi certè, vbi talibus viſis à meipſa defeci. At dulciſſimus ſponſus arreptam brachio ad ſe traxit, & vnà ſimul cum Beata Matre obtulit Patri munus. Munus amicè acceptauit Pater, etiam quoad partem meam, propter conſortium, & ſocietatem Principis cœli, ac terræ. Oh nunquam iis locis dimouear, ſitque perennis ſtatio mea in ſinu ſponſi, qui me poſteà in ſynaxi oblectationibus compleuit. Vale.

Epiſtola diei 18. *Auguſti.*

PLura ſcribere prohibet otij difficultas: quæſo te hiſce paucis contentus ſis. Non deſeror ſolitis oblectationibus, & gaudiis ſpiritualibus, ſæpè ſæpius reuiſente me ſponſo. Vide quid mane fecerit, quo me à lepra iniquitatum mearum curaret. Ego quidem ad eum acceſſeram inſigniter deformis maculis, & lepra perfidiæ meæ: has ille haud præteriuit diſſimulanter, ignauiam, & infidelitatem ſeuerè exprobrauit mihi, cumque iuſta reprehenſione caſtigaſſet, poſtmodùm repoſuit in priſtinam amicitiam; tum oſtia pectoris ſui expandit, & reſeratis penetralibus cordis nitidiſſimi, atque ſalutiferi, leproſam ex tempore introtulit, & obſerauit intus. Quam Dei benignitatem, Pater mi! Quam ex me infidelitatem! Vale.

Additiones.

Mentio lepræ introducta eſt in hunc diem ex Euangelio Dominicæ decimætertiæ poſt Pentecoſten, contingentis die decima octaua Auguſti, cui pariter optimè conuenerat accurata excuſſio conſcientiæ, quam iis diebus præmiſerat ad excitandos ſenſus contritionis, atque humilitatis. Cæterùm quamuis ingenuitas animi, & horror cuiuſque leuis offenſæ retrotrahere viderentur eam à conſpectu ſponſi, nunquam tamen à blanda familiari

Digitized by Google

familiaritate, aut fiducia distraxere totis his diebus, qui absque litteris euaserunt.

Epistola diei 26. Augusti.

SPero, Reuerende Pater, si commodum fuerit, quantociùs videre te, & coram commonefacere de rationibus cordis mei, deque quotidiana Dei benignitate erga hanc suam ancillam: omnia enim clementiæ, omnia misericordiæ plena sunt. Tu intereà ne tardes me totam eidem clementiæ dedere, & inter sacra tua in sacrificium sacrare. Vale.

Epistola diei 27. Augusti.

NIsi te Angelus ad nos manuducat, spem omnem depono conueniri hodie, tecumque de secreto cordis mei viua voce communicare. Posteaquam à nobis digressus es, prægrandia operatus est Dominus Iesus: extrema potissimùm nocte nil ferè somni fuit; satis tamen, superque quando eam metam præfixit ille, cuius volitis vniuersa omnium vota commensurari fas est. Obruor, Pater mi, obruor ære alieno, eoque diuino: pudet me imparem esse soluendo, ne quidem fœnori, nisi qui donauit æs, rogatu tuo condonet & fœnus. Vale.

Epistola diei trigesimæ Augusti.

AGgredior, Pater Reuerende, quod salua tua, & Dei obedientia nefas est prætermitti. Proximè euenta, præcipuè autem breues sponsi à me digressiones, celeresque regressus describo, non aptè quidem, & pro rerum dignitate; vereor enim memoriam non satis bonam, & rebus non æquam orationem. Adiuuet me (te orante) Deus, ne contingat in re tanti pretij cæspitare sermone. Solet sponsus nonnunquam se à conspectu meo surripere, & ab oculis declinare, non tamen procul; mox enim vt videt paratam, vel desiderantem reuerti ad ipsum, siue per simplicem actum dilectionis, siue vt re aliqua illi placeam, vel vt proximo nomine suo prosim, protinus fit obuius, adestque etiam inexpectatus. Venatori persimilis excubat in capite semitarum

ſemitarum iſtarum, ſpe prædæ, cui inhiat, vt rapiat, & in rem ſuam pertrahat. Tendit interdum ſubtilia, occultaque retiacula, aut porrigit quaſdam eſcas medicatas diuina arte ad ineſcandum animas, quas reuocat de negotiis ſuperuacaneis, vel etiam ſeriis. Si quæras de retibus, aut de eſca medicata, citò, tutóque reſpondeo, benignos eſſe, atque arridentes intuitus Dei; melliflua item, & aromatica verba, quibus perculſum cor meum cogitur ad ſe redire, ſponſum introſpicere in viſceribus ſuis, & mutuis detinere collocutionibus. Rem tibi lucidiùs, & explicatiùs ſub oculos pono.

Sume exemplum paſtoris aduigilantis cuſtodiæ ouilis ſuis; ſedet ille non longè, occultus rubeto, dum oues intra ſepimenta paſcuorum liberè vagantur. Illas pauliſper errare non renuit, ſed longiùs excurrere non patitur, ne eant in malam prædam lupi. Quod ſi permittat eas aliquantulum extra diuagari, id facit, vt diſcant agnoſcere feras circumcurſantes, & promptiùs ad caulas, & ad paſtorem redeant. Quod ſi paſtor, paulò longiùs aberit, aut oculos dimouerit de ſuæ cuſtodia, oues tranſeunt in certam direptionem, & morſus ferales luporum. Feras animarum noſtrarum dixerim ego peruerſas naturæ commotiones, & malis inueteratos habitus. Ita ſi Paſtor meus videt me aliquo caſu labantem, non tamen peccato manus dare, ſed potiùs labi inuitam, ſtatim accurrit, humanæ mentis infirmitatem excuſat, & propè aſtans fulcit conſuetis adminiculis gratiæ ſuæ. Tunc edocta infirmitatis & periculi mei, ſimulque conſcia acceptæ ſaluationis, velociter pedes, greſſumque retorqueo ad Paſtorem, Seruatorémque meum, genua pro venia flecto, iterùm ductui, iterum curæ ipſius me committo, & voto non irritabili ſpondeo, me ne quidem vno paſſu ab eo diſceſſuram. Ille me regredientem, liberaque, ac firmiſſima voluntate ſubiugantem placitis ſuis, in bonam gratiam recipit, brachiis beneuolentiæ amplectitur, & ſibi priſtina connectit amicitiâ. Quid enim eum retardabat à ſolitis amplexibus, præterquam expectata ſubmiſſio, qua habenæ propriæ voluntatis ſponte in manibus eius traduntur? Hoc modo fit poſteà prædominator animæ meæ, & ex ſuo arbitrio compeſcit omnia; eamdemque transfert in ignota loca, vbi illuceſcentibus ſplendoribus diuinis, lumen humanæ ra-

Digitized by Google

tionis obtenebraſcit, & mens repletur per omnia Deo, & (vt ita dicam) vertitur in Deum. Interdum igitur videor poſita in loco fulgentiſſimo, & circumfuſa luce interna, quæ mihi teſtis eſt certiſſima ſponſi præſentis, intus loquentis, & fortiſſimè adſtringentis me ſibi, iam ſegregatam à ſenſibus corporeis, & penè dicam à vita, vt vita viuam amoris, & gratiæ.

Interim corpus meum torquetur grauibus, ac potentiſſimis doloribus, ſed dolores illos neſcio appellem acerbos, an ſuaues. Adde ſpicula amoris frequenter intorta in pectus meum à Sponſo, à Patre, & ab Amore increato. Adde vulnera inflicta cordi meo, animam de ſede ſua, & de corde vndequaque confoſſo ſagittis validè diuellentia. Non eſt, Pater mi, non eſt mollis hæc militia. Ego tanquam ſauciata cerua, citiſſima procurro ad lenientem fontem; ſed heu! qui medeatur, qui leniat dolorem, inuenio neminem, præter ipſum vulnerantem. Quid tamen de eo loquar? De impoſitis mihi plagis hilaris lætatur, & languentem amore, nil minùs, quàm vulneribus ſubridet gaudens. In hoc ancipiti caſu vtor vnico remedio, non vltra contendo, dolores ſuſtineo patiens, acquieſco inferenti, & ſponte omnia eius arbitriis dimitto, dum ille grandia, ſibi magis, quàm mihi nota, in anima mea operatur. Ecce Pater, quæ ſilentium poſtremæ noctis, quæque iſtius diei ortus attulere. Obliuioſa reticui renouatas heri cordium commutationes, & in ſynaxi ſpiritualia ſponſalia. Quæſo te, optime Pater, commenda hunc infimæ telluris vermiculum interceſſionibus Cœlitum; tot enim me ſponſus lenociniis iterum demulcet, vt ignorem qua deinceps profundiore cauerna claudar. Heu pertædet me dierum, ac noctium huius ſæculi! Num vltra proferetur exilium meum, & ero alienæ terræ inquilina, vſque adeò diſſita ab eo, qui brachio tam robuſto trahit corda noſtra? Trahe fortiùs, Domine, donec traducti in patriam cantemus in æternum miſericordias tuas. Vale.

ADDITIONES.

Vt intelligas quid potiſſimùm innuat illa loci obſcuritas, vide quid ſcribat ſancta Thereſia de gradibus orationis, præcipuè *in cap.* 18. *vitæ ſuæ.* Vide etiam quid alibi dicat de doloribus ecſtaſium. Quæſitum fuit à ſponſa noſtra, num inter blanditias, celebratio

celebrationem coniugij, cordium permutationes, vnitiones, &c. occurrerent aliquæ earum rerum imagines? Reſpondit, nullatenus, in apice etenim ſpiritus peraguntur omnia, licet interdùm videretur circumdata ingenti lumine, quod replebat, & illuſtrabat animam ſuam vndequaque.

Perbreues erant noctium dormitationes; quin etiam frequenter iiſdem noctibus de ſtrato ſurgebat pro ægrotantium miniſterio. Cibus parciſſimus, incolumitas plena, atque perfecta. Vix credi poteſt quanta cum ſollicitudine ſponſus inuigilaret non ſolùm ſanctitati animæ, ſed & eius rebus domeſticis, in omnibus illam præueniendo, & opitulando, ſpeciatim in oratione. Concludo hunc menſem litterula vltima eiuſdem.

Epiſtola diei 31. *Auguſti.*

ADhuc opprimor benefactis diuinæ miſericordiæ, quibus adſtringor in dies magis. Offeras quæſo illi me craſtina die rurſus affligendam cruci tribus clauis votorum.

Epiſtola primæ diei Septembris.

VIVAT IESVS.

ITa, mi bone Ieſu, viue, ac regna in cunctis quos amas, necnon in eis, qui te aut non ſatis, aut nihilum amant. Affla inſuper Patrem meum, vt incunctanter benedicat tibi, atque collaudet pro hac ancillula tua, cuius deſideriis, conſolationi, atque progreſſui hac die ſupra omnem menſuram fauiſti, quam in ſpiritu renouaſti, quamque abeſſe à latere tuo, vel vno diei puncto noluiſti, ſed pectori tuo, & cordi coniunctiſſimam adſtrinxiſti; quam denique tam ſplendidè, ac diuinè tractaſti, vt nihil eorum, ne vno quidem verbo valeam referre, vſqueadeò mihi præ reuerentia, & præ admiratione obſtupeſcit lingua, obſtupeſcit acies mentis. At oh bone Ieſu, oh amor meus dilectiſſime, & vnice ſponſe meus, ſi placet, reuela Patri meo geſta, ne quid deſit obedientiæ, qua teneor. Quàm te de hoc ſubſidio amauerim! Amabo ſanè te toto hoc corde, quod rurſus tradidiſti mihi ancillarum tuarum infimæ. Vale.

Digitized by Google

ADDITIONES.

Inſpice rurſus ex hoc caſu, quàm delicatus ſit ſpiritus amoris Dei, & quàm facile irritabilis erga animas, quas ſingulari priuilegio ſponſarum titulo, ac dignitate nobilitauit: ſenſum præſentiæ ſuæ ſubtraxit, quia ſponſa contra internam eius admonitionem ſeriùs commorata fuerat in collocutorio tempore meditationis communis. Poſtridie tamen rogatu Beatæ Virginis, cuius erat Natiuitatis feſtum, redintegrati ſunt familiares tractatus, & officia alterius ad alterum.

Altera pariter die ponderando ſignificata nominis Mariæ, quod amaritudinem ſonat, didicit veram amandi diſciplinam in malorum tolerantia conſiſtere, ipſumque pati propter Deum tutiſſimum eſſe indicium, & menſuram amoris, dicente ſponſo, *Qui amat, patitur: qui multum amat, multa patitur.* Cumque ſponſa res omnes huius ſæculi ita deſpiceret, ac pro nihilo haberet, & à nulla læderetur, in ſola abſentia ſponſi materiem patientiæ poſuerat, de qua ſic loquebatur: *Pœnarum ſumma mihi eſt amatoris mei abſentia; hanc tamen ipſo volente patienter etiam ferre parata ſum: nec ideò minùs ipſum amabo, & colam.*

Actum quoque eſt de firmitate fidei, anſam præbentibus verbis illis, *Beata, quæ credidiſti.* Hic ſponſa rogata à ſponſo rationem reddere cur crederet, inter alia reſpondit; *Si de articulis fidei aliqua parte hæſitarem, conuincerer de illorum veritate teſtimonio præſentiæ, operumque in me tuorum.* Quo dicto ſenſit in ſe permultùm reuireſcere donum fidei. Addebatque tanta certitudine firmari intellectum ſuum in primo quoque articulo ſymboli, vt nunquam recitare poſſet integrum, ſi conſideratè vellet ſingulos ponderare.

Epiſtola diei 13. *Septembris.*

SPero breui viſuram te, & res geſtas coram enarrare, ſi poſſim: ſi poſſim, inquam, nam hoc tempore vix aliquando ſenſu percipio, cor meum fermè abeſſe videtur. Rarior quoque eſt, ac remiſſior ſenſus iucundæ præſentiæ ſponſi mei, quamuis neutro omninò deſtituar. Suſpicor quippiam inuſtum

in anima odioſum, & remorans eius cœleſtes operationes. Quid illud ſit, necdum benè diiudico, excæcat me ignorantia mea. Tota ſum in veniæ deprecatione, & ſponſum inuoco non ſolùm reducem, ſed & ſtatiuum, exhibitis meritis matris ſuæ, quæ vt meme hoc mane in ſynaxi placato, placidoque intuitu exhilararet, iam obtinuit. Vale.

Epiſtola diei 16. *Septembris ad Venerabilem Matrem de Chantail.*

NOn ita firma valetudine potimur omnes, Veneranda Mater: binæ de noſtris in grauem morbum incidere, queis parua ſpes eſt recuperandæ ſalutis: vereor diſceſſum; magno certè commodo, & multis numeris vtiles ſunt Monaſterio. Attamen quoquo modo ſe vertat res, quieſcam, ſubire paratiſſima euenta diuinæ prouidentiæ, qua nihil eſt apud me præſtantius, aut amabilius.

Poſt aliquot dies minùs agitor, quàm conſueueram concitatiori ſenſu diuinæ præſentiæ. Illa vis externa, & tantoperè in me præualens, nunc aliquantò leuior, ac remiſſior eſt, facitque liberum voluntati meæ aliquid agere ex propria ſua conditione. Per quædam interualla adhuc incaleſco flammis amoris Dei, ſed per alia ſurripit, & occultat ſe Deus, conquiri volens (probè noſco) gemitibus intenſioribus, & deſideriis valdè ignitis; nam ſubinde celer redit in antiquam conſuetudinem, & in priſcos amores. Per has intermedias vices auguror me tacitè admoneri datæ alicuius offenſæ, mihi tamen ignotæ; ſed ab hac inueſtigatione pedem, oculumque retorquere cogor: ni facerem, Deo diſplicerem. Agnoſco conſultius mihi fore corde conteri, & conſpergi lacrymis coram eo, cuius talis, ac tanta eſt in me beneuolentia, quique tam aſpera tulit pro hominum ſalute. Hæc omnia contingunt ſalua ſemper quiete, & pace animi; quoniam conſilia Dei antepono meis, nec quicquam mihi in deſiderio eſt, quàm quod ipſe deſiderat. Eius enim ſumus omninò omnes, & omnia. Sorores noſtræ ſatis alacres progrediuntur in via Domini; optarim tamen feruentiores. Spero bona deſideria concepta in ſolitudine

dine paritura meliores fruges, ſuffragante gratia Dei, precibuſque tuis. Vale.

Epiſtola diei 17. *Septembris.*

EXpetenti mihi refici præſentia Euchariſtica ſponſi vnici animæ meæ, neque certam repulſam, neque aſſenſionem certam reddiſti, Pater Reuerende: redeo propterea ad nutus tuos. Nutus dixi tuos, quia ex quo Dominus meus me nuperrimè cruci confixit clauo obedientiæ, grande nefas arbitror manum, aut mentem admouere cuiuis rei, aut operi, niſi tu inſinuaueris. Tunc etenim dixi coram Deo, *Valete deſideria, valete arbitria mea, non ego vos in poſterum.* Tu ergo poſthabitis cunctis votis meis, vtrumvis ſatius iudicaueris, liberè de Tribunali tuo pronuntiato vno verbo, *placet*, aut *non placet*. Pronuntiatum ipſa lubens amplectar, & obaudiam ſubmiſſa. Quod tetigi de clauo obedientiæ, & quod ſpectat ad clauos caſtitatis, atque paupertatis, necnon ad reliqua acta eius temporis, quum primum nacta fuero pluſculum otij, ſcripto quo potero aptiori colligam, tibique tranſmittam. Intereà ſcito cor meum accepiſſe heſterna die recentia amoris vulnera ex amabili, formoſiſſimo, & iucundiſſimo aſpectu ſponſi. Pater enim formam, ac pulchritudinem incomparandam filij ſui oſtentans celebrabat illis verbis; *Speciosus forma præ filiis hominum.* Licuit mihi dudum paſci regio illo, ac diuino aſpectu tantæ venuſtatis, tantæ Maieſtatis; quam propterea auſa ſum precari, vt ſibi dignum in anima mea receptaculum pararet pro hodierna ſynaxi. Ad meditandum cum ſociis propero vocata. Tu me precibus tuis commendatam habeas, & vale.

Epiſtola diei 21. *Septembris.*

VT recto ordine obſequar dictis tuis, Reuerende Pater, Primo loco crimina, perfidiaſque meas propalabo: ſecundo acta diuinæ clementiæ illis oppoſita. Palam igitur profiteor, me nulla non die repugnaſſe Deo optimo Maximo, eiuſque conſiliis; minùs audientem fuiſſe eius mellitis, pleniſque ſalutis vocibus; cœleſtes delicias, quibus homines alliciuntur ad bonum, extitiſſe

extitiſſe apud me infrugiferas negligentia, inſcitiaque mea, procliuitate in malum, & obdormiſcente cuſtodia cordis, cuius zelo tam perditè captus eſt ſponſus, vt quoties illud tantillum pendere proſpicit, vel in proprias cupiditates, vel in vanas conſolationes, aut in quodvis aliud proprium commodum, illicò interna cenſura corripiat, vel etiam virga compeſcat remouendo ſe ab oculis meis, aut tenebris velando ſpecioſiſſimam faciem, vel aures obturando rogationibus meis, vt vel ſic infidelitatis meæ, ac procliuioris ad infima ſtudij commonefiam, & reſipiſcam. Nihil autem tantoperè facit illi ſtomachum, quàm ad orandum retardatio, aut illegitima abſentia, tanquam maximè aduerſans eius votis, qui vt citiùs venienti communicet ſeipſum, opeſque ſuas, ægrè ſuſtinet quamcumque morulam, ac ſi non alia re oblectaretur, quàm conſortio, atque colloquio huius ancillulæ ſuæ. Præter hæc peccaui vano mendacio ſemel, inconſiderantia multa, verborum nimietate, iactura temporis. Inofficioſa fui contubernalibus; tepidas, atque non obedientes ſeueriùs argui tepidior, atque inobedientior ipſa: extitique alienæ amicitiæ, ac laudis vtcumque amans. Ecce malorum meorum breuem commentariolum, Pater, ecce quas conſcientia dum diſquirerem oppoſuit maculas. Quid ſi ſubtiliùs indagaſſam? Quid ſi retexiſſem occultas? in quantos commentarios excreuiſſent? Puto enim ignotas numero longè plures eſſe notis, eo quod nulla ſit mearum actionum, quæ plus vna non ſcateat labe. Addam pro corollario, quanta per me patrata fuere quotidiana furta diuinorum chariſmatum? Quàm opulentum patrimonium gratiæ cæleſtis obliguriui ſine fruge? Quot diſperdidi dona diuinæ clementiæ? Prætereo cætera; vt vno verbo omnia complectar, cloaca ſum iniquitatum, & ſcaturigo miſeriarum. Heu me! dolens quæro expiari à tot noxis, & in ſpiritu humilitatis, atque contritionis proclamo; *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.*

Decurrat iam ſermo noſter ad opera diuinæ bonitatis, & ex me peccatrice diſcant mortales mirificos effectus miſericordiæ eius. Sed quid ego, Deus Optime Maxime; quid ego proferam dignum amplitudine tuæ benignitatis? An deforme non ducis in paucula verba conſtringi, quæ tu quotidie amplificas dona miſericordiæ tuæ? Profectò niſi iuſſiſſes, continerem me, obtenebrata

nebrata magnitudine tantæ benignitatis. Tu igitur, benigniſſime ſponſe, paterno adhuc oculo circumſpexiſti me ſtultè abeuntem à te: tu errantem quæſiſti, & dulci inuitatione reuocaſti: tu remeare, accedere, & ante conſpectum tuum ſe dare metuentem iterum altiùs prouocaſti, aures cordis mei percutiens illis verbis, *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, vt intueamur te. Cant. 6.* Quid autem, & vnde eſt iſthæc trina compellatio? Nempe quia à Patre, à Te, & à Spiritu ſancto reuocabar ad eundem Patrem, ad Te, & ad eumdem Spiritum ſanctum. Trina fuit, quia reducere me volebas de triplici via errationum mearum, videlicet de viis malè ſani cordis, oris præcipitis, & iniquæ operationis. Iteratò vocaſti me, vt plus fiduciæ animo propter peccata contuſo ingereres, necnon vt certiorem faceres de mitigata ira, & de prompta reconciliatione cordis tui amantiſſimi: aut fortè, vt ea aſſeueratione probares te veracem, & conſtantem promiſſo, qui per Prophetam tuum dixeras, *Quacumque hora ingemuerit peccator, & conuerſus fuerit ab impietate ſua, impietas non nocebit ei:* & ore tuo docuiſti multa peccata iis dimitti, qui diligunt multùm. Reuertentem igitur, & dimiſſis, irriguiſque oculis accedentem ad te, priuſquam ad caſtos amplexus, ſecretioreſque cordium communicationes admitteres, reliquias nævulorum meorum abſterſiſti, & balneo gratiæ tuæ circumquaque diluiſti. Hinc orta ſunt in me ardentiſſima deſideria pati, immò & ad mortem duci pro te, pro cuius amore animam, corpuſque in præſens ſacrificium ſacraui. Verùm quoniam actu, & reipſa perfici corporaliter nequibat, tu ſpiritualiter adimpleſti in die Exaltationis Sanctæ Crucis, Miniſter huius noui ſacrificij, quod in Altari Crucis immolaſti. Stetit pro ſubſtrata cruce beata ſors vitæ cœnobiticæ, in qua iam dudum extenſa immolor. Dein robuſto clauo dexteram meam defixiſti, dicens: *Clauus hic, clauus eſto obedientiæ, qua te legibus, conſiliis, & inſpirationibus meis aſtrictam volo.* Altero fixiſti læuam, & dixiſti; *Hoc clauo configo animi tui cupiditates, ne ad diuitiarum ſtudia, néve ad temporalia ſolatia declines: his te inuolucris euolutam, & omni parte nudatam ad me feſtinare præcipio.* Dixiſti, ſed quod pluris eſt, dictis ſuus non defuit ex tempore fructus; nam ſtatim expoliaſti me cupiditate quarumlibet rerum, quæ Deus

non ſunt. Tertiò denique confixiſti pedes, ideſt affectus meos, clauo caſtitatis, ſeu puritatis, tum mentis, tum corporis. Malleum dixiſti eumdem eſſe, qui te olim crucifixerat, ſcilicet malleum amoris, ſeu charitatis; & audita hac voce repentè ſauciatum eſt cor meum ſagitta amoris tui, recepique tam grauem plagam, grauemque dolorem, vt non niſi per mortem, qua tota tranſibo in amorem tuum, curanda viderer. Tu autem docebas ita crucifigi hominem exteriorem, vt in interiori viueres tuipſe. Eleuaſti poſthæc in ſublime crucem, vt exemplo fierem cunctis inſpectantibus me, & ipſe aſpectu oblectabaris crucifixæ, cui & manus, & pedes mouere omninò vetitum fuit.

Cæterum ex eo tempore nunquam retraxiſti fauores tuos: nunc ſacrum, ac venerabile cor tuum oſtentaſti, cuius aſpectu ſenſibiliter fui percita ſagittis amoris. Mox ſubiiciebas, *Præbe mihi cor tuum filia mea. Prou.* 23. Interdum vnitam tibi abſcondiſti in ſinu Patris tui, vt poſſim dicere cum Apoſtolo; *Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Coloſ.* 3. Ah Domine ita me abſconde, ita me in eo conclude, vt nullo vnquam vel caſu, vel tempore ad me, vel ad meas prauitates regrediar: ibidem in æternum te adorem, te collaudem, tibi de acceptis beneficiis gratias exhibeam. Vale.

Epiſtola diei 24. Septembris.

QVid noui referam de anima, quam tibi credidit Deus Omnipotens, nihil habeo; conſuetis eius benefactis ſine intermiſſione gaudet, quamuis infirma cadat aliquando. Sit æterna laus, & gloria Deo Optimo Maximo. Vale.

Epiſtola diei 28. Septembris.

NIl reſipiſco, Pater mi; donis cœleſtibus locupletior, minùs ſufficio gratiis reddendis Domino cordis mei, vel, vt veriùs dicam, cordis ſui. Accipe quid factum ſit in ſerotina meditatione. Sponſus quaſi mendiculus ad fores cordis clamabat; *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & cum illo manebo. Apoc.* 3. Exceptus in triclinio cordis mei pe-

tiit

tiit inſtrui ſibi menſam, & ornari, videlicet pane cinericio, ſeu bene cocto ſub cineribus pœnitentiæ, atque humilitatis; vino potentis ad Deum charitatis, & obſonio charitatis in proximum. Euolui ego omnes copiolas meas, vt tam præclaro hoſpiti iſthæc miniſtrarem; ſed ita reperi extenuatas, & vacuas, vt nihil eorum ad manum mihi ſubierit: non vidi in arca panem eius pretij, non vinum in cella, nec in penu tale obſonium. Tuncque ſubminiſtrari mihi ab ipſo, qui omnium bonorum affluentia ditiſſimus eſt, ſupplex efflagitaui. Oh miram largitatem! ſubitò exoptata detulit, & è veſtigio eadem eidem ego obtuli. Poſt menſam ſterni ſibi iuſſit in eodem cordis triclinio lectulum ſuum floridum: ad hoc enim veniſſe, neque inde receſſurum, quin priùs in hoc lectulo quieſcat. Ah Domine, huc igitur frequens veni, hîc commorare, hîc perenniter conquieſce, immò & me totam in te transfunde. Vale.

Epiſtola diei vndecimæ Octobris.

NIſi repellerer indignitate vitæ, & bonorum meritorum inopia, copiam adeundæ menſæ ſacramentalis hac die poſtularem: tu enim noſti indigentiam meam maximam, ſit indulgentiæ tuæ egenti conſulere, etenim ſi reiiciunt me culpæ, reuocat me egeſtas auxilij ſuperni. Ab heſterna die conſcientia imbecillitatis meæ valdè depreſſit ſpiritus meos; ex quo enim vidi ſolitudinem Ieſu languentis, & orantis in horto, dixi: *Num ego ſine adminiculis gratiæ cœleſtis in pedes ſtare valeam?* Vale.

Additiones.

Ad experimentum ſubmiſſionis ſpiritus denegata fuit poſtulanti licentia ſynaxis, conceſſa verò cuicumque ipſa concederet de collegio ſororum, præter ſeipſam, quam etiam aculeata reſponſio dentatis verbis mordebat. Manſit conſtans ſubmiſſio mentis, & quantam quiſpiam alius prompſiſſet lætitiam de conceſſu, tantam illa de repulſa, ac de criminatione. Interrogata autem, num bilem ſuſcitaſſet repulſa? Reſpondit; Auertat Deus, nulla me talis tetigit cogitatio, noui me eius

aliquid reddendum eſt innocentiæ Saluatoris, qui pro me tot luit pœnas, eaſque crudeliſſimas. Vale.

Epiſtola diei vigeſimæ Octobris.

PAcata ſunt omnia, Pater mi Reuerende. Ridens illuxit facies ſponſi: contulit hanc lucem, contulitque hanc pacem benedictio ſacramentalis; ab hinc enim, & pacatior apparuit Dominus, & firmato rurſum principatu in me ſuo, ſerenitas cordis mei dilatata eſt, penè ablegata omni recordatione malè antea geſtorum. Pro malefactis autem meis repoſita fuit benefactorum eius recens memoria; me etenim oſtendebat de procelloſo huius ſæculi pelago dextera ſua ereptam, & in ſuo regali arbuſteto tranſplantatam, non vt inſtar ſurgentis arbuſculæ, leui quolibet gelu tentationis exareſcat, quin vt potiùs ſeneſcat in vegetam, proceramque arborem, facilè eludentem ventos aduerſos, algores, æſtiuos ardores; cuius etiam ramis, ac vmbra contegantur ab eiſdem iniuriis iuniores arbuſculæ mihi commiſſæ. Præmonebat autem expectari à me copioſas fruges bonorum operum, vtpote quia conſita eſſem ſecus decurſus aquarum cœleſtium, quotidie irrigata rore Spiritus ſancti, cuius etiam ſolaribus radiis celeriter poſſent fructus matureſcere. Paupercula cogebar dictis aures, aſſenſumque dare, nil aliud expetens, quàm tolli de hac humo, & à lutulento corpore ad æternos amplexus ſponſi mei euolare. Mane actum fuit de Incarnatione Filij Dei, quo magiſtro humilitatis diſciplinam accepi; aiebat enim, *Diſce à paruo paruitatem, & à contempto contemptionem tui; ad hoc enim Maieſtatem meam non imminui ſolùm, verùm etiam vili corpore occulni, vt tu tibi vileſcere, & in paruulis eſſe addiſceres: vide beneuolentiæ meæ abundantiam!* Tradidit alia multa non diſparis doctrinæ magiſteria, quæ internis auribus capere potui, non referre eloquio; nam auſcultans in admirationem magè, quàm in auſcultationem trahebar. Enixè ego, & qua potui maiore obteſtatione orabam; *Euelle igitur amor meus, extirpa ipſiſſimas, & imas ſuperbiæ meæ fibras, & ablata elationis peſte, ſpiritum induc modeſtiæ, & humilitatis.* Exinde autem reſedit in mente mihi lucidior quædam, & minimè adumbrata notio nihili mei. In ſynaxi renouata fuit coniugij

noſtri fides, Paracleto amabiliſſimum nodum ſtrictiùs connectente. Inde euocata fui à N. N. attamen ſumpto prandio non ſine magno ſtomacho, & nauſea cibi regreſſa ſum ad pedes, & in ſermocinationes cum Deo meo. Heu quandonam his neceſſitatibus emancipata anima mea ad cœleſtia paſcua transferetur! Non antequam tu Deus meus iuſſeris. Fiat ergo interim voluntas tua in terris, æquè ac in cœlis. Vale.

ADDITIONES.

Nocte inſequenti perbeneuola extitere ſponſi colloquia, complexus, vnitiones, & illapſus gratiæ purificantis cor ſponſæ, quod ſibi ad delicias datum, atque creatum aſſerebat ſponſus, nullam ferè noctis partem quieti impertiens, etiam rogante ſponſa, iuxta ſibi datam legem. Tandem tamen nonnihil ſomni datum eſt per hæc verba: *Dormi, vigilabo ego in corde tuo. Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam. Cant. 3.* Quales verò fuerunt noctis labores, tales & diurni vſque ad veſperum, de quibus epiſtola ſequens. Quod de ſedula vigilantia ſponſi circa thorum ſponſæ dormientis ſubiiciam, non citra admirationem eſt. Excubare eum referebat ſponſa peruigilem cuſtodiæ dormitantis, non aliter quàm ſoleat amaſius quiſpiam vigilias agens ad fores dilectæ; ab oſtij quidem pulſatione abſtinet, ne quieſcentem exturbet, ſed ſemper præſto ſtat, & compoſitus ingreſſui, ad leuem quemque fragorem internum domus. Eodem modo ſponſus pernoctat ſilens ad oſtium cordis, dum ſponſa reficit preſſa membra ſomno: at vix illa palpebras diſiungit, cum è veſtigio exilit, impetit penetralia cordis, lumen præſentiæ ſuæ euigilanti defert, & non tam à ſomno, quàm ad ſacros amores excitat.

Epiſtola diei 21. Octobris.

ACcepi litteras tuas, Reuerende Pater, cœlitus dictatas ad eruditionem huius nihili. Quid dico, nihili, cùm nihilo deterior ſim, quia Deum, datamque fidem Deo toties læſi? Equidem æſtimo me non poſſe ſalua obedientia reticere, quæ tibi reſeranda teneo cordis mei occulta; ſed itidem arbitror non poſſe

Digitized by Google

poſſe à me præſtari ſalua verecundia ; quæ eſt enim audacia mea calamum arripere , aut os adaperire enarrandis diuinæ miſericordiæ operibus , magnitudine , atque admiratione anteacta ſuperantibus. Sit tamen mihi pro nihilo nota audaciæ, dum expectationi tuæ , & diuinæ bonitatis præconio contendo ſatisfacere.

Pomeridiana meditatio heri fuit inſtitutio ad humilitatem cordis , Magiſtro docente ſeruare animi moderationem , ſermoniſque modeſtiam , contundere omnem elationis , aut gloriolæ ſenſum ; ſi quid boni in me ſit , in Dei laudes refundere, & ignoti nominis , vitæque obſcurioris conditionem magnifacere , eo propè modo , quo ipſe ſplendorem Diuinitatis velamine ſtirpis humanæ obnubilans , humile , & obſcurum vitæ genus inter homines duxit. Idemtidem actum fuit in oratione ſerotina eius diei : ſed ego nulla mei portione vtens , nil penitus egi ; cuncta peregit is qui vires animæ meæ corripuit , tenuitque robuſta manu , & quocumque voluit , implicauit. Ego quaſi colligata manibus , pedibuſque , ad quicquam agendum me non mouebam , mouebar autem ad toleranda vniuerſa. Itaque ſponſus , magiſterque meus ſedens in area cordis mei ipſum inſignire voluit charactere filiorum Dei , quem nuncupabat *humilitas* , à ſe olim diſcipulis ſuis præſcripta , aſſeuerans ſolos verè humiles ritè Deum honorare , ſeque eorum priuata conſuetudine maximè oblectari. Vt autem profundiùs imprimeret , tenaciuſque inſculperet characterem illum humilitatis, appoſuit meo cor ſuum , tetigitque altero alterum. Quanta inde manauit , Pater mi , animo ſuauitas , quanta voluptas ! Ita ſenſibus abrepta fui , vt etiam loci reminiſcentiam amiſerim continuatis ebria gaudiis , vſque dum plena iam nocte cubitum ierim , vbi etiam Beatiſſima Trinitas nouis iterum blanditiis me excepit. Hinc leuis ſomnus permodicas inducias fecit ; nam ab hora ſecunda euigilanti ad quintam vſque incredibiliter increbuere ſponſi blandimenta , qui hoc nihilum in intimo cordis ſui abſcondit , & perdidit. Acta ſingillatim , & enumeratò referri nequeunt , hoc verbo claudo : ſponſus in hoc etiam nihilo , neſcio quo pacto inuenit , quod ſibi placeret. *O bonitas*, exclamabam ego ; *O bonitas infinita , oro te , ne Maieſtatem tuam ad hoc vſque nihilum proſtituas , ne te abiicias , & proſternas*

vſque

vſque ad hanc ſordidiſſimam fœminam, quæ theſauros tuos diripiet, diſſipabitque, niſi tu attentè cuſtodieris.

Longiorem ſcriptionem exigunt, quæ hoc mane in oratione, & ſynaxi acciderunt vndique prodigæ largitiones, vndique donorum effuſiones, & vndique vaſtiſſima abyſſus bonorum. Fideliùs verbo coram declarabuntur. Interim de tibi deſuper creditis vſui noſtro benedictionibus vnam elargire ſupplici mihi, quæ nihil habeo, nihil poſſum, nihil ſum. Vale.

ADDITIONES.

Eodem deinceps tenore fluxit reliquum eius diei; ſed multa iam nocte, cùm ſe quieti ſponſa daret, vehementiſſimè efferbuit amorum inflammatio; ſponſus enim cœpit blandulè cordi ipſius colludere, & mille modis ad amores allicere. Sponſa erubeſcens propriam indignitatem, in latibulum nihili ſui, tanquam in tutiſſimam arcem humilitatis ſe recepit. Vt in antro ſuo obliteſceret, non tulit ſponſus, imò concitatiore amoris impetu irruit in eam: vnde horrorem quemdam, & frigus toto corpore ſerpere ſenſit, dubia de orta febri, propter mox ingruentem magnum calorem, cogentem brachia de lecto exerere ad refrigerationem. Rei nouitate perculſa ſponſum ſic eſt allocuta. *Quid iſthuc eſt, Domine? Quid de me vis facere?* Nondum enim antehac experta fuerat tam aculeatas commotiones amoris diuini. Quare præſentiſcens agitationes grauiores, de antro nihili ſui nullatenus emergebat, expectans diuini Numinis arbitria. Ecce inauſpicatò aduolantem ſponſum iteratis amoris ictibus, quaſi telorum coniectione cor lateſcentis impetere, & his vocibus ad ſingulare certamen prouocare: *Euge ſponſa, euge, de hoc antro emerge: militem te volo, & contra me dimicare; nam aduerſum te bella moueo: iam non erit tibi colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, neque aduerſus Principem, aut Rectorem mundi tenebrarum harum; mecum dirimenda res eſt, mecum conſerendæ manus.* Inermis puella genus pugnæ ignorabat, atque ideò erubeſcens, ac tremens obiiciebat; *Manus meæ contra te Domine? Deus meliora: ego contra ſponſum? meliora Deus.* Cui ſponſus; *Ita fiet, manus tuæ contra me; & inter ſponſam, & ſponſum erit iſthæc monomachia. Sed audi, ego te priùs inſtruam armis: ego tanquam armigeram ferro tegam à vertice ad plantas, accingam galeam*

Digitized by Google

galeam capiti, loricam pectori, femori gladium, & cætera armamenta ministrabo, quæ Apostolus meus enumerat, signans virtutes, quibus exercetur mea militia. Dedit illa tunc manus, & Duci suo fidem militiæ, qualisqualis futura esset. Ergo sponsus, *Nunc, nunc statuam, erigamque te in scopum sagittis amoris mei. Ah hac vice moriendum tibi est.* Incaluerat iam nimium amore armigera, nec quò se verteret, aut quid opponeret, habebat. Tunc ille discooperiens cor sponsæ firmiter consistentis, paululum retrocessit, vt solent ad signum collimantes, dixitque; *Cor tuum pro albo mihi esto:* & eodem momento tres amoris sagittas igneas contorsit, inflixitque cordi, dicens; *Sic, sic iuuat arma vibrare: sic, sic figitur albo sagitta.* Cecidit exanimis puella atroci amoris vulnere sauciata, & præ vulneris dolore putauit extremum ictum ad mortem suscepisse. Subridebat interea amator sponsus, & quasi de prostrato hoste hilaris gloriabatur, hoc pacto amore suo feriri homines. Sponsa extremo dolore, & extremo simul gaudio affecta inter oppositas passiones languebat, acquiescens tamen cunctis, ac singulis sponsi voluntatibus, & amoris affectibus. Penè autem defecit vbi sponsus ad ferenda contra se arma vrgebat: *Eia age,* inquiens, *age armigera: ego vulneraui cor tuum sagittis meis, tuis iam redde vulnera meo.* Reluctabatur tamen illa, & telorum inopiam conteſtabatur tremens. Ad hoc sponsus patefaciens cor suum ait; *Ecce scopum, pete sagittis tuis, feri validè. Quid pauida tremis? Album pro albo, pro corde cor. Pete, sic volo; feri, sic iubeo.* Prompsit illa de pharetra cordis sui terna spicula, idest tres actus amoris, & magna cum reuerentia ad cor sponsi direxit. Cui cùm forent acceptissimi, armigeram suam complexus, in penetralibus cordis sui condidit, & donis cœlestibus copiosè munerauit. Ad quinque horas producta est pugna ista, & propulsata quies noctis. Quamobrem partim defatigatione, & doloribus noctis, partim ob geminatam vigiliam noctium præcedentium, mane nequiuit in chorum cum sociis conuenire.

Tu rem inusitatam ne mireris; stratagemata diuini amoris sunt. Eius rei exemplum habes in Patriarcha Iacob luctante cum Angelo vsque mane, de quo *Gen.* 32. Cúmque esset solus, vir luctabatur cum eo vsque mane.

Epistola diei 23. Octobris.

ETsi hesterna collocutione multa tibi de occultis diuinæ clementiæ patefecerim, minùs tamen satisfactum iri desideriis tuis vereor, si reliqua sileam. Breuissimè quod occurrit, describam. Sponsus consueto magisterio functus rursum erudiuit me multis ad perfectam regulam morum conducibilibus, minori quidem cum suauitate, sed maiori teneritate cordis, dum contemplarer eius paupertatem, obedientiam, & perpessos cruciatus. Ab agonia orantis in horto didici subiugare passiones, in flagellatione tolerantiam aduersorum, à gestante crucem perfectam submissionem diuinæ prouidentiæ, proposuique parare mihi istas, cohærentesque virtutes; sed in hac prouincia manu egeo subsidiaria; porrige tu quæso ad me tuam, & quod magis opto, supplices pro me manus, supplicia-que vota ad cœlos tende; supplicationem tuam non excludet Deus. Vale.

Epistola eiusdem diei ad Matrem de Chantail.

CLauseram Epistolam meam, cùm ad nos peruenit tua, de te bona nuncia ferens. Gratiæ immortales Deo Optimo Maximo, qui te nobis incolumem tuetur. Gratiæ tibi sint perennes, quæ nos certiores tuæ incolumitatis feciſti.

Quod me officij mei commonueris, gratissimum fuit, vtque id semper facias, etiam atque etiam oro. Verba tua, verba mihi sunt à Deo, ea ponam loco summi beneficij, & studiosa semper agam, vt ritè per me, quæ iusseris, fiant. Quod verò eadem Epistola suadet de explicatione cordis mei coram Antistite nostro propediem venturo, vel etiam coram aliis sapientibus, eruditisque viris, id sponte faciam, nec simulatè. Effundam quicquid iacet intra viscera mea, vt rem omnem dilucidè comprehendam. Existimabam tibi significatum fuisse de habita collocutione cum maximè Reuerendo Patre Gondrino, Præposito Generali Congregationis Oratorij. Nudè illi, & simpliciter expandi omnia, cum hàc ad nos transiret. Optimè,

atque

Digitized by Google

atque ſapienter ab eo mihi ſatisfactum eſt. Comprobauit acta, addiditque hæc præcepta : Viue immemor tui, fixiſſima Deo, & fidentiſſima curæ eius paternæ : participem te vult ſanctiſſima Trinitas ſocietatis ſuæ : eſto fidelis, & corde humillima: præbe te velut inſtrumentum, quo liberè vtatur in gubernatione huius familiolæ religioſæ. Maximè mihi conſolationi fuere eximia viri virtus, doctrina, & beneuolentia in Ordinem noſtrum ; fortè etiam futurus eſt nobis aliquando vtilis, cùm ſit Fratri Regis à confeſſionibus. Non renui reſerare ſapientiæ illius cuncta penetralia animæ meæ, & nodos quoſcumque exponere, adducta in hanc fiduciam à Præſule noſtro. Petiit tamen à me, vt ſi placeret, nonnunquam litteris, quæ occurrent, indicarem.

Iam à pluribus diebus has ad te litteras exaratas ſeruabam: hoc interiectu temporis cor meum rediit ad primæuas ſuas exercitationes ; maius certè gaudium non eluceſcit mihi, quàm de repetita cum Deo conſuetudine, & de renouato cum eo amoris commercio. Ingenuè confiteor, videtur diuina bonitas non poſſe abeſſe diu ab hac animula, nec impediri, quin illam abundanti ſui communicatione lætificet. Creſcit in me propterea per momenta ſingula mentis confuſio, quoniam immodicis nimium beneficiis oppignerata ſum. Summoperè deprecor te, vt mihi ſoluendis ſaltem gratiis auxilio ſis, & vale.

Epiſtola diei 25. Octobris.

QVod veſpere lentior ad te venerim, Reuerende Pater, ne quæſo ſocordiæ, aut neglectui tribuas, facilis potiùs condona : ipſomet puncto temporis ſponſus demoratus eſt me, ſublato omni greſſu. Erat renouans promiſſa patrocinij, cuſtodiæque ſuæ, ne poſthac vlla in re ſubdiffiderem ; dotabatque annulo fidelitatis, aliiſque pretioſiſſimis donariis miſericordiæ ſuæ. Verumtamen, quàm mox ſoluta fui, ſine mora ad te properaui, & egredientem fruſtra inclamaui. Iterum ego ſupplex exoro ignoſci in tanta temporis anguſtia tarditati aduentus mei. Cæterùm excreuit maximoperè vbertas diuinarum largitionum in hoc minimum terræ granulum, quod quantumvis

Digitized by Google

pusillulum sit, & vix oculis spectabile, nullum tamen satis occultum foramen adinuenit, quo se detrudat. Oh vtinam diuinum Esse ita illud in sinu suo abscondat, vt nusquam locorum hominibus appareat. Vale.

ADDITIONES.

Noctem posteà traiecit inter colloquia amatoria sponsi, donationes, & promissa, aliosque huiusmodi tractatus, & gaudia; præcipuè autem in constitutione regni Dei sui, & accipienda doctrina sapienter administrandi Monasterium. Quibus studiosè intendens, prohibita est oculos tum corporis, tum animæ claudere. Nam primò sponsus manu sua tenens cunctas facultates, seu vires sponsæ, voluit regium dominatum in eius anima sibi statuere, non nisi tamen habito priùs eiusdem assensu, & oris confessione, quærendo ab illa; *Nunquid non ego Rex, & Princeps sum cordis istius?* Cui illa submisè; *Iamdudum conuenit inter nos omnia esse tua; quod habeo, quod sum, non meum, sed tuum est. Ergo tu Dominus, tu Princeps, tu Rex meus es.* Quo audito sponsus vt multò magis faceret suam, in sinu cordis sui reposuit. Hi autem tractatus de Regno, de Regia authoritate in animam huius seruæ suæ, in multos dies protracti sunt, vt constat etiam ex epistola sequenti. Quod ad doctrinam boni regiminis Monasterij, sponsa percupiens impositum sibi onus prudenter gerere, meditationem boni Pastoris custodientis oues suas propositam habebat; silere tamen etiam mente coacta est. Is qui dominatum gerebat animæ eius, huius officij partes præripuit, asserens se esse, foreque semper fidissimum Pastorem, & custodem ipsius, ouicularumque suarum, quod verè probauit à præstitis hactenus officiis erga illas. Edocuit pariter, quo pacto, & qua lege sponsa ministerium pastoris ritè, ac fideliter obiret, quáve vigilantia teneretur excubare regendis ouibus, etsi primas ipse assumeret sibi. Quare recensebat posteà sponsa optimas leges educandi sanctimoniales ex ea collocutione deprompsisse.

Epiſtola diei 27. Octobris.

DVm aduenienti Regi noſtro Chriſtianiſſimo occurris, his ego te litteris conuenio, Pater Reuerende, admonens, Regem cœlorum ſtatuiſſe, & erexiſſe ſolium regni ſui in corde huius ancillulæ, vbi viuat, regatque omnia imperio, ac poteſtate ſua, quia aiebat, *Hic mea ſunt omnia, hic per me, hic pro me, hic in me viuitur.* De nocte proſtrata ad pedes Regis mei, ſenſi in corde vocem ſubiicientem mihi; *Vociferare, dic, Viuat Rex, viuat Rex Ieſus, viuat Rex cordis mei.* Satis diu perſtiti clamans, & conteſtans, ſponſum eſſe Regem meum; atque inde oborta eſt in animo ingens, diuturnaque iubilatio, quòd eſſem tam optimo Regi ſubdita. Poſteà tolerabile ſpatium ſopori erogatum eſt, ſed ſimul mecum experrectus eſt ſenſus iubilationis, repoſitæque in ore cordis eædem voces: *Viuat Rex, viuat Rex Ieſus, viuat Rex cordis mei.* In oratione matutina, necnon in ſynaxi replicauit ſponſus priſca blandimenta, pollicitationes, imò & nuptias. Peracerba, crede Pater, & inſulſa mihi ſunt creata omnia. Solius Dei præſentia guſtum delectat, licet erubeſcam de tam rara beneuolentia, atque deliciis grauari animam meam, donec hoc nihilum nullius pretij à toto ſuo omnimodè abſumatur. Vale.

Additiones.

Per hæc tempora ibant dimidiatæ noctes, partim modico ſomno, partim mentis exercitationibus. Et quamuis hæc diuina commercia eſſent ignota, & abſcondita ſociis, attamen non rarò inter ſopores noctis audiebatur alloqui, aut concinere Deo. Ad leuiſſimum autem infirmarum motum, aut vocem, promptior cæteris aderat miniſterio.

Poſt hæc, pro titulo Regis ſponſi, ſucceſſit conditio Patris edocentis infantulam ſuam, quæ attenta nimis aure omnia præcepta excipiebat, ex ſe nihil dicens. Perſpicuè autem agnoſcebat ex diuino conſortio lenteſcere, aut fermè extingui prauas animi perturbationes, quibus domandis iam nihil ferè difficultatis offendebat.

Epistola diei primæ Nouembris.

QVoniam eò vnicè vergunt vota, studiaque mea omnia, Reuerende Pater, vt explicata laqueis huius sæculi purior accedam, consocierque æterno Soli, & supremo bono; quæ quidem vota incaluerunt in me maximoperè, dum suspicerem quàm miro, diuinoque modo Beatissima Trinitas impartiatur beatitatem, infundatque Numen suum Cœlitibus; quàm præsto sit iis quoque se exhibere, qui ipsam fideliter colere, atque diligere nituntur in terris: hanc ob rem, inquam, repetitis in consortio Sanctorum, ac ipsius Principis Sanctorum antiquis, religiosissimisque promissionibus meis, eidem Trinitati hoc mane me consecraui.

Quid inde actitatum putes? Sponsus, Magisterque meus de corde meo composuit sibi monticulum, de quo quasi de sede sui Magisterij documenta protulit, quæ beant homines in cœlis æquè ac in terris, auspicatus primam lectionem à paupertate spiritus, pro qua posuit thema; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quod etiam thema fortè mihi priùs in sortitione beatitudinum contigerat. Igitur differens de hac paupertate insinuabat, sitam recumbere in interiori parte, seu in ratione humani ingenij. *Pauper spiritu eris,* aiebat, *ablegatione proprij sensus, propriæ voluntatis, iudicij, & intellectus. Pauper eris, si te cupiditatibus, si affectibus minùs Deo gratis exuas. Pauper eris, si te ipsam ad nuditatem vsque expolianeris. Denique si nihilum tui residuum habeas.* Oh vtinam hac paupertate diues essem? Tantùm dicere de me non ausim, coargueret, conuinceretque me hesternus lapsus, propter quem irreprehensa non recessi ab auditorio. Corripuit me Magister reprehensione acerrima, quæ de offenso Patre optimo grandia mihi suspiria, lacrymasque elicuit. Tamen lacrymantem clementer de more suo suscepit, & amplexatus est Pater. Vale.

ADDITIONES.

Lapsus, de quo correptam se dicit, correctio fuit erga sororem, non quidem immerita, nec acerbiori verbo; sed cum proprij cordis tantula commotione. Correptiones desiderat clementissimus

mentiſſimus Deus à Sanctis, quæ æquabili ratione fluant, non impetu paſſionis, aut motu iraſcentis.

Epiſtola diei ſecundæ Nouembris.

QVid boni, quidve noui efferam tibi, reuerende Pater, ignoro. Quid enim à nihilo expectes? Lapſus, errores, crimina. Sed hæc neque bona, neque noua ſunt apud me iniquitatibus adopertam, intuſque vitiis refertam, propter quæ deterreor à conſpectu Dei. Verum quidem eſt, erigi me ab eius clementia, ne à ſpe ſuæ miſericordiæ excidam. Heri alebat bonam ſpem meam teſtimonio liberaliſſimæ dilectionis ſuæ, qua ſemotis malis omnibus, ſpiritus iuſtorum bonis æternis in cœlo feliciſſimè cumulat, eadem collaturus degentibus adhuc in terra, honeſtè, ſanctéque viuentibus. Innuit autem hodie quantoperè exhorreſceret hominum non tantùm flagitia, ſed etiam tenues offenſiunculas, quarum vltioni locum, variaque genera ſuppliciorum deſignaſſet, vbi noxij vi tormentorum debitas pœnas expendant, & labeculas ſuas eluant; neque enim quemquam, quantumvis charum ſibi, in conſortium venire patitur Deus, qui maculam vllam habeat, aut rugam. Ego turpitudines meas palam, & mœrens ad tribunal altiſſimæ illius Maieſtatis prodidi, pollicita emendationem, auxiliante gratia ipſius, quam in ſynaxi copioſè reddidit, confirmauitque in oratione ſerotina, purificans, viuificans, & filiabus ſuis aſſocians hanc ſeruulam ſuam. Ecce debilia mea, Reuerende Pater. Nato in fluctibus, quolibet ventorum flatu huc, illuc proiecta: ſuſtineor tamen brachiis diuinæ prouidentiæ, quæ mea à ſponſo diuortia benigniſſimè tollit. Vale.

Epiſtola diei ſextæ Nouembris.

PRimo omnium, Reuerende Pater, impende mihi beneuolam tuam benedictionem, cuius auſpicio quod præcepiſti, fideliter geram. Heri tum ante lucem, tum inter ſacra myſteria Miſſarum ſponſus proſecutus eſt lectiones ſuas, & de manſuetudine fuit verbum, iuxta illud Matthæi, *Beati mites, &c.* Aſſeuerabat ergo nullam reperiri virtutum ſibi magè dilectam

lectam manſuetudine, cum comite germana humilitate; eo quod vtriuſque dum eſſet in terris, fuerit author, ac inſtitutor verbo, & exemplo. Monebat autem maximè deſiderari hanc virtutem in iliis, quas beata ſorte, & titulo ſponſarum nobilitaret, minimè verò decere ſponſas ſolis radiis ſponſi coruſcantes, diſſimili cultu veſtium ornari, vel aduerſis veſtigiis incedere. Addidit inſuper ſuauem fragrantiam dulciſſimi Nominis ſui attraxiſſe numeroſas turmas adoleſcentularum ad ſuum ſacrum connubium, teſte ſponſarum duce, & anteſignana *in ſuo Cantic.* 1. Altis ego ſuſpiriis, & præconiis exclamabam: *O quam bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus! Quis te non colat? Quis non dilexerit? Quis nomen tuum non gerat perpetuò in corde, in fronte, in imis viſceribus? An erit quiſpiam tam agreſtis, tam ferus, tam ferreus, cuius pectus non emolliatur, non liqueſcat ad ſuauitatem amoris, ac benignitatis tuæ? Oh humaniſſimum cor Ieſu, fons, & origo vniuerſæ dulcedinis, vniuerſæque bonitatis? Ah precor connecte, commiſce tibi corculum huius miſellulæ, vt ea ex compage tota fluam in lacteum riuulum manſuetudinis, ſuauitatis, & charitatis erga animas tibi dilectas mihi creditas.* Ex hac potenti affectuum commotione per diem, & ad omnem occaſionem pullularunt mihi frequentiores ſolito actus lenitatis erga ſoroſtras. Exciderat penè memoria mihi, quod mitiſſimus Ieſus his, aut paribus verbis retulit de comparanda manſuetudine: *Vt perfectè dulceſcas, cordeque miteſcas, præbe mihi cor tuum, & ego pro eo reponam meum mellitum, & omni ſuauitate conditum, extra quod nuſquam, ne vna quidem ſtilla dulcitudinis hauritur.* Ego in cunctis facilis parui, & volenti vltro obſecuta ſum, vt me cum Regio Propheta formaret ſecundum cor ſuum.

Veſpere iactata fuit eadem materies manſuetudinis, ſed mutatæ rationes, atque affectus. Magiſter in medium adductis tribus litteris initialibus nominis, cognominiſque mei, A. M.C. inde prompſit accommodata documenta eius virtutis, longo quidem dicendi circuitu, ſed hîc in compendium mittenda. Per litteram capitalem Annæ, indicari docuit vocem *Abyſſus*, dixitque, *In educandis, regendiſque puellis tuis ſis abyſſus lenitatis, & placiditatis, fundo, ripiſque carens.* Per capitalem Margaritæ ſignari *Mare*, inquiens; *Sit cor iſtud altum, latum, vaſtumque*

Digitized by Google

que mare ſuauitatis, & miſericordiæ. Per capitalem cognominis, *Charitatem*, his verbis; *Regnet omni tempore in corde iſto charitas, clementia, atque benignitas. Nil vnquam amarum ſapiant cogitationes, congruæ lenitate temperatæ. Verba prodeant blanda, & melliflua; acta redoleant balſamum modeſtiæ, pietatis, ac ſapientiæ.* Poſt hæc ſponſus ſuffumigans corculum meum thure benignitatis ſuæ, introculit donum ipſum manſuetudinis, locauitque firmiter in eo gratiam facilis indulgentiæ, & humanæ comitatis, qua promptior, lætiorque feror ad opera miſericordiæ, & charitatis; & animi tranquillitate fruor pacatiſſima, quam nihil aduerſum interturbat, nil aſperum contriſtat, vtpote in diuina requie, & otio poſitam. Si me inde negotia externa non auocarent, vita viuerem longè pacatiori; ſcilicet non aliis deſideriis dilaniata, quàm vt in centro meo immota conquieſcam.

Hodie mutata eſt alea; de beatitudine eorum, qui lugent extitit ſermocinatio, iuxta illud, *Beati qui lugent, &c.* Demonſtrabat itaque Magiſter amorem erga me ſuum expreſſiſſe innumerabiles lacrymas, non ab oculis dumtaxat, verùm etiam de cunctis particulis corporis ſui, tunc cùm in horto Oliuarum factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Quid enim ſunt guttæ, aiebat, quàm lacrymæ? Quid guttæ ſanguinis, quàm lacrymæ ſanguinis? Quid porrò artus lacrymantes ſanguinem, quàm innumeri oculi effundentes lacrymas ſanguineas? Deplorabam ego ſiccitatem oculorum meorem ſtillantium raras, citóque arentes lacrymas pro tanta mole erratorum meorum. Deplorabam inſuper oculorum paucitatem. Bini ſunt, Pater mi, pauci ſunt. Vtinam corpus meum tot diſtinctis oculis ſcateret, quot articulis, vt diu, noctuque vndequaque erumperent flumina lacrymarum diluentium mea, alienaque crimina. Tunc poſtulaui concedi mihi vnam, aut alteram de ſtillis ſuis, qua perfuſum cor meum emolliatur ad ſenſum compunctionis, & vberiùs defleam diutinam proſcriptionem meam à ſponſo: qua de re auſa ſum cum Apoſtolo *Rom.7.* conqueri: *Infelix ego! Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et cum vate Regio *Pſal.119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* Alium quoque morem lugendi expoſuit, & à me depoſcit, quo ferè vti ſolent lamentantes infortunia ſua; con-

tinere nimirum se à terrenis voluptatibus, à vanis gaudiis, & à sensuum delectationibus; felicitatem verò, & omnem sanam iucunditatem ab eo quærere, qui solus est lugentium consolatio.

Absoluta sunt sacra officia, Pater mi Reuerende, instatque hora vndecima noctis; cor meum iam valdè torquetur appetentia mensæ Eucharisticæ, quam tamen non ante horam nonam crastinam adire licebit. Breues, & paucæ ab hinc numerantur horæ; mihi verò quadruplo longiores reddet ipsa expectati epuli sacra fames. Eius tamen vexationem aliquatenus sedauit sponsus cibo spirituali suæ præsentiæ, & hospitio plagarum suarum, in quibus mox spero tranquillè dormire. Vale.

ADDITIONES:

Mansuetudinis donum non modicè cumulauit Spiritus Paracletus, quo die de ea virtute habita fuerat lectio. Etenim dulcissimo oleo (quod mansuetudinis typus est) animam sponsæ deliniuit, quo delibuta sensit mirificè mitescere facultates irascibiles pectoris sui. Inunxit autem Paracletus primò cor ipsum, quod attactu cælestis illius liquoris mira suauitate confestim refertum fuit, & penè à se mutatum, extinctis scilicet vi olei imis radicibus iracundiæ, & asperitatis. Tum invnxit singillatim reliquas animæ facultates, quæ pariter ex balsami allapsu incomparandam spiritus dulcedinem ebibêre, vnde sponsa facillimè in posterum compescceret omnem iræ motum, vbi opus esset, adhibita correptione, quod eadem die variis exemplis comprobauit.

Quod autem legis in epistola de trium litterarum interpretatione, in rem præsentem, ne putes mulieris commentum; inopinatò, & non sine admiratione in loco accidit, vtpote dictante alio spiritu, provt creberrimè videbis in sequentibus.

Epistola diei 8. *Nouembris.*

HOdie eucharisticas gratias actura omnipotenti, & munificentissimo Deo, precaria subsidia à te inquiro, Reuerende Pater: ipsius quidem Dei sum magis quàm ipsa mihi; attamen non hæsites me illi in victimam gratiosam denuò reddere, impetraturus

impetraturus etiam precibus tuis beatam requiem parenti meo, iamdudum hac anniuerſaria die vita functo. Cæterùm triumphat etiamnum gloria diuinæ beneficentiæ: illam luculentiùs repetam viua voce; ſponſus enim maximam partem duarum præteritarum noctium ſibi vendicauit. Quin præripit vniuerſa momenta vitæ meæ? Quin viuit ſolus in me, quæ vita non merita fruor? Vale.

Sic ſignatum.

IMPROBVM NIHILVM.

ADDITIONES.

Inquiramus, cur duæ poſtremæ noctes ſine ſomno exceſſerint. In prima quidem aliquid contigit inſolitum, aliquid etiam non præter conſuetudinem. Primo loco ſponſus munus, atque rationem induit Gubernatoris dirigentis hanc nauiculam iuxta conſilium ſapientiæ ſuæ, cui ipſa ſponte clauum detulit, certa, nunquam euertendam nauim, quæ tanto Gubernatore vtitur. De hoc verò regimine non rara fit mentio in hac hiſtoriola. Præter conſuetum verò accidit, quod ſponſus iam poſſeſſor, & rector huius animæ, eandem veluti ſegregans, ac diuellens à corpore, extempore, & in ictu oculi in altum ſuſtulit, poſuitque fulgentiſſimo loco, tanquam in circulo, ſeu rota ſolis. Hîc nos potiùs ipſam loquentem audiamus; nam ad lucidiorem facti expreſſionem dicebat: *Excogita hominem orbatum communi vſura lucis, & lætitia diei, cui magno prodigio de repente, & vno momento ſoluantur oculi, depulſaque perpetuæ noctis caligine, illuceſcat ſplendor ſolis, ac meridies lucis æſtiuæ: vt re noua hæret attonitus! vt miratur inſolitam lucem! vt exultat! Talis profectò eram ad repentinum, eximiumque fulgorem, in quem tranſlata coruſcabat anima mea, & incaleſcebat nil minùs quàm tellus ſub æſtiuis, meridianiſque ardoribus. Perſtricta ſic acie oculorum, vix poteram obtutum in illud ingens lumen intendere. Quod vt magis perſpicuè intelligas, veniat tibi in mentem idea fulguris ex improuiſo de opacis, atriſque nubibus erumpentis, cuius læſione, & flamma oculi inſpicientium retorquentur; & puta fulgori parem animam meam in illo fonte lucis poſitam, prout mihi ipſi ſponſus oſtentabat. Poſt aliquam moram inſedit ipſemet cordi meo, quod appellabat thronum ſuum, in quo perpetuò reſideat poſſeſſor. Hactenus in præteritis ſponſi operationibus aliquid diuini conſilij comprehendebam.*

quid in ista augurer, ignoro: vtcumque fiat, ego animam, ac me ipsam cunctis sponsi voluntatibus suppossui. Hæc sponsa.

In nocte secunda somnum abstulit noua quædam actio, quam sponsa vocabat, diuinæ bonitatis inuentum, de quo dicebat; *Sponsus decumbenti, sed adhuc vigilanti mihi obiecit visum expansi cuiusdam, infinitique maris, cui maris misericordiæ nomen dedit, in quo submersit, ac perdidit cor, animamque meam. Iacebam in centro vastissimæ illius voraginis, vt pusilla grinula, vix mihi ipsi spectabilis: quonam id modo, nescio: hoc vnum scio, illic me constitisse immobilem, vtpote sepultam circumfusis vndequaque aquis diuinæ essentiæ. Transmiserunt hoc pacto vigiles horæ nocturnæ, nec quicquam somni indultum est mihi, etiam petita, sed non impetrata dormiendi licentia, donec illucesceret diei ortus.*

Serò prædictæ diei octauæ succeſſit meditanda quinta beatitudo, videlicet de misericordia. Ibi sponsus collata aceruatim benefacta suæ misericordiæ demonstrauit sponsæ: vnde illa prospiciens se circumuallatam tantis aceruis, quaquauersum lumina volueret, stupore facta est elinguis, nil aliud ore resonans, quàm, *Misericordia mea Deus.*

Verùm quantò præstantior fuit nox subsequens, expers somni vsque ad horam secundam post mediam noctem! Sponsus enim cupiens commendare discipulæ opera misericordiæ, comparauit ipsam mari, vocitans eam mare misericordiæ omnibus largiter impendendæ, in primis autem sibimet sponso; quod à sponsa minimè intellectum, apertiùs expossuit, inquiens: *Ego te clementer recepi in domo mea, excipe, precor, me in domicilio cordis tui; illic nouo, & altiori modo habitare concupisco.* Stabatque ante ostium non aliter quàm pauperculus exorans angulum aliquem hospitij, veritus pedem inferre, non habita priùs venia. Quo signabat sponsus expeti assensum liberè elicitum à sponsa. Assensum illa non cunctabundè, neque grauanter, sed volenti animo donauit. Tunc sponsus impetu velocissimo hospitalem sedem aggressus, illicò amantissimè, & perquam intimè sponsam sibi astrinxit, ita vt propter violentiam amoris, atque doloris videretur è vita excessisse, & absumpta in Deo, quem sic est affata: *Ah Domine, fac ergo vt moriar; nunquam te perfectissimè amabo, nisi post mortem.* Cui ille, *Ita est, hac vice morte morieris, vt ego solus in te viuam.* Ad hæc verba duplo creuit sensus

Digitized by Google

ſus doloris, duplo altior conſcendit flamma amoris, quæ per cunctos animæ ſinus, corporiſque articulos irrepens, vtrumque incendio torrebat ſuo. Quare aperto ore anhelans, aëremque geminatis ſuſpiriis trahens, inter dolorum, amoriſque cruciatus orabat; *Heu me, qui ſtabello refrigeret æſtum cordis mei, non inuenio, præter eum ipſum, qui illud inflammat, quem cùm reperi, nouis aduror flammis; ſic amorem amor, flamma flammam nouit.* Ab hora ſecunda poſt mediam noctem, illapſa eſt, neſcio qua via, aliquantula quies, ſummo tamen diluculo iterum interrupta per regreſſum ſponſi ad illud idem cor, quo potiri voluit. Prolixa vigilia, & exagitatio cordis minimè obſtitere, quin exurgeret ante lucem cum ſociis ad ægrotantium miniſteria, ſolita dicere, ſe diuino præſidio, non naturæ ope ſubſiſtere inter aſperrimos dolores, poſſeque officij ſui onera perferre.

Maxima item portio proximæ noctis caruit ſomno, & abundauit grauibus amoris agitationibus, è multis vnam excerpo. Propoſita erat ſexta beatitudo de pacificis in album filiorum Dei inſerendis, ſolebatque diſcipula Magiſtrum ſuum vocare Regem Pacificum, Filium Dei primogenitum, in cuius conſortium pacifici vocantur. At ſponſus poſthabitis cæteris, & ſolos titulos amoris affectans, obiecit; *Quid me ita cognominas? Quid titulos maieſtatis prædicas? Nunquid ego iſta cum conditione ago tecum? Oblitis cæteris, voca me, ſic volo, voca me ſponſum.* Mirum dictu! exceſſere de memoria tituli omnes, nec alio, quàm ſponſi nomine potuit eum compellare, licèt id fieret ſingulari cum reuerentia, & pudore. Hinc emanauit frequens vſus vocum ſponſi, & ſponſæ, quæ etiamſi multis ad ſublimes gradus ſanctitatis euectis conueniant, ſpeciali tamen quadam ratione huic virgini competunt, quam ſæpius ſponſus iſto nomine decorauit.

Die decima huius menſis Octauius de Bellegarde, Antiſtes Senonenſis, de quo ſupra *libro primo, cap* 22. Montemargum ſe contulit, exploraturus omnem ſtatum Monaſterij, ſpeciatim autem huius ſeruæ Dei, de cuius virtutibus, diuiniſque communicationibus nonnihil ad ipſius aures peruenerat. Fuerat Octauius de Cœnobio ad Archiepiſcopatum aſſumptus, vir ſenio ſpectabilis, eximæ prudentiæ, iudicio per longa experimenta eruditiſſimo, veteri religione conſpicuus, & quod caput eſt,

Theologica, eaque myſtica ſapientia præcellens. Siſtitur coram Antiſtite Monaſterij Mater Anna Margarita, rationem eorum quæ à Deo pateretur, aut quæ gereret ipſa, redditura. Inchoauit illa narrationem ab ouo, ideſt à nouitiatu, exponens initia diuinarum participationum eius temporis, dein quæ in Cœnobio Aurelianenſi, poſtremò quæ in Montargienſi, per capita contexens narrationem breuem, perſpicuam, & ſuis quaſi punctis diſtinctam. Primo quidem loco induxit ſingularem, paternamque Dei prouidentiam, præueniens ſtudium, curamque indefeſſam, qua rebus ſuis tum domeſticis, tum ſpiritualibus abundè proſpicit. Secundò cœleſtia ſine numero blandimenta ſupremi Numinis, illapſus gratiæ, vnitiones, raptus, tranſformationes, ſacras nuptias, & reliqua amoris diuini beneficia. Tertiò lumina, inſtructiones, excitationes ad amorem, ad bonum regimen, & ad vniuerſa virtutum exercitamenta. Quartò ſuam erga Deum reuerentiam, religionem cum intimis ſenſibus cordis. Item cultum Angelorum, filialem fiduciam in Deiparam, animi affectum ad Chriſti Domini paſſionem, & ad dolorum perpeſſionem, necnon cætera, quæ paſſim leguntur in eius epiſtolis. Actum pariter eſt de methodo orationis, de prævia diſpoſitione ad ſynaxim, de ſublato ſomno, de regimine Monaſterij, denique de omni re, quæ ad plenam ſpiritus notitiam ſpectat.

Nil actis oppoſuit Præſul, nil eorum, quæ audiuit, improbauit, aut tanquam inconſultum damnauit, conſpiciens cuncta feliciter, religiosè, & ad normam virtutis procedere; neque enim inquirendum eſt ſuperſtitioſiùs, vbi quid recta ratione, & ſecundum Deum fit. Ad maiorem autem diſciplinam auſcultantis addidit: *Committe ſemper te Deo, eiuſque ſapientiſſimæ prouidentiæ; caue ne propriis placitis diuina prævoles; quæ muneris tui ſunt, maxima cum ſollicitudine, ac lætitia adimpleas; cautè, conſtantiſſimèque tuere cordis humilitatem; copula timori reuerentiali filialem confidentiam in Deum. In reliquis obſerua quæ longo experimento, & magiſtrorum doctrina didiciſti. Quod attinet ad immoderatas vigilias noctis, accede ad ſtratum cum propoſito dormiendi; ſi ſecus fecerit Deus, ſubijcias te eius conſiliis, cuius ea eſt potentia, vt imminuto ſomno adhuc creſcant corporea vires.* Iuſſit ſpeciatim ſeruari vſitatum morem ſcribendi epiſtolas, & in eis

referri

referri acta contemplationum ſuarum; nempe quia ipſe Antiſtes fruſtula quædam earum epiſtolarum viderat, in quibus magnoperè elucebant Dei operationes, conſtans familiaritas ad ſponſum, ardentiſſima Dei dilectio, eminentia, ſoliditaſque virtutum, præcipuè autem ſtyli proprietas, neruuſque dicendi; iudicauitque poſſe ex illarum conſonantia, aut diſſonantia internoſci verum à falſo, & quod probatum eſt, à non probatis: immò fore aliquando aliis proficuas, ſi publica luce donentur. Denique ritè viſitatione perfunctus Archiepiſcopus receſſit gaudens, aſſumpto ſibi nomine, & cura Patris ſpiritualis Monaſterij.

Neque omittendum eſt, quod vna ex his noctibus, dum adeſſet Antiſtes, prohibitus eſt ſeruæ Dei ſomnus vſque in diei primordia, excitante eam ſponſo variis, atque continuis lenociniis, inter quæ illud memorabile, quod ſponſam ad quandam amoris pugnam laceſſebat, inquiens; *Decertemus ſponſa, vter alterum plus altero diligat.* Cui confeſtim ſponſa: *Cedo certamini, cedo arma, cedo victoriam, cedo triumphum, & trophæa. Quid enim! Tu nimio in me amore igneſcis, ego in te nimio frigore algeſco.* Vix dato reſponſo, in intima pectoris Creatoris ſui ſublata, ibidem amatoria verba de Canticis Canticorum iactare in eum cogitur, donec aliquid ſomni indulgeret; vnde paulò pòſt excitata, eadem verba cordi adhuc præſentia, immò & per totam diem ad mentem recurrentia recinebat tanto animi cum oblectamento, vt inter Cœlites concinere, & lætari videretur.

Epiſtola dici 13. *Nouembris.*

INfectum remanſit heſternum negotium receptionis N. propter diſcrimen congruæ dotis, qua egeſtas noſtra vtcumque ſuſtentetur. Odioſiſſimum ſanè mihi eſt tot verba perdere in ſectandis rebus caducis, quæ mihi inſtar modici, volucriſque pulueris ſunt. Quidni æterna potiùs, veraque bona inſequimur, parta tot ſudoribus, ac doloribus Saluatoris noſtri? Vis dicam cordis mei deſiderium maximum? Deum vnicum poſſidere, & ab eo vnicè poſſideri. Vale.

ADDITIO

ADDITIONES.

Poſt exaratam epiſtolam ſponſus in oratione ſerotina eiuſdem diei induens talis comparationem, recenti, inopinatoque ſtratagemate beneficentiam ſuam fecit perſpectiſſimam; inſidens enim cordi ſponſæ, aiebat: *Ego ſum ſal huius cordis, ego ero illi pro ſale, ne vnquam putreſcat tabo peccatorum; immò & liquidum ſal fiam, vt facilius peruadam, atque perfundam intima viſcera ipſius, condiamque illud, & reddam magè gratum, ac ſapidum palato Patris mei.* Dixit, & eodem puncto liqueſcens abditiſſimos quoſque receſſus animæ balſamo Diuinitatis ſuæ aſperſit, ad cuius contactum cor ſponſæ pariter liquefactum eſt, & balſamo liquidi ſalis commixtum, natans in ſuauiſſimo pelago diuinæ dulcedinis.

Elapſis tot vigiliis noctium, tandem conueniens erat leniri ſomno corpus, reſtaurarique vires; nihilominus etiam hac nocte ſomnum profligarunt iterata ſponſi delinimenta; in primis delectabile colloquium, & productio lucis, dicente ſponſo: *Ego lucem condidi, ego communem hunc, latumque mundum, qui oculis omnium proſtat, radiis ſolis feci ſplendeſcere; ego enim ſum lux mundi, & fons vniuerſæ lucis. Volo autem hunc exiguum mundum, hunc microcoſmum cordis tui nouo ſplendore colluſtrare; fiam illi tota lux, & ſol ſuperni luminis.* Dixit, atque illicò expanſa eſt per omnem regionem huius parui mundi lux fulgidiſſima, quaſi rutilantis ſolis, qua mens ſponſæ illuſtrata fuit ad ſpectanda occulta cœlorum, & contemplanda ſecreta diuinæ eſſentiæ: ſeipſam verò, quaſi capta oculis nullo modo diſcernebat; quocumque enim mittebat oculos, nihil occurrebat præter Deum. Concaluit quóque præſenti cum lumine dilectio, & ita concaluit, vt penè animam exhalaret præ amoris incendio, & præ animi angore, quòd minùs arderet amore Dei.

Videbatur nil poſſe addi toleratis hucvſque amoris cruciamentis, plurimùm tamen ſuperadditum eſt ſecunda abhinc nocte. Initium ductum fuit à renouata irradiatione luminis diuini in interiori cœlo ſponſæ, quam ſponſus paruum mundum vocitabat; monens ab hoc paruo in maiorem mundum reſilire debere eoſdem radios per rutilantia exempla virtutum.

Hinc intermiſſa memoria luminum, ſponſus ſubinduxit mentionem

tionem cuiuſdam legis, de cuius nobilitate, æquitate, & excellentia cùm multis diſſeruiſſet, venit ad eiuſdem ſcriptionem in corde ſponſæ, manuque tenens corculum ipſius; *Hæc erit,* inquit, *mihi tabula viuens, in cuius viſceribus legem meam digito meo deſcribam. Lex eſt non atrox, non grauis, nec obſeruantiæ difficilis: ciuilis eſt, & ſummæ ſuauitatis. Vis dicam? Lex amoris eſt, lex gratiæ, lex, & ſimul lux illa, quam tibi pollicitus ſum.* Dum loquitur ſponſus, mirabile eſt imprimi cordi ſponſæ, & ad viuum percipi ſcriptam legem amoris, de qua iterum legiſlator: *Hanc legem addiſce, hanc legem memoriæ fige, huic obtempera: caueto ne vnquam diſcedas ab ea. Illam ſi tu perferas minùs amanter, quàm debeas, ſi minùs ardenter ſeruare poſſis, ego in te, & pro te officioſiſſimè, & peramanter ſeruabo.* Quàm alta hinc ſurrexere incendia amoris? Quis dimetiatur globos flammarum? Quis aduſtionem cordis? Quis ex hoc amoris igne dolores? Equidem, vt paululum mitigaretur ignium, ac dolorum aſperitas, ſponſus ſponſam recenti complexu, & vnitione ſibi coniunxit; verùm id mitigare non fuit, ſed in aſperiores cruciatus trahere, & vehementiam dolorum in ſequentem diem mittere. Sponſa autem adhuc ſemianimis orabat: *Ah Domine, Domine, hic eſto vitæ terminus; fac ergo nunc nunc moriar: mors præſens dulcior erit omni morâ; nam mihi vita acerbior eſt morte. Aut te perfectè amare, aut pro te perfectè mori.* His dictis parum abfuit, quin dolor amore ſociatus animam de corpore pelleret. Vix aliquid ſomni libauit tota nocte: qua verò via ſomnus irrepſerit in diluculo, ſponſa neque nouit, neque ſenſit: euenisſe putabat, quod infantulo lactenti, qui lac ſugendo, ſenſim, & ſine ſenſu ſoporatur. Addebatque; *Tantoperè intumeſcit pectus meum præſentia, ſenſuque Dei, vt ſuſtinere nequeam, penè præfocata deficio, cor æſtuans amore quatit oſtia pectoris, erumpendi deſiderio, vt perfractis repagulis celeriùs peruolet ſponſum amare perfectiſſimè; inde enim mihi omnis dolor, ac mœror, quòd illum minùs diligo, nec vnquam aptè, & æquè diligere valeam.*

Epiſtola diei 19. Nouembris.

QVæ ſcribo, Reuerende pater, parum intelligo, & parum intellecta adhuc ruſticè ſcriptito, candidè tamen, & pro

Digitized by Google

mea consuetudine, fideliter, & te iubente. Quid enim ? Si cibus sponsi, qui est vita mea, fuit facere voluntatem eius, qui ipsum miserat, an non eodem cibo vti me oportet ? Quæ enim de ore tuo mandata suscipio, verbis quidem tuis, sed nomine Patris cœlestis mandata suscipio. Audi igitur, & patienter lege. Nuper in limine Orationis serotinæ expectabam, vti soleo, nutum, motumque Magistri mei, vt scirem quid de me, vel in me sibi iam pridem deuotissima faceret. Confestim adfuit, & de corde ad cor loquens, hæc verba fecit : *Eia, age filia, quoniam mihi desponsata es, & iure meo mea, Maiestas, Celsitudoque mea nullo pacto fert te indotatam relinqui. Nolim reputes me quasi vnum quemptam de grege mortalium, qui vxores opulentas exquirunt, dotesque pinguiores. Ego pauperculas, & omnium egentes deligo: dotem illis de meo ærario conficio, nec quicquam ab illis exigo, quàm quod à me priùs acceperunt, cor docile, rectamque voluntatem. Quin etiam soleo sponsas meas, vt appareant venustiores, apparare ornamentis dotalibus, monilibus gemmiatis, aliisque thesauri mei donariis. Ecce tria hæc tibi ex industria seruaui, en accipe, appende tibi, non est his gemma pretiosior? Accipe crucem hanc, accipe clauos meos, spineamque coronam. Accipe, pignora sint amoris in te mei, sint vitæ nostræ societas, & similitudo.* Nec mora ; non expectauit tensam à me manum, vt acciperem, actutum infixit vniuersa cordi meo, cruciatuque nouo, atque intensissimo transfixit. Dein ediserens mentem dicti, actionisque suæ, subiecit ; *Amplectere crucem hanc, erudiet te patienter, & pacificè perferre cunctas animi, corporisque afflictiones, morbos, curas, & cunctos mœrores : nulla est tam atrox pœna, quæ hoc ligno non dulcescat. Si quando pungant te aculei iniuriarum, ludibria, contemptiones, aut abiectiones, continge spinas coronæ meæ, & retundentur pungentes aculei. Denique rigida custodia votorum, regularumque tuarum sit tibi instar clauorum, quibus voluntates tuas omnes pro me confixisti.* Pater mi, hi sermones intulere innumera, ingentiaque vulnera cordi meo circumquaque laniato; videorque ipsa ego ex eo tempore deficere, nec posse vlteriùs adeò violentos amoris impulsus sustinere. Quamuis, vt verum fatear, non habeam tormentum grauius, quàm longè abesse à spe adamandi quantum debeo, supremam illam Diuinitatis bonitatem, atque pulchritudinem. Quocirca totis momentis suspiro æternitati, ac libertati, qua pleniùs, ac perfectiùs diligitur, coliturque Deus, qui solus dignus est omni cultu, ac dilectione. Cæteris,

Digitized by Google

Cæteris, præter id quod longissimæ, ac difficillimæ sunt narrationis, supersedeo, quoniam serior est hora. Trado me quieti cum Rege meo, nescio an somni solatium daturus sit corpori egentissimo propter dudum toleratas vigilias. Nam ecce iam manu versat cor meum. Quæ sileo, tu facili cogitatione concipies, videlicet perpetuas cordium vnitiones, sæpissimè abreptam, absumptamque animam in abyssо diuinæ essentiæ, cœlestia blandimenta Patris, qui me non rarò in sinu coniunxit vnigenito suo Iesu meo, semper de me bona cogitanti, thesaurosque suos deferenti, & alia non pauca diuinæ bonitatis beneficia.

Heu me! manus gero cœlestium bonorum feracissimas, sed arculam cordis angustissimam, vnde illa erumpunt nimietate. Vale.

Additiones.

Etsi epistola tribuere videatur hæc acta orationi serotinæ diei decimæquintæ; eorum tamen pars maxima debetur nocti, quæ per multas horas illam defraudauit somno.

Acta aliquot dierum minimè collecta fuere, ideò silentio sepulta. Duo dumtaxat adducam, eruntque nobis feruentissimæ dilectionis argumenta. Primum est, quod dicenti sponso; *Quicquid es, mihi es; penitus mea es, quia quantum cupio, amas me, hoc mihi sat est.* Respondent sponsa; *At non item mihi, quæ concupisco amare te ardentiùs: transfunde me totam in amorem ipsum, quo te diligam in omnem maiorem modum.* Alterum est, quod cùm sponsa in nocte decimanona huius mensis anxia peteret iuuari à sponso pro ritè sanciendis votis, quæ quot annis publicè renouantur ab vniuerso choro Monialium in Festo Præsentationis Beatæ Virginis, iamque exardesceret vehementi incendio amoris, sponsus orantem his verbis consolatus est; *Quid amplius suspiras? Quid vltra quæris dolens? Numquid non omni modo mea es? annon, teste conscientia, sentis, & manu tenes?* Cui illa; *At tibi strictiùs conglutinari, & , vt ita dicam, concorporari ardeo, ne quid mei extra te sit.*

In prouigilio itaque prædicti festi, vt splendidior ad confirmanda promissa, tanquam ad nuptias progrederetur, tria mystica indumenta à sanctissima Trinitate accepit. Primo nomen

erat *Humilitas* , alteri *Innocentia* , tertio *Charitas.* Primum attulit ſponſus, eratque lugubre magis quàm feſtiuum ; etenim vt commoueret ſponſam ad humilitatem,ad compunctionem, & ad lacrymas , obiecit illi neglectam fuiſſe quandoque ab ea votorum religionem; poſteà tamen obiectas negligentias idem miſericordia ſua deterſit. Tunc Pater appoſuit togam innocentiæ, pollicitus ſeruaturum ab omni ſorde , vt omni tempore ſponſa reſplendeat innocentia vitæ , & puritate mentis. Tertio loco Spiritus ſanctus ſuperveſtiuit manto charitatis , accenſis flagrantiſſimis flammis amoris. Tu ne credas aërea fuiſſe indumenta , reipſa ſub typo indumentorum ſponſa ſuſcepit noua humilitatis , innocentiæ , & charitatis incrementa , actuque è veſtigio probauit : nam inter hæc diuina blandimenta audiens gemitus cuiuſdam ægrotantis ad horam vndecimam noctis,illicò ſponſo , & lecto perrexit ad ſolatium ægrotæ. Verum quidem eſt abeuntem à ſponſo non fuiſſe à ſponſo derelictam , qui illam vbique ſua dulci præſentia reficiebat. Poſtera quoque dies tota inter hæc dona , & inter has blanditias inſumpta eſt , ante , & poſtquàm vota firmaſſet ſic induta.

Epiſtola diei 23. Nouembris.

BEneficentia Dei ægrè fert biduum ſine meis ad te litteris. Locupletior valde facta ſum , Reuerende Pater. Benignus ille cordium amator nocte elapſa oppreſſit me beneficiis , fecitque corporis quietem breuiorem ſolito. Tota ferè nocte Pater beneuolus , Sponſuſque ſacratus ita grauiter fauciarunt animam meam impulſibus amoris , vt non ſolùm defeciſſe viderentur vires, ſed & ipſa vita, ad exiguum ſanè tempus duratura , ſi diuturniores fuerint iſtæ diuini amoris violentæ irruptiones. Cor meum de infimo pectore anhelans nil ſpirabat , quàm *Ah , ah amor , amor , tua ſum , oh amor tota tua , nihil excipio , tota , tota tua.* Quibus ſubſcribens ſponſus reſponditi ; *Ita eſt , fateor, ita eſt , tota mea es ; nihil ego quoque excipio , tota mea es ; ſed ego par pari reddens , totus quoque tuus ſum. Sine ergo me , quod placitum fuerit , in te perficere.* Dixit , & aſſentiente me , miſellam ſibi perquam intimè vniuit , ſecumque in ſinu Patris conſociauit. Heri , ni fallor , palam ſignificabat ſeruulæ ſuæ cunctas

Digitized by Google

ctas animi cogitationes in cœlum eſſe deferendas, inquiens: *Tempus eſt traduci te ſponſam meam, non iam ad hæc terrarum diuerſoria, ſed in conſuetum domicilium manſionis mee, hoc eſt in ipſam Regiam Cœlorum, & in ſinum Patris mei: ſine iaceat in terris ſarcina corporis, incola cœli fiat mens tua.* Verbum hoc ſuſcitauit ingens deſiderium Patriæ cœleſtis, precabarque meum, & Cœlorum Regem; *Traduc ergo me in domum tuam, eo loco non humanè, ſed diuinè amabo te: intereà dum repo ſuper hanc humum, tolle vniuerſos obices diuidentes inter me, & te.* Inuitauit aute mhoc mane ad amoris fœdera hiſce verbis; *Sponſa, paciſcamur inuicem; tu mihi donabis cor tuum, ego pro eo reddam tibi meum amantiſſimum: deſponſatorum omnia ſunt communia; commodabo tibi ſpiritum, voluntatemque meam, tu mihi tuam, vt poſthac in vnum coëant duo corda, & animæ duæ.* Paupercula in incredibilem admirationem adducta ſum, videns nihilum æquiparari infinito. Ecce, Reuerende Pater, nonnihil eorum quæ in ouicula tua facta ſunt. Recenſeri cuncta nequeunt, immò quod obtemperans iuſſis tuis dico, balbutiens dico. Vale.

Additiones.

Poſtera die exaratæ epiſtolæ ſponſus comparauit ſponſam horto concluſo, & fonti ſignato; de quo *in Cant.* 4. vocitans illam hortulum deliciarum ſuarum, irrigatum fonte gratiæ ſuæ, cuius quoque clauim ipſe ſolus manuteneret, eo quod ibidem vniuerſa arbitratu ſuo fierent.

Eadem iterum die, quæ erat Dominica vltima poſt Pentecoſten, ſelecta erant pro meditatione communi verba illa Euangelij *Matthæi* 24. *Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Sponſus tamen ſponſam à ſelecta materia fortiter ad ſe deduxit: nam patefacto ſinu obſtentabat ipſi cor ſuum, plagaſque omnes ſigillatim, & numeratò expanſas, ſic affatus: *Hic, hic eſto mons fugæ tuæ, hæc ara, hic locus perfugij. Cauernæ iſtæ plagarum pro tutiſſimis latibulis tibi ſint ad ſalutem; huc recurre, huc confugito, in his recondere, & ſalua eris.* Ante omnia laxiorem plagam cordis tanquam inuincibilem arcem refugij ſtatuit; cumque aliquandiu de his ſermocinatus eſſet, intus illam introduxit, & tam acriter, tum amoris, tum doloris ſenſu diſcruciauit, vt fateretur ſe nequaquam humana, naturalique virtute, ſed diuino prodigio incolumem viuere.

Epistola diei 25. Nouembris.

QVo instinctu has ad te matutinas dirigam, haud certò scio, Reuerende Pater: illo auctore arbitror, qui post hesternum transitum apud nos tuum nulla hora fuit à me disiunctus. Debitrix sum, optime Pater, debiti maximi; & quod me magis torquet, soluendo non sum, ideóque primo mane te quæro vadem pro me. Solue precor debitas Deo laudes, redde gratias, & pro gratiis geminata sacrificia. Siste me ante altare, & fac vt sacrificiorum magna pars ego sim. Benignissimè, non communiter mecum factum à Deo; benignissimè, & supra omnem modum, ac mensuram: non ergo communes, sed abundantissimæ,& supra omnem pariter modum, ac mensuram abundantissimæ debentur gratiæ. Vix tres horulas de nocte concessit ad quietem, eamque interpolatam somno, & vigilia. Commoti autem longa actione spiritus, ne modicam quidem permiserunt ante diluculum. Oh Pater, quàm magna, quàm rara peracta sunt toto tempore illo? Eò ventum est, vt enunciandis sterilescat omne dicendi genus, & excipiendis angustior sit omnis pagina. Cùm te primùm videro, aliquid eorum reddam. Hoc vnum tibi dicet pagella ista. Desideria diligendi Dei tantoperè exeanduerunt hac nocte, vt si de ardore pari, aut etiam de maiori fuisset cum aliquo conflictus, ægrè cuipiam cessissem palmam, ne quidem animæ illi, quam mihi nuper significasti, à qua si dicas amari Deum perfectiùs, aliquo modo non inficiar, aliquo modo non cedam. Attamèn hoc mane dùlcissimus Iesus videns in me desiderium amandi maius esse amore ipso, quo iam ardebam, benignè commodauit cor suum pro misero meo, vt ardentiùs ametur is, qui præ omnibus amore dignus est, dignus omni amore, & vnicè amari dignus. Amemus ergo, amemus omni amore Deum, vnicè amemus, & in Oceano amoris eius ingurgitemus nos. Vale.

ADDITIONES.

Paulò latiùs exponendum est, quod Epistola coarctat; scitu digna res est. Iam in oratione præuia ingens rogus amoris succensus fuerat per doctrinam sponsi indigitantis viam, qua perfectiùs

fectiùs diligeretur Deus. Itaque qua hora mortales solent quietem nocturnam captare, antequam somnus sponsam occuparet, occupauit sponsus noua, & violenta possessione cordis, cuius se gloriabatur esse non tantùm Dominum, sed & liberè regnantem Dominatorem, cui nil obsisteret amoris proprij, nil propriæ voluntatis, non alienacogitatio, aut desiderium extra Deum, aliaque multa, quæ longo dialogismo inter se de mutua, puraque dilectione vtriusque pertractata fuere. Incalescebat colloquio cor sponsæ, nil minus, quàm validis flatibus ignes in syluis. At ex quo sponsa explicans gradum dilectionis suæ audacter protulit, *Amo te, integrè amo te sponse mi*; erupit vt ad stuppam flamma, conflagrauit tota in torrida fornace amoris, flammæ corripuere intima, & externa quæque tum animæ, tum corporis; præ æstu operimenta abiecit, & pro refrigerio cordis palpitantis, suspirans auras frequentiores captabat. Auscultemus quæso gesta enarrantem. *Tantam*, ait, *tantam vim caloris, & amoris accepi, vt meo iudicio neminem putem posse maiorem vel recipere, vel ferre. Sique fuisset mihi tunc de excessu disputandum aduersus aliquem, vtique palmam alteri neutiquam detulissem. Oculi etiam interiores hebetes facti sunt, nil discernentes, & aures vocem illam non percepere, quæ in me loquitur familiariter, qua erudior, cuius sono soleo exhilarari; etenim eram consepulta in Deo, gaudio, & exultatione absorpta, eneruato, medullituſque euiscerato corpore. Anima in fornace diuini cordis liquefacta abierat velut in liquidum metallum, aut in ceram ebullientem. Visum quoque mihi diffindi cor, & diuisum attrahere leniorem aërem. Post longum temporis spatium reddita aliquantulum mihi ipsi, frustra tentaui pro vnius lateris solatio in alterum me vertere, sed tandem post aliquam moram ægrè conuerti: spiritus autem meus diuerti minimè potuit ab eo, qui me vinculis amoris strinxerat, quique illapsu præsentiæ suæ tam intimè illum in se transformauerat, vt vix aliquod discrimen inter me, & creatorem meum comprehenderem: eo propè modo, quo duo frustula ceræ liquatæ in vnum sine discrimine coeunt. Singulare hoc loco fuit, quod isthæc gesta, patrataque sunt in sublimiori, purissimaque sede mentis, quæ omnem captum meum superant, quæque cohibere non potui, quin de illo cacumine in deliquia animæ, & corporis deriuarentur. Nunc temporis anima mea potitur beatissima pace, & gaudio Angelorum.* Huc vsque sponsa.

Quibus non erit incongruum addere, fuisse etiam suauibus,

& cœleſtibus odoribus ſuffultam, ne inter illas vehementiores commotiones deficeret. Tota nox in his conſumpta eſt, præter binas horas inter ſomnum, & vigiliam. Expergiſcens verò ita ſe eadem contemplatione, iiſdemque affectibus captam ſenſit, ac ſi opus idem abſque vlla intermiſſione tota nocte perduraſſet. Quodque magis admirandum eſt, adeò apparuit ſatura ſomno, & toto corpore ſoluta, ac ſi biduum integrum dormitioni dediſſet; quare cum ſociis in chorum ad communem meditationem præſto cucurrit, pertracta funiculis pennati amoris, & charitatis.

Quia verò commodatum ſibi ait cor ſponſi, vt ardentiùs amaret, quæſitum eſt ab ea, num reuerà poſt eam commutationem actus prodirent perfectiores? Reſpondit, prodire longiſſimè intenſiores, perfectiores, ac feruentiores, vtpote prodeuntes ab ipſo fonte amoris.

Pro themate huius matutinæ meditationis erat præludium precationis Dominicæ, *Pater noſter, qui es in cœlis*; vnde reliquæ ſorores colligere contendebant rorem pietatis, ac religionis. Sponſa noſtra præter omnem expectationem accepit à beneuolo omnium Patre firmiſſima promiſſa diuini patrocinij, prouidentiæ, ac fauſtiſſimi ductus; tum quia erat ſibi aptata filia, vnigenito ſuo deſponſata; tum quia Patri ſatis dignè reſponderet filiali obſeruantia. Velle tamen cor eius in aram conuerti, de qua conſcendant continuata ſacrificia laudis, ac honoris, ſiue fiant cogitationibus, ſiue verbis, ſeu operibus.

Nihil hic ſponſa, niſi admirari cœleſtem clementiam, & quod vnicum ſibi remanſerat liberum, ſubiici cunctis voluntatibus Domini ſui: quo actu meruit tenerrimè amplexari à Patre, & cum Sponſo trahi in intima cordis eiuſdem. Stetere autem per integram diem efficaciſſima vtriuſque promiſſa. Nam lumen, & aſſiſtentia Dei vbique anteibant ſponſam aliquid molientem, vel agentem; ſponſa verò ſine ceſſatione ſacrificia deferebat, amoris quoties expiraret, humilitatis quoties reſpiraret. Veréque, & reipſa videbantur hæ duæ virtutes pari paſſu incedere, & augeri. Quin etiam cum ſe daret occaſio, ſollicitè quærebat conceptas in corde ſuo flammas ad inflammandas ſocias exhalare. Etenim mane eiuſdem diei dum ligna cum illis in culinam ferret, palam omnes ad amorem Dei in-

in via acuebat, inquiens; *Amemus Deum sorores, semper Deum amemus; quæ poterit feruenter, feruenter; quæ feruentiùs, feruentiùs. Ego tantumdem amare enitar sola, ac vos collectim omnes; præter hunc amorem exhorresco alium quemcumque. Oh faustissimam diem, quæ me ad fontem amoris transferet?* Ex alia parte sponsus post cordium commutationem asseruit, se deinceps moram, & habitationem facturum in corde, quod inseruerat pectori sponsæ, inquiens: *Quis enim non est, vbi cor suum est? Aut quis homo non relinquit domum patris, vt adhæreat sponsæ?*

Talis inde erat, ac tanta amborum cohærentia, vt vix vlla opportunitas præterlaberetur sine frugi colloquio, & doctrina. Exemplo sit, quod cùm eodem die sponsa in communi operum officina flosculos arte, & manu compingeret, ferro substrato, charta inuoluente, & serico superinducto, sponsus adstans in spiritu illam docebat de externo opere ad interius transire, sic affatus: *Ego virga ferrea sum, firma, ac fortis, qui totam molem bonorum operum sustineo; tu chartula papyracea, tenuis, nullìusque pretij: sericum verò ferro chartam connectens, & florem perficiens, charitas est. Vide ne te à ferro secernas; in laceras chartulas peribis, nisi te mecum alliget charitas perfecta.* Illa dictis acquiescens, nec manum ab opere, nec à docente auditum auertebat.

Pro gratiarum actione recursum est ad Eucharistiam (quæ est bona gratia) de qua hoc loco rem hactenus inauditam accepimus, ea referente, nimirum sacram buccellam panis, instar candentis carbunculi ignem in os, faucesque suscipientis importasse, non sine aliquo dolore adustæ linguæ. Qua primùm vice accidit sensus huiuscemodi ardoris, sponsa obstupescens suspicata est innatum in lingua malum, cum priùs nitidam sciret, & integram. Omnis tamen suspicio mali euanuit, vbi buccella in stomachum descendente ardorem ab ore deficere, & cum buccella pariter in stomachum descendere animaduertit. Affirmabat autem huius ardoris sensum cœpisse à solemni renouatione votorum, & exinde sæpenumero perceptum; exarsisse tamen potentiùs hac ipsa die sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris, in qua videbatur habere os ignitum, & linguam flammantem. Memor autem scriptum esse de Isaia Propheta *cap.6.* quod vnus de Seraphim sublato calculo de Altari mundauerit polluta labia

bia illius ad ritè enunciandum verba Dei, æstimabat hunc esse fructum suæ petitionis, qua postulauerat auferri à se omnem linguæ iniquitatem, nullumque ab ea verbum progredi, quin foret ad diuinæ Maiestatis præconium.

In eadem synaxi Monialibus decantantibus antiphonam Beatæ Catharinæ: *Veni Sponsa Christi, accipe coronam, &c.* Pater hanc seruam suam participem coronæ fecit, spineæ tamen, ne discreparet à sponso, & quia sciebat hanc illi esse optatissimam. Igitur sponsus extractum de capite suo diadema spinosum imposuit crinibus sponsæ, monens pro spinis fore neglectus, derisiones, contumelias, & abiectiones, quas patienter tolerando coronam cælestem sibi intertexeret. Ipsa verò susceptо diademate lætantior, & glorioſior incessit.

Epistola diei 28. Nouembris.

NOnnihil turbinis passum est cor meum, Reuerende Pater, ex aliqua specie mendacij, aut saltem ex minùs sincera locutione, de qua fusiùs tecum, vbi te alloquar. Delicatissimum sanè est cor meum, sordis impatiens, & ad omnem tactum vmbræ mali mobile; seu, vt saniùs loquar, nullam in eo labeculam tolerat Deus. Quocirca priusquam in synaxi sese cordi meo apponeret, & sibi cor meum, absterſit ipse omnem maculam: Post synaxim verò assiduè idipsum occupauit, præcipuè dum orarem vespere; euoluit enim ante oculos mentis meæ diuitias mysteriorum contentorum in ea petitione; *Sanctificetur nomen tuum*: docuitque tribus modis à me sanctificandum esse nomen illud sanctissimum. Primò recenti semper eius memoria, in qua omni tempore vigeat, ac si esset sculptum in fronte. Secundò per cordis dilectionem, cui instar sacri sigilli perpetuò hæreat inscriptum. Denique expressione manuum, seu brachiorum, per exercita in honorem Nominis sui opera charitatis. Postremò omnium sanctificauit ipsemet cor, animamque meam, vt sit dignum Deo habitaculum. Vale.

Additiones.

Quem in epistola dixit turbinem, turbinis vmbra fuit, non ex

Digitized by Google

ex mendacio, ſed ex defectu ſimplicitatis; quoniam in manifeſtatione cogitatuum ſuorum coram Directore, vnum ex verecundia reticuit, qui nonnihil ſapiebat inuidiæ ſpiritualis, licet leuiſſimæ. Inde orta eſt illa vmbra triſtitiæ, cuius tamen origo oculis propriis latebat. Igitur cauſam ſciſcitanti à ſponſo, error ob oculos nitidè ab eo expoſitus fuit, addita graui reprehenſione. Errati conſcia protinus ad ſuſpiria, ad lacrymas, tam cordis, quàm corporis, ad Patris miſericordiam, ad veniam tranſmeauit; obtinuitque duris priùs excepta caſtigationibus, exprobrante præ cæteris Spiritu ſancto, qui ſe dicebat ſpiritum veritatis, & his arguebat: *Quare vt aduerſam de te opinationem euaderes, ſanctam, totieſque tibi commendatam ſimplicitatem violaſti? An dubitas, me eſſe reconditiſſimis cogitationibus præſentem? An me non credis eſſe ſpiritum diſciplinæ, qui effugio fictum? An non ſpiritum veritatis, qui nudam, ſimplicemque veritatem quæro ab omnibus, & ad omnes, maximè autem erga mihi ſubſtitutos?* Ingeminantur ad hæc riui lacrymarum, ſuſpiria, ſupplicationes clementiæ, & pacis, quam Sanctiſſima Trinitas, abſterſa priùs errati macula, facilè reſtituit, & ad oſculum recepit.

Ad hanc quoque rem duo pertinent: primò fidelitas quotidiana in euulgandis ſequenti tempore ſenſis animi ſui, ſi quandò tempeſtiuè non venerint in mentem, quod propinquo exemplo patet. Paucis ante diebus ſpeculanti ſumma bona æternitatis ſponſus ſpeciem quamdam eorum adumbrauit in viſu, cœlum nouum in corde ſponſæ fabricando. Hoc tamen viſum hucvſque per obliuionem minimè patefecerat; palam poſteà fecit cùm primùm recordata eſt. Ita par eſt, perſpicuæ fieri magiſtris, quæcumque in ſecreto cordis latent. Alterum eſt ſollicitudo ſponſi in obiiciendis delictis, vnde ſponſa maximum hauſit ſolatium pro confeſſione peccatorum. Hæſitabat proximis diebus de integra confeſſione delictorum: hæſitationem ſuſtulit memoria præfatæ ſollicitudinis, dicebat enim: *Sin minùs accuſaſſem me, immemorem, & impunitam non reliquiſſet ſponſus.*

Altera die, in qua thema meditationis erat ſecunda petitio eiuſdem precationis Dominicæ, ſponſus ab exordio, quæ ſunt principatus ſui exercuit in corde ſponſæ, gaudens ſe in eo regnare ſine riuali; vtque pleniùs hoc regnum cœleſte ſtabiliret,

quicquid erat terreſtris huius habitationis, ab ea ſeparabat, ac poſt varia blandimenta indicauit illi prævias conditiones regni ſui, nempe iuſtitiam, puritatem, & pacem, quas latiùs exponens docebat, iuſtitiam conflari ex integra obſeruantia legum ſuarum, & ex ſincera humilitate cordis: puritatem ex munditia mentis neſcientis labem peccati, & ex fuga conſortis in Regno: pacem verò ex perfecta animi ſubiectione, quæ oritur de integra omnis appetentiæ caſtigatione; non enim pax eſſe poteſt, aut Regnum pacatum, vbi cuncta arbitrio Dei non ſunt ſubiugata. Valde conduxit ad ſponſæ profectum iſthæc doctrina, præcipuè quia quæ ſponſus exigebat, conferebat.

Epiſtola diei 30. Nouembris.

MIrare, Pater Reuerende, immoderatam Saluatoris mei bonitatem. Vocauit me, duxitque hodie ad piſcandum cum Apoſtolis ſuis in mari. Quæres ad quam piſcationem, ad quod mare? Ah Pater, quàm prædiues piſcium mare? Quàm fuit præclara piſcatio? Cape me: mare Deitas eſt, ſinus maris, ſinus eſt Patris, præda ſacritiſſimum cor ſponſi. Quàm diuinam piſcationem, optime Pater, quàm diuinam piſcationem! Inſiſtebat autem inuitans, *ſequere me.* Ego autem immota ſtabam, incerta itineris. Tunc indigitauit mihi apertiùs; *Sequere me per iter charitatis, humilitatis, & crucis: ante omnia cohæreas ſemper lateri meo, ne quid te tantillò diſſocies à me.* Poſtmodùm ergo arctiùs adſtrinxit me ſibi. Altera item vice alliciens dicebat, quod eiſdem Apoſtolis: *Veni poſt me.* Reſpondi ego; *Trahe me, & curram poſt te.* Tunc (an credideris?) amplexus animam meam, ne fatigaretur in via, ſuſtulit inter brachia ſua amatiſſima. Ego obſecrans compleri vniuerſa placita ſua in me, necnon in iis, qui ipſum amant, aut ſunt amaturi, dedidi me totam ad agendum, ad ſuſtinendum, provt volet. Negotia quædam ſeiunxerunt me per aliquot interualla à mellifluis mammillis Saluatoris mei; non ſeiunxerunt tamen voluntatem ambitioſo complexu ipſi connexam. Vtinam nulla vnquam hora patiatur me abs te diuerti. Vale.

Epiſtola

Digitized by

Epiſtola diei ſeptimæ Decembris.

PRopiùs imminet anniuerſaria celebritas immaculati Conceptus Matris, ac Reginæ noſtræ, Reuerende Pater. Numquid duobus, aut tribus verbis non inflammabis priùs corda noſtra? Ego ſanè hac ope non mediocriter indigeo, ſiquidem multa mihi mutanda ſuperſunt, multa habeo corrigenda in obſequium Dei; non quod ſperem vllis obſequiis æquare magnitudinem benefactorum eius, ſed quia ſaltem minùs ingrata habebor. Nil minùs liberaliter, aut feliciter, quàm antea, res mecum geruntur, licèt affectibus non tam concitatis. Sentio ſpiritum Dei, cui ſoli placere ſtudeo, præſentem in imis viſceribus, operantem, atque imprimentem ardentia deſideria maioris humilitatis, ac puritatis. Ipſe ſolus eſt mea beatitudo, ipſe nullam ferre vult in me maculam, quæ ſuas oblectationes turbet. Offeras quæſo me totam eius conſiliis, ac imperiis: cæterùm talem efficiat, qualem deſiderat. Vale.

ADDITIONES.

Epiſtolæ huius menſis deſunt, conſequenter contexam acta, quæ aliunde ſubminiſtrantur, inchoando à Kalendis dicti menſis Decembris, à quibus eo anno inchoauit Aduentus Domini, in cuius prima Dominica legitur Euangelium Lucæ *cap.* 21. *Erunt ſigna in ſole, luna &c.* quæ omnia ſunt ad inſinuandum terrorem ſecundi aduentus filij Dei. Sponſa igitur, vt eius diei minas ſæuiſſimas præueniret, aliquid ſibi timoris incutere putabat, ex conſideratione malorum ſuperuenientium in eo; ſed fuſtra id tentauit, ſponſus nimirum ad alios actus traduxit, nempe ad actus amoris, & fiduciæ, vocando illam ſuam, ſororem, filiam, amicam, & ſponſam, ſuper quam non montes ruerent ad deſtructionem, ſed Mons perfectionis ad exaltationem: immiſitque illi in mentem initium Canticorum: *Oſculetur me oſculo oris ſui*; quod ſine intermiſſione die, ac noctu ab ea repeti iuſſit. Attamen ad dandum oſculum priùs noluit accedere, donec ipſa prior accederet, & oſcularetur eum: vnde tanta manauit cordis iucunditas, vt etiam portio inferior reficeretur.

Cæterùm blandimenta, vnitiones, præsentia Dei, & alia eiusdem modi perseuerabant; cibus parcus, & cum nausea; plus vigiliæ, quàm somni; dicebatque prodigio simile esse, posse incolumem viuere in tanta somni parcimonia: vigor mentis, & corporis, robur sine vllo detrimento, nempe propter animæ quietem, & dulcedinem consortis diuini; & quoniam ita rerum caducarum affectu erat expoliata, vt nihil sibi tristitiam afferret.

Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Has voces à se perceptas testabatur sponsa illa, *Canticorum cap.* 6. dum sponsus pro ingressu ad fores domus pulsaret. Has eadem sponsa nostra asserebat de nocte resonuisse ad ostium cordis sui; se verò respondisse; *Clauis cordis, seu hospitioli mei, iam non extat apud me; tradidi sponso meo, qui illam in custodia, manuque sua tenet. Aperiat, intret, quod vult faciat. Mihi nihil relictum est, quàm cunctis placitis eius adhærere.* Responso non acquieuit sponsus; dari sibi expressum consensum proprij arbitrij voluit, quo dato in cordis hospitium penetrauit, in throno sedit, regia exercuit, & detinuit colloquiis amantissimis.

Die vndecima huius mensis pro exquisitissima conscientiæ munditie, quam vel vno næuulo infici noluisset ignoto, inclamabat diuinam clementiam post elapsam mediam noctem, Psalmo Pœnitentiæ *Miserere mei Deus.* Cúmque eo versu oraret; *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis:* adfuit clementissima Trinitas in spiritu, nouaque purificatione cor deprecantis sanctificauit, euellens inde quicquid sibi foret infensum. Purgatæ deinde animæ possessionem lubentiùs iniuit, magnum calorem ignitis sermonibus intus ferens, quo reliquum ferè noctis sine somno elapsum est.

Singularis isthæc sanctificatio cordis denuò replicata est in Missa diei posteræ, & præsagitio quædam fuit singularis communicationis futuræ in synaxi. Accedens enim sponsa ad mensam Eucharisticam, cùm buccella sacrati Panis hausit ignem, humida quæque oris absumentem; factumque est os illius velut clibanus accenso rogo; idque iterum, ac tertiò in synaxi dierum subsequentium eodem modo confirmatum est. Quare exsiccato palato,

Digitized by

palato, & arente lingua, tenuiſſima buccella non niſi longo poſt tempore demitti potuit in ſtomachum. Solemne autem eſt, os ipſum videri plenum igne, quamdiu ſiſtit in eo buccella; calorem verò diſcedere ab ore, & in ſtomachum traduci, inflammarique cor, & ipſa organa tranſitus, quum illa traiicitur. Rogata autem, num flammas, aut ignem oculis viderit? Reſpondit, *Nequaquam*; ſed vehementiſſimum calorem ſentiri, ac ſi os refertum eſſet igne. Nec paruipendenda eſt bona huius rei diſciplina; non enim rarò animæ, necdum verſatæ in ſenſis ſpiritualibus, derelicto intuitu diuinæ præſentiæ, quæ eſt medulla actus, in ipſo cortice ſenſibili aciem mentis figunt. Interrogata igitur, quomodo ſe gereret in his caſibus? Reſpondit; *Ad ignem, aut ad calorem non inflectitur ſpiritus meus, cum Deo ſemper ago: calorem quidem ſenſu percipio in ore primùm, deinde in ſtomacho; negotiatio autem in corde fit cum Deo.* Reſponſi probatio in promptu eſt; quoniam præter præfatum ignem, etiam ipſa Beata Trinitas, quaſi Euchariſticum concomitans acceſſit; placidè ſtationem ſuam in corde nouo, puriſſimo, & ſanctificato fixit, diuinis colloquiis ſponſam ſibi ſoli intentam familiariſſimè beatificauit, erumpentibus interim copiosè lacrymis verecundiæ ab oculis auſcultantis. Inter cætera aiebat Pater; *Vide quanta in te contines, mecum omnipotentiam tenes. Mecum*, addebat Filius, *omnem ſapientiam. Mecum*, dixit Paracletus, *omnem bonitatem. Vide quàm prædiues ſit corculum iſtud, eo quod placuerit nobis hic ſtationem noſtram firmare.* Dum autem hæc, aliaque multa referret ſponſa, aſſerebat has impreſſiones fieri tanto cum impetu, & robore tam inuicto, vt nulla vi, aut tergiuerſatione poſſent deuitari. Non caruit aliqua reprehenſione à ſponſo, eo quod per hos dies aliquam euagationem facilè indulſiſſet facultatibus animæ ſuæ ad obiecta extranea, cùm ſibi ſoli ſponſus vellet addictas. Ex qua correctione manarunt ſponte lacrymæ doloris immenſi.

De igne tranſgredimur ad aquas, nec ineptè; vtroque enim ſymbolo diuina ſapientia manifeſtat effecta gratiæ ſuæ: torrens namque dulciſſimi cuiuſdam liquoris aquei de repente, & impetu rapido irruit in meditantem illa verba Angelicæ Salutationis; *Gratia plena*: tantoque dulcore animam reſperſit, vt vndequaque riuulos exundaret. Puta ſi quis grande dolium aquæ

in

in puſillam hydriam vno hauſtu profundat, repletur quidem hydria; ſed quia minùs capax, vndequaque egurgitat aquam. Repentinus iſte impetus, & inuſitata copia liquoris nonnihil ſtuporis attulere, ſed reſumptis viribus, ſtatim ad conſueta amantium colloquia facta eſt regreſſio. Comparatio autem huius dulcedinis, & doni ſpiritualis cum aqua, valdè familiaris eſt apud Beatam Thereſiam.

Æquum eſt, vt profectibus quoque noſtris conſulentes, aliquid de acceptis à ſponſo documentis ſuper exercitatione virtutum in hanc paginam tranſcribamus: nam his diebus longa de illis diſſertatio habita fuit inter ſponſum, & ſponſam. Ductum eſt exordium à cordis humilitate, cui ſponſus primas tradens, pro eius comparatione vno verbo concluſit documenta vniuerſa; *Ama*, inquiens, *perfectè: qui enim plus amat, plus humiliatur.* In quam profundam abyſſum deiecit illa ſeſe? Cúmque nequiret profundiùs deſcendere, commiſit ſe curæ, ac regimini ſponſi, qui ſenſum humilitatis permultùm illi adauxit.

Iterum Doctoris munus perficiens, diſcipulam prope ſe ſedentem, attentiſſimè auſcultantem erudiebat, quibus potiſſimùm virtutibus vellet illam ſplendeſcere, propoſita figura lilij, iuxta illud *Cant.* 5. *Qui paſcitur inter lilia, &c.* Sex autem foliis compingi docebat lilium iſtud (per folia virtutes interpretatus) nempe humilitate, puritate cordis, oratione, paupertate, obedientia, & charitate. Et ne quis putaret figmentum eſſe mulieris, ſapientiſſimus Doctor argutè exponens harum virtutum proprium officium, ſponſa nil tale cogitante, ſubiunxit: *Humilitas allicit me, puritas recipit, oratio nutrit, paupertas oblectat, obedientia ligat, charitas ſtringit*: qua certè ratiocinatione neſcio, an dari poſſit accommodatior. Humilitas tanquam virtutum fundamentum allicit, remotis impedimentis; Deus enim ſpiritum ſuum non ſinit requieſcere, niſi ſuper humilem corde. Puritas recipit, quia cor purum ſedes eſt diuinæ benignitatis. Oratio nutrit actibus diuini cultus, amoris, honoris, & cæterarum virtutum, qui ſunt veluti quædam fercula, ſeu ſacrificia delata Deo. Paupertas oblectat, quia ſolus regnat Deus, vbi eiecta ſunt aliarum rerum deſideria vniuerſa. Obedientia ligat, quatenus Maieſtas Diuina facilè ſubmittit ſe voluntatibus obtemperantium ſibi. *Pſal.* 144. *Voluntatem timentium ſe faciet.* De vinculis

culis charitatis superfluum est rationes adducere, argumento irrefragabili sunt, quæ in hoc libello leguntur. Præstantissimum autem erat in hac schola, quod verba Magistri, non nuda essent verba, sed suis effectibus sociata, & prædictas virtutes in anima Discipulæ corroborantia.

Iucundum hoc loco fuit audisse sponsam patefacientem internos actus paupertatis suæ; perscrutata namque, num alicuius creatæ rei affectio, aut desiderium in corde hæreret, nihil sibi occurrisse dicebat, eo quod à longo tempore exuta rebus omnibus, atque seipsa, cunctos affectus, cunctaque desideria in Deum vnicum contulisset: supereſſe vnum dumtaxat ineundæ paupertatis modum, quo etiam parata erat expoliari, nempe dulci præsentia sponsi, quod idem est ac dicere: Iam nolo Deum amare, aut colere propter collatas mihi suauitates, ac delicias præsentiæ sponsi, quibus non renuo expoliari; sed Deum purè propter se volo diligere, non propter dona sua.

Haud minùs exquisita, nec minùs proficua extitit sermocinatio diei decimæquartæ, sponsa meditante illa verba; *Benedicta tu in mulieribus.* Sponsus sub figura pupuli sermonem aliò traduxit, professus Genitricem suam cæteris anteferri, propter pretiosum fructum, quem edidit mundo. Tuncque cœpit postulare fructus à sponsa, quasi libenter fructibus vesceretur. Non penetranti vim ænigmatis dixit sponsus; *Cor tuum præbe mihi, ipsum est fructus, quo libenter vescor, tanquam miti, ac maturo.* Nec mora, sponsa cum fructu arborem, frondes, radices, ac flores obtulit. Verùm Pupulus tanquam auidior fructuum, alienos etiam reposcebat, tum coctos, tum crudos. *Fructus alieni*, ait, *sunt corda filiarum, quas curæ, magisterioque tuo credidi: fructus cocti sunt corda prolixo labore mitigata, & diuinorum contemplatione suauia: corda cruda sunt, & immatura, quæ in euincendis vitiis adhuc laborant, insistentia vitæ actiuæ. Studij esto tui hos fructus duriusculos corticibus emundare, fac bene mitescant, ne stomacho meo delicato noxij fiant.* Quod vt perfectiùs sponsa præstaret, à sponso traditæ sunt regulæ impendendi correctiones, & vtiles castigationes erga discipulas suas.

Subsequuta iam nocte, ante somnum sensit sponsum parare sibi hospitium in corde ad postridianam communionem; pa-

rauit autem per imaginariam visionem. In momento enim vidit cor suum euacuatum carnibus, repositamque pro iis ingentem lucem, quæ effundendo se per inania cordis, vt solet sol per aëris vacua, cor ipsum velut nouum cœlum efformabat, dilatabat, & irradiabat.

Mane Dominicæ tertiæ Aduentus, in qua legitur ex Ioanne *cap.* 1. Misisse Iudæos, qui interrogarent Ioannem; *Tu quis es?* Sponsus eadem quæstione exagitabat sponsam, *Tu quis es?* Quæ subitò confugiens ad primordia sui non esse, respondit: *Quid ego sim., quid tu sis, non ignoras, Domine; ego ne quidem sum fragilis vox, sed nihilum deprauatum, & quid nihilo inferius. Rectè*, ait sponsus, *nihil es; sed ego aliquid ero pro te: tu ne quidem vox, sed ego in te ero vox, quæ diuinam Maiestatem collaudet incessanter: immò reddam te viuam Dei vocem, quæ verbo, & exemplo alios ædificet.*

In synaxi huius diei rursum suscitatus est consuetus ignis in stomachi, cordisque fornace, de quo sic legitur in quadam Epistola. *Hodie Dominus in flamma, & in igne suo cognoscendum se dedit, dum transiret; sed multò magis sedens in intimis cordis, vbi grandem fornacem succendit.* Cæterùm longum esset prosequi cumulum blanditiarum, quas sponsa suscepit, nulla hora diei seiuncta à sponso, non vel ipso prandio, vel agendis negotiis incumbens; ita Marthæ, ac Magdalenæ opera copulans, vt interdum bipartita sibi videretur; parte vna cœlestibus, altera domesticis rebus intenta. Iesus autem stans medius, secundum idem Euangelium, in medio corde agebat, regebatque potenter cunctas animi facultates. Hinc est, quod sponsa rediens à raptu dicebat: *Reor animam in eo statu carere & voluntate, & intellectu.* Intellige quoad liberum vsum; Propterea enim dicitur raptus, qui super contemplationem donotat illam violentiam. S. Th. 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 2. *in corp.*

Prætereo cætera, pergens ad diem Sancti Thomæ Apostoli, in qua sponsus permisit contingi à sponsa vulnus lateris sui; sed insuper per illud pandit ipsi iter ad plagam cordis, in corde abscondit, ac perdidit, commiscens spiritum sponsæ suo, animam animæ, & cordi cor. Illa nihil vltra sui videbatur habere, aut esse, omnibus in Deum versis. Tunc verò sponsus alludens ad confessionem præfati Apostoli, qua dixerat; *Dominus*

meus,

meus, & Deus meus, intulit; *Ita sanè, ego sum Dominus tuus, quia de te quod volo, facio: ego Deus tuus, quoniam à te perfectè diligor: ego tua omnia sum, quia omnia tua, nihil excipiens, mihi dedisti.* Videbaturque quasi glorians potiti dominij huius seruulæ, quam donis gratiæ suæ continuò replebat. Illa tamen minimè aufugit acerbam reprehensionem sponsi opponentis faciliorem, quàm opus sit, mentis diuagationem in rebus agendis; quare illacrymans, balneum sibi fecit ad diluendum errorem: quæ omnia cùm fierent mira animi tranquillitate, ac suauitate, benignè secum à Deo actum esse asseuerabat. Quantum acrimoniæ habitura est diuina correctio aduersus eos, qui tam auidè, etiam inter res sacras, aluntur cogitationibus vanis, ludicris, & ad arbitrium, pascunturque imaginibus à proposito alienis; quandoquidem anima strictissimè iuncta Deo non caruerit reprehensore, propter nonnullam diffusionem sui in rebus ex officio agitandis?

In Vigilia Natalis Domini nil reseruatum est operationi sponsæ, sponso magnificè cuncta peragente. Ipse animam curiosa diligentia purificauit, atque sanctificauit, amouendo quæcumque sibi inuisa forent, etsi ignota sponsæ. In die Natali longissimè dissertum est, ac etiam magna parte noctis, de admirandis nouitatibus Natiuitatis suæ, adducto Psalm. 97. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* Iis audiendis ita perculsa est mens sponsæ, vt stupore imbecillis foret ad efformanda verba.

Serò autem ex occasione illius versus; *Notum fecit Dominus salutare suum:* Infantulus Iesus figuram, munusque induit medici ad sanandas plagas sponsæ. Verumtamen vt illa ex propria notione, ac confessione morborum suorum contemptibilior semper esset in oculis suis, medicus ex ipso ore ægrotantis patefieri voluit, cui illa sincerè respondit, vexari se plurimùm superbia, asperitate, & morbo ingrati animi; quamuis, vt verum fatear, nihil sit modestius illa, nihil mitius, nihil à vitio ingrati animi magè distans: sed virtutis proprium est ad superiora semper contendere. Laurentius Iustinianus, *opusculo de compunctione*, ait: *Verus amator, quantò magis Deo appropiat, efficitur corde humilior, mente purior, affectu ardentior, & in virtutum exercitatione perfectior.* Supra modum arrisit pusillo medico aper-

ta confessio sponsæ, & idcircò manum, vnguentaque gratiæ suæ admouens, ægrotantis plagas curabat, abstergebat, purificans, & sanctificans animam totam. Quod posteà perfectiùs iterauit mane in synaxi, reali corporis sui præsentia. Nihil defuit solitis amoribus die sequenti. Pupulus, qui in præsepio cordis sponsæ obdormierat, summo mane ibidem vigil, mille artis suæ inuentis collusit. Dein volens exemplo suo sponsam ad fletum prouocare, cœpit ipse flere, vt solent infantuli, allegans quod neque ab ipsa, neque ab alio quopiam satis dignè diligeretur. Deflebat illa tenuitatem dilectionis suæ, flebat iste commiseratus imperfectæ eius dilectionis, fleuere ambo simul frigida mortalium pectora in dilectione.

Die 27. Desideratur hîc epistola sponsæ scripta in festo sancti Ioannis Euangelistæ, testis actionis sequentis. Verùm quoniam hæc eadem actio replicatur in die Conuersionis Sancti Pauli Apostoli, hoc loco aliquid illius dumtaxat innuemus, eò transmittentes pleniorem narrationem. Sponsus ergo aggrediens insigne aliquod, & inusitatum opus in corde sponsæ, ante omnia ipsum sanctificauit, thure circumquaque adoleuit, instruxitque congruis ornamentis. Nunquam sponsa tantam suauitatem spiritus experta est, reconditissima quæque medullarum respersa sunt, & anima in balsamum versa vndequaque, euaporans miram fragrantiam nominis Iesu. Nam sponsus digito suo sculpsit in corde sponsæ idem sacratissimum Nomen IESVS: altaque illius significata per litteras singulas explanauit, vt infra videbitur. Cumque insigniuisset cor characteribus nominis sui, iterum illud thure adoleuit, replens totam animæ capacitatem diuina suaueolentia, vt propè fit in aula thure fumante, & expanso fumo. Insculpto nomine suo in corde sponsæ, reciprocè inscripsit nomen quoque sponsæ in medio cordis sui, sed litteris minusculis. Dein ad certiorem beneuolentiæ suæ significationem exposuit sponsæ diuinum cor, ita nomine eiusdem sponsæ inscriptum. Quanta cum voluptate, quanto cum gaudio conspexit illa nomen suum in corde sponsi, tanquam in libro vitæ descriptum? Peculiarem quoque voluptatem traxit ex eo, quod esset notatum litteris minusculis, vtpote longo iam vsu rebus paruis magis gaudens, quàm magnis. Inter hæc, suauissima eloquia, & blandimenta, sponsa monita fuit de aliqua euagatione

euagatione mentis in gestione negotiorum domesticorum, quibus idcircò magnoperè repugnabat, attamen propter Deum lætè, ac diligenter vacabat; nihil enim graue est, quod Authore, Duce, & Adiutore Deo geris.

Regrediamur ad sponsi incunabula, & excipiamus instituta sanctitatis. Iacens in præsepio inde tanquam ex Cathedra leges suæ sapientiæ laturus, primùm sponsam ad pedes suos cum pastoribus humiliter prosterni iussit, subinde ad se propiùs accedere, & verba vitæ audire. Duas illi potissimùm virtutes, quæ bonorum pastorum sunt, commendauit, humilitatem scilicet cum innocentia: *Innocentia enim*, aiebat, *mihi optimum sacrificium est.* Postremò sedulam curam, atque custodiam ouium sibi commissarum iniunxit, methodumque, ac regulas eius officij præscripsit.

Rursum ipsemet pastoris munus subiens, selegit sponsam, aggregauit charissimo gregi ouium suarum, dixit se proprium pastorem, longa lectione docuit, qua via foret ouis vtilis Domino suo, seipsa, lana, lacte, & agnorum fœcunditate. *Teipsa*, aiebat, *vtilis euades, si vt solent oues, te totam pastori dederis: lana, si te tractabilem præbueris, & à Deo manuduci, & quasi per lanam trahi permiseris: lacte, si suauiter, ac amanter filias tuas educaueris.* Docenti aures, animumque studiosissimè inclinabat ouis mitissima, sed expleta lectione pastor agnellam sustulit inter brachia sua. Quid dico sustulit inter brachia? Immò ita profundè intrusit in viscera cordis sui, vt ouicula à se defecerit, in Deum deperdita: at quantò satius, & diuinius est in Deum deperdi, quàm in nobis inueniri?

Vergebat ad exitum annus 1630. & hæc erat postrema dies, in qua fieri solet noua officiorum domesticorum distributio, addita ad profectum virtutum familiari hortatione. Sponsa, vt æquiùs, ac feliciùs omnia cederent, directore Deo opus esse duxit, nec aberrauit. Nam sumpta Eucharistia, nihil ex se in congregatione Monialium egit, aut locuta est: singula dictabat sponsus, quæ aptiùs ad rem dicenda viderentur; eratque os sponsæ veluti organum addictum vocibus sponsi, quas ad verbum referebat Mater, Sororibus istud arcanum non aduertentibus. Inter reliqua stimulabat omnes ad fidelitatem, pollicente sponso desponsaturum se illas in iustitia, in iudicio, in misericordia, & in fide, quæ sunt verba Oseæ *cap.* 2.

In hac ipſa anni periodo, ſponſa præmeditata recolere, deplorare, & aliqua caſtigatione redimere culpas prætereuntis anni, vi, & imperio ſponſi ad actus valde diſpares diſtenta eſt: is enim in medium adductis verbis Sephoræ *de Exodi cap. 4. Sponſus ſanguinum tu mihi es* ; eo titulo ob circumciſionem ſuam voluit à ſponſa denominari, demonſtrans quantum ſanguinis fuderit propter eius amorem,ac ſalutem. *Nunc quidem,* aiebat , *guttulas do , tanquam arrham redimendæ , daturus poſtmodùm riuos cruoris pro integra redemptione ; nunc ſatis eſt promiſſa ſponſalia firmari nonnullis guttis , nuptiæ tota ſanguinis miſſione firmabuntur.* Ad tantæ miſericordiæ prærogationem defecit ſponſa omni miniſterio vocis, ſtupens, vt quî Deus rem viliſſimam tam grandi ſumptu velit redimere. Cúmque ad hanc ſolemnitatem aliquid pro parte ſua conferre cuperet, & ſanguinem pro ſanguine rependere, quo mereretur & ipſa vocitari ſponſa ſanguinum , pro ſanguine voluntatem obtulit ſuam , dicens, ſanguinem animæ eſſe propriam voluntatem. Exin concitato impetu ſucceſſere antiquæ vtriuſque vnitiones, cæteraque conſueta blandimenta.

Pro prædictorum aliquali fide teſtimonio erit epiſtola ſcripta ad Venerabilem Matrem de Chantail initio anni ſequentis , in qua recenſentur acta poſtremæ ſolitudinis.

Epiſtola ad Venerabilem Matrem de Chantail.

VT iuſſiſti, dilectiſſima Mater, cuncta diuerticula, flexuſque animæ meæ liquidò patefeci Archipræſuli noſtro, vnde mihi magna quies, multaque cordis venere ſolatia. Doctrinæ eius ſumma his paucis continetur. *Quo cæpiſti paſſu , iter tuum ſimpliciter ſectare , facilis deducenda Deo , & ne fruſtrà immoreris perſpiciendis , inquirendiſue minutulis rationibus.* Commendauit maximoperè ſedulitatem miniſterij mei, ne paterer quicquam diligentiæ à me deſiderari ; cætera coniicienda curæ, conſiliis, & arbitriis diuinæ prouidentiæ.

Poſt vltimas ad te meas excurrimus ſolitudines noſtras ; quod ad me attinet, maiori adhuc cum ſuauitate , & benignitate Dei.

Digitized by

Dei. Tres, quatuorque dies tradidi expiationi criminum, dulci tamen semper, filialique cum fiducia in Deum, quæ mox permultùm excreuit ex adiuncta memoria Passionis Iesu Christi. Ab ingressu eo consilio veneram in hæc exercitamenta, vt Beati Patris nostri vestigiis componerem me: sed vis altera superior fregit hoc propositum, compulitque à sententia recedere, & ductu duci alieno. Vix enim oculum conieci in diuinas Christi actiones, ex quarum similitudine formarem meas, cùm ille instructoris munus cepit, erudiens me, qua eundum esset, & quid, quantum mea tenuitas ferret, imitandum. Nihil hic agere permissa sum, quàm aures dare cœlesti Magistro, agenti acquiescere per simpliciſſimos actus mentis, eius sapientiam, bonitatem, summamque potestatem venerari, diligere, & degustare. Interdum præ dulci profluuio consolationum anima mea liquefacta est in Deo; interdum etiam passa sum inuincibilem quemdam dolorem opprimentem pectus meum, eo quod vndas eius dulcedinis ferre non posset. Sæpenumerò sensi (ex ipsa certè Dei præsentia) intellectum magnis fulgoribus illustratum, & instar solis vndique collucere. Quo id pacto, non probè cognoui. Vnum certissimè teneo, intellectum, ac voluntatem tali captiuitate fuisse coarctata, vt sine captiuantis concessu nullatenus mouerentur; neque de hac veritate est ambigendum, nam experientia quotidiana comprobatum est. Quotidie puncta meditanda antea dirigebam, sed meditari prohibita fui, coacta inspicere, & considerare materiem in promptu iniectam menti, & intelligentiæ meæ. Quid verò facerem? Ad motum sapientissimi Ducis mei accommodabam meipsam, etsi ab eius doctrinis non rarò deficiam, miserrima mulierum. Sed tu aduerte incomparandam Dei benignitatem: pœnitet me errati? afflictorque commisso? confestim peccati obliuiscitur, ac si vel ego non peccassem, vel non vidisset ipse. Omnia ossa mea dicite; *Quis similis tui Domine? Quàm admirabilis es, & quàm bonus erga fœminulam, quæ & iure creationis, & nexu beneficiorum tua est?* Non hoc dico labio tenus Mater charissima, profero de imis præcordiis animæ meæ. Patienter adhuc accipe verbum istud de infinita Dei mei benignitate. Nusquam patitur cor meum diutiùs commorari, quàm in venerando sinu Patris, vel intus in corde suo: & reciprocando

procando ſæpiſſimè vult beatiſſimum cor ſuum quieſcere in exiguo corculo ancillæ ſuæ.

Hæc omnia, quantum ſapui, manifeſta, atque perſpecta feci Antiſtiti noſtro. Nihil ille tantis mandauit, quàm vt toto animi niſu omnia deponerem in eius prouidentiam, qui habet in nos, & vitæ, & mortis arbitrium, vtque nihil ſine eiuſdem actione agam, ſed volens aſſentiar cunctis arbitriis ſuis. Non laudat tantum pretij, ac laboris à me poni in repetundo ſomno, quando Deus eo dempto adhuc ſatis validas vires ſubminiſtrat. Magis probat vt ad ea, quæ agenda ſuperſunt, ſtrenuè accedam.

Reliquum eſt, vt palam tibi faciam mandata, quæ diuinus Præcepter antetulit obſeruanda futuris temporibus. Concisè faciam, & eiuſdem verbis: *Omni puncto temporis te vilem, & nullius rei mulierculam ducito: trade te Deo, & gratiæ ipſius; in omnibus recognoſce meritum diuinæ prouidentiæ: fideliter congere totas animæ vires cognoſcendo, amando, colendo, & inſeruiendo Deo.* Non habeo, Reuerenda Mater, quid præter hæc addam. Tantùm ignorare te nolo, me reuerà aliquantulum diuexari externis negotiis; quamuis enim non omni modo à Deo auocent, nonnihil tamen retrahunt; ſed inter hæc illud boni experior, quod cùm quid adeſt otij, Dominus depulſis cæteris, priſtinum ſibi locum reuendicat. Ora, vt ſecundum Deum omnia, & cum dignitate à me fiant, & vale.

IANVARIVS 1631.

Epiſtola Kalend. eiuſdem.

SAcratiſſimum Nomen Ieſu ſit nobis, vnice Pater, fauſtum, felixque auſpicium naſcentis anni. Huic ipſi, & æterno Patri viciſſim offeras ſacrificio corda noſtra: ſorores noſtræ placidè, ac lætè amplexatæ ſunt data ſibi cælitus officia in heſterna ſortitione. Quidni verò placidè amplexatæ fuiſſent, quandoquidem earum nulla ſit, quæ non ſit amantiſſima ſponſi Ieſu, & ſtudioſiſſima adimplendæ eius voluntatis. Ego ſola ſum rerum omnium abiectiſſima propter meam infidelitatem, etſi datore, atque factore Deo ampliora cæteris dona, auxiliaque cœleſtia quotidie

quotidie accipiam. Fac pietate tua, vt fideliſſima euadam, & nulla vitæ parte vtar, niſi amando dumtaxat Deo. Vale.

ADDITIONES.

Nomen Ieſu commemorat in epiſtola propter inſignem eius nominis ſuauitatem, atque fragrantiam, qua fuerat hac ipſa die imbuta ita abundè, vt omnes ſenſus eius eamdem fragrantiam redderent. Opus tamen inchoatum primo mane fuit renouatio nuptiarum inter infantulum, & dilectam, enumeratis inſuper egregiis titulis, dignitatibus, & officiis, quibus nobilitauerat illum pater ſuus: quæ quidem officia, & dignitates exercere vellet in anima ſponſæ, videlicet, Patris, Paſtoris, Sponſi, & alia plurima nominatim ab ea recenſita, quæ ſanè non parum profuerunt ſponſæ ad augendum amorem in Deum, & fidem in eiuſdem prouidentiam.

Valde autem opportuna rei, præſentique tempori acceſſit iſta diuini patrocinij ſecuritas; eo namque tempore œconoma Monaſterij, à qua plurimùm pendebat bona rei domeſticæ adminiſtratio, poſt diutinum morbum verſabatur in vltimo vitæ diſcrimine, vnde præſentiebat Mater quantam iacturam paſſura eſſet domus de illius interitu. Erat enim virilis ingenij mulier, ſcientiſſima rerum agendarum, conſilio potens, in educandis nouitiis ſocia, & in omni regulari obſeruantia princeps. Non ita commodum fuit ſponſæ iis diebus aurem cordis exhibere Magiſtro, vtpote intentiſſimæ famulatui ægrotantis, interdiu, & totis noctibus, etiam reiecta ſomni viciſſitudine; ſed de hoc non angebatur; dicebatque, vacare Deo, & vacare infirmis propter Deum, pro eodem eſſe. Ne verò poſt ereptam œconomam plus nimio affligeretur, ſponſus ſub horam obitus illius ſponſam corroborauit grata, ſuauique viſitatione; quo factum eſt, vt ſoluto naturali tributo aliquot lacrymarum, hilaris, ac ſerena ſurrexerit prior ad ea, quæ erant parandi funeris, adducens Sancti Fundatoris doctrinam, & exemplum, docentis aliquid eo caſu naturæ cedendum. At quia decet naturam ſuis limitibus, atque menſuris contineri, vltra quas facile eſt prolabi, poſtridie à ſponſo admonita fuit diffidentiæ ſuperuacuæ; quandoquidem ipſemet potentia, beneuolentiaque ſua ſatagat rerum omnium. Atque ita partim miniſterio infirmantis,

partim funeri, partim conſcribendis litteris, & curationi domus inſumpti ſunt dies omnes, donec redintegratæ ſunt amorum dulciſſimæ conſuetudines. Ad eaſdem nos quoque regrediamur.

Epiſtola diei ſextæ Ianuarij.

ARbitror, Reuerende Pater, minimè acceptum fore Regi noſtro ſua conditione celſiſſimo, noſtra puſillulo, ſi te hac ſolemni die dimiſerim inſalutatum. Te, inquam, qui pro eo ſtella itineris mei præluces. Quam igitur antehac Deo ipſi deuoui obedientiam, tibi, qui apud me eius vicem, ac nomen geris, ratam facio hiſce mutis vocibus. Tu viciſſim nomine noſtro eidem offeras aurum, thus, & mirrham cordium noſtrorum. Myſteria triformis huius doni nondum ſcrutata ſum, ſpero facturam in Miſſa; nam hoc mane præcipiti quodam impetu correpta fui in ſinum diuinæ prouidentiæ, non vtique eius prouidentiæ, qua generatim rebus omnibus conſulit, ſed qua ſpeciatim ſponſam ſuam complectitur, ac fouet, provt quum te videro, pluribus exponam. Vale.

ADDITIONES.

Quod legis de ſpeciali prouidentia, multis id pollicitationibus, atque argumentis actum eſt: vnde vigor ſpiritus multùm ſtetit robuſtior in ſponſa. Pro tribus donis roganti ſponſo tradidit memoriam, intellectum, & voluntatem, quæ ſponſus illicò commiſcuit ſuis per nouam transformationem.

Poſtridie à data epiſtola pro concepto themate meditationis ſubſtituta fuere ex improuiſo verba illa ſponſi apud Ioannem *cap. 4. Ego ſum tibi via, veritas, & vita, necnon & miſericordia*: quæ quidem ita in animo audientis remanſere inſculpta, vt nulla diei pars præſentem eorum memoriam deleuerit, nihilque, ſiue in matutina, ſiue in ſerotina meditatione in mentem veniret, quàm; *Tu es mihi via, veritas, & vita, necnon & miſericordia.* Non longo ſermonis ambitu, ſed viua ſenſuum penetratione excelluit iſthæc locutio. Sequentis diei pars in contemplatione decoris, & diuitiarum noui Regis tranſacta eſt;

eſt; pars altera in ſuſtinendo regno eiuſdem, qui in corde ſponſæ ſupremam dominationem ſuam exercebat.

Epiſtola diei decimæ Ianuarij.

PErbreuis, ac plena feſtinatione ad te proficiſcitur litterula. Precor, Pater Reuerende, gratioſa veniat in manus tuas. Vt te tam feſtinanter adiret, coegit vrens fames panis vitæ meæ. Fateor ad hanc menſam ſedi heri, ac nudiuſtertius, lautéque epulata ſum; ſed is, qui me ſemper amore, doniſque ſuis inſequitur, præcipuè autem poſtremis hiſce diebus, recentem cibi cœleſtis eſuriem acriùs exacuit, quam ego placare non auſim, niſi tu indixeris, & ſi placet, per hunc eundem latorem. Vale.

ADDITIONES.

Quamquam corpuſculum ſponſæ tranſactis noctium laboribus fractum, aliqua perfundi quiete flagitaret; tamen propter nullo tempore deficientia amorum commercia, mens implicita negotiis cœleſtibus vix vllum cœpit ſomnum, extititque potentior amoris, quàm ſomni violentia. Exarſere nimium calores ex illapſibus diuinis, & propter vehementiam actuum internorum: intenſiores quoque dolores, cordium permutationes, raptus, & cætera iam pridem vſitata ſomnum longè à languente reiecerunt.

Epiſtola diei 12. *Ianuarij.*

QVoniam viſendi te titubat ſpes mea, his te procul alloquĭ compellor, ne te acta cordis mei vltra triduum tacita lateant. Sed quid dicam? aut vnde incipiam? Antehac premebar debitis erga Deum, nunc debitis opprimor; nec me inopia mea à tanta debitione ſubleuare poteſt. Oro te, Pater Reuerende, pro me ſaltem ad aram gratias retribuas liberaliſſimo Deo, ne me propter debita conſectetur, ſed clementer potiùs remittat. Verùm quia non ſatis habes rationes meas pauculis, ficciſque verbis concludi, niſi diſtinctè attingantur, benignus accipe quicquid de illis balbutiens retulero. Vidiſtin aliquan-

Digitized by Google

do ceruulam accepto vulnere, quærentem ſolatio, refrigerioque ſuo fontem? Vidiſtin vt anhelat, vt fugit, vt languens hac, illac diſcurrit? Ea ſum, Pater mi, eadem ego ſum. Cor meum perfoſſum ſagittis amoris, ſuſpirans, ac palpitans incunctanter curſitat ad fontem aquæ viuæ Dei mei, qua ſola refrigerari, & leniri poteſt. Fortè quæres quid tam ſollicitos, & inflammatos concitauit amores? Vt verum dicam, ipſa amoris violentia os obſtruit mihi, nec ſinit cauſam concitantem diſtinguere. Præpedior vel vnam cogitationem de me habere. Omnem aciem mentis, & omnem cordis ſenſum ad ſeipſum attraxit Deus, cunctas quoque animæ vires intercepit fortiter, ac continet inter brachia potentiæ ſuæ. Quid dico brachia? imò intra viſcera cordis ſui. Redit nunc propè in mentem mihi, quod ſponſus imperabat hoc mane: *Accipe me, accipe*, aiebat, *cinge brachiis tuis, complectere, aſtringe tibi fortiſſimè, & poſſeſſo fruere: tuus enim, & omni parte tuus ſum.* Miſellulam me! A rei ſacroſanctæ contactu cohibebat indignitas mea, nec auſa ſum ſummum medij digiti porrigere. Audi amantis inuentum. Appoſuit mihi duo brachia ad tangendum digniora, vnum cognomine humilitas, alterum cognomine charitas, dixitque; *Iam noli timere, apprehende his brachiis, ne erubeſcas.* Obediens feci, & propiùs pectori, cordique meo admoui, & admotum complexa ſtrinxi: cumque Maieſtas illa amabilis prope prope hæreret cordi meo, fores cordis ipſe ſui propandit, meque intrò obſerauit, vniendo ſibi perquam intimè, & pluſquam ſenſu ferre poſſem; nam cruciatus aſperrimos paſſa ſum, eramque agendi impos; robur quippe, vireſque meas omnes in ſuam poteſtatem redegerat omnipotens, retento ſibi ſoli agendi iure, dum interea tenerè, atque amantiſſimè animam ſeruulæ ſuæ lætificaret.

Pretio tantæ dignationis permultùm acceſſit à verbis ſponſi extollentis merita ſuæ benignitatis erga abiectiſſimam mulierem; aiebat enim: *Vide amoris mei præſtantiam, attende quàm humili, & deiecto loco inclinat ſe Maieſtas mea, & obſtupeſce, quod inde lautas delicias contraham.* Protinùs his auditis tantoperè inualuit in me admiratio diuinæ bonitatis, & inſpectio meæ egeſtatis, vt conceptus, affectuſque meos prodere nequirem, receſſerat quippe à me omnis memoria verborum. Quid vltra addam? Ab heſterna meditatione vſque ad horam ſomni, vix vno momento

ceſſauit

cessauit tenerrima, atque suauissima cum Deo communicatio. Vtque ad eandem communicationem quantociùs redirem, excitauit me sub hora quarta noctis præteritæ, & perdurauit vsque ad horam vndecimam præsentis, qua tendo ad lectulum meum dormitura inter illius brachia, qui me potentissimè trahit ad se. Oh si me totam à me extrahas Domine, vt in te solo sim, in te solo viuam! Vale.

ADDITIONES.

Præter hæc, quæ epistola breuiter indicat, sponsus prisca officia beneuolentiæ suæ nihil minuit; ignis synaxes consecutus est feruentior, renouatæ cordium commutationes, imò & commixtiones, quarum vt penetrabilior euaderet sensus, corculum sponsæ velut quid modicum mollissimæ ceræ, in ipsa fornace amoris, idest in ipso corde sponsi liquefactum fuit.

Inuestigemus iam sequentium dierum euenta; nulla enim hîc dies sine noua linea, vbique splendent nouæ operationes, noui amantium lusus, nouæ instructiones, nouæ species virtutum: quodque magna gloria non caret, quantò ampliora sunt Dei dona, & sublimiores mentis eleuationes, tantò sponsa (sese ex se ipsa æstimans) fit animo modestior, & spiritu depressior, nil merito suo tribuens, sed vnde accepit, accepta reddens. Ipsa coniunctissima familiaritas cum sponso auget conscientiam indignitatis, conscientia autem indignitatis fructus diuinæ amicitiæ attrahit vberiores.

Pergamus ad reliqua eius diei; quæ erat Ianuarij decimaquarta. Contemplabatur sponsa fugam Pueri Iesu in Ægyptum: & ecce adstantem in spiritu puerum, qui allata Prophetia Isaiæ 19. *Ecce ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum*; mysticum instituit de nube sermonem, inquiens, *Tu mihi pro nube eris, qua deferri volo; nubes eris candida, terrenis vaporibus purgata, & humanis affectibus altior. Ego verò instar flagrantissimi solis nubem hanc luce mea clarissima inuestiam, & introrsum existens, vndequaque coruscare faciam, radiosque virtutum, atque exemplorum emittere.* Quod dixit, præstitit: adiuit cor sponsæ, stetit in meditullio, & inde veluti de medio rarissimæ nebulæ splendores suos euibrauit. Dum autem iter faciunt, voluit tanquam puerulus delicatus gestari in vlnis dilectæ, referens quod dixe-

Digitized by Google

rat Matth. *cap.*11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Coniice quo gaudio, qua animi voluntate, qua voluptate; ſed in primis, qua reuerentia diuinum, ac dilectum puerulum ſponſa per prolixam viam geſtaret. Nec ſine præmio extitit labor; iter agendo Sapientia incarnata baiulam erudiebat de ſtudio, deque praxi virtutum; multa docuit de puritate cordis, multa de rectitudine intentionis, multò plura de facili, integra, promptaque obedientia, qualem exhibuere Genitrix, Nutritiuſque ſuus. Extremum verò eius diei ſponſus dedit repetitioni eorum verborum: *Ego ſum tua via, veritas, & vita.*

Mane altero, quod ſynaxi deſtinatum erat, ſponſus præcurrens aduentum ſuum, & ſponſam interpellans ad amorum officia, hac Canticorum 5. poſtulatione vſus eſt: *Aperi ſoror mea, amica mea, ſponſa mea; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Auidus nimirum poſt emenſum longum ſpatium noctis conueniendi illam, ſeque communicandi ei, quæ iam fame ſuæ præſentiæ languebat. Verùm cùm adhuc longè abeſſet hora ſynaxis, ſuſtinendum vtrique fuit. In hac mora orta eſt inter amantes familiaris quædam diſceptatio; ſponſa etenim, cuius verecundiæ minimè placuerant magnifici illi tituli ſororis, amicæ, & ſponſæ, cœpit illos tanquam indigniſſima reſpuere: contrà ſponſus tanquàm conuenientes ſuſtinere, & corroborare rationibus, ſic affatus: *Pluribus, iuſtiſque de cauſis ad me pertines, tibi verò tituli. Amicam dixi, non ſeruam, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius; ſed amicam, quia quæ habeo à Patre ſecreta, nota feci tibi. Ioan.* 15. *Filia es iure creationis, filia iure redemptionis; nam magno mihi ſtetit vita tua: filia etiam propter paternum in te ſtudium, affectumque meum. Sororem facit fraterna inter nos charitas, cui æqualem inter germanos fratres, & ſorores in terris nuſquam inuenire eſt. Quid addam? Soror es, filia es, ſed es etiam dilecta ſponſa, quam mihi donariis, theſauriſque multis comparaui.* Iſthæc tamen argumentatio minimè abduxit ſponſam à modeſtia, nec à primæua ſententia propriæ tenuitatis; quamobrem auſa eſt ſponſo obiicere; *Vt quid ego ſponſa tua ſim, pauperrima, indotata, cui pro mundo muliebri vitia ſunt, & peccata?* At ſponſus ob oculos illius reducens hactenus collatos cumulos beneficiorum ſuorum, obiectionem ſoluit, arguens; *Tam parui pendis theſauros, quibus te*

antek.ac

Digitized by Google

antehac ditaui ? Satis diues es , licèt diuitiis alienis. Et his dictis cedens ſponſa ſiluit : ſponſus verò manſiunculam animæ ipſius ampliſſimis ornauit donis pro ſynaxi , purificauit , ſanctificauit ; ſed hoc ſplendidiùs intelligemus relatu ipſius ſponſæ.

Epiſtola noctis decimæſextæ Ianuarij.

AH ſi hac die nouum mihi robur de cœlis obtineas , Reuerende Pater , ad debellandos cum Diuo Antonio hoſtes! Quid dico hoſtes ? Ad debellandam , inquam , me ipſam, qua non patior hoſtem infenſiorem. Hic validiſſimus Chriſti Athleta poſt ſuperatos agones innumeros , nihilifaciebat omnes victorias , nec quicquam à ſe patratum dicebat , vt ex lectione matutina didici , ſi non ipſo in martyrio , quod auidè quærebat, occumberet. At ego ita mecum tacitè ratiocinabar : *Quàm prolixi , tædioſique martyrij genus eſt tamdudum abeſſe ab amantiſſimo ſponſo , ab eius aſpectu , à colloquio , à gaudiis ? Nullum iſto cenſeo eſſe crudelius martyrij genus ; nam mori , vt vniaris Deo , bonoque tuo , nequaquam pati eſt , ſed initium beatitudinis.* Propterea frequenter , & altis cum ſuſpiriis proclamat anima mea cum Regio Vate *Pſal.* 119. *Heu mihi , quia incolatus meus prolongatus eſt.* Adſpirantibus æternitati nulla , crede mihi , nulla, dies non longiſſima eſt.

Eia , Pater , quid cupis addiſcere de adauctis Dei donis in hac puſilla filia tua ? Iſta quoties recogito , ſuſpiro , & ſuſpiriorum meorum ea eſt radix , & fons , quod Deus non tam diſpertitur , quàm diſpergit in me bona ſua ; & ego adhuc iaceo ingratiſſima. Quos ignes ? quos flammarum globos non intulit in heſterna , atque in hodierna ſynaxi carbunculus ille de cœlo deſcendens ? Ignem ſenſi , Pater , perſenſi flammas , & quicquid effecit præſentia , potentiaque ſua , optimè percepi. Seriem facti teneo , ſed idonea explicationi verba , vt velim , non teneo. Parum fuit vniuiſſe me ſibi , transformauit , & totam tansfudit in bonitatem ſuam , ita vt ipſa , non ipſa , ſed nouum Dei opificium apparerem mihi. Telam hanc orſus eſt heſterna iam die ; vix abſoluit hodierna , in qua recolimus reditum Pueri Ieſu ab Ægypto , & migrationem in Nazareth. Hodie ante ſynaxim , quæ meæ vicis fuit , ſponſus compoſuit ipſe ſibi hoſpitium

pitium, emundauit, & inflammauit amore Dei. Deinde tanquam ad exiguam, ſed florentem, ac nitidam Nazareth acceſſit, intrauit, dixitque; *Hæc eſt ſedes habitationis meæ, hic eſto Nazareth mea, hic vireſcens hortulus florum, deliciarumque mearum.* Certò autem teneas, Reuerende Pater, non hæc fuiſſe inania, aut leuia verba, fuere myſtica promiſſa virtutum, quibus ſponſus meditatur animam meam exornare. Sed de his rebus pro hoc tempore, & pro breuis epiſtolæ contextu ſatis. Reliqua malo viua voce cognoſcas, quàm ex litteris. Admonendum te tantùm puto, quis fuerit finis, aut meta collocutionis noſtræ. Ego clauem hortuli, ideſt, arbitrij mei Domino tradidi, ne quid eo inuito in illum ſubingrediatur. Hoc veſpere accinxeram me, vt matrem Dei corona laudum ſuarum celebrarem, non fuit integrum, ſponſus ſuſtulit eius faciendæ orationis poteſtatem; detinuit autem fortiſſimè ſuper ipſo exordio orationis Dominicæ, nempe ſuper ſanctificatione Nominis ſui, ſuper regno ſuo, & ſuper voluntatis ſuæ obſeruantia, cui idcircò ſubeſſe firmiſſimè deliberaui. Vale.

Additiones.

Quæ de Nazareth, ac de hortulo florum erant, maluit relatu viuæ vocis, quàm per epiſtolam nota fieri, quia longioris erant diſſertationis. Declarationem ſic accipito. Puerulus Ieſus regreſſus ab Ægypto feſtinanter petiit cor ſponſæ, ibique domicilium ſibi fixit ſtabile, atque diuturnum, vt prope olim fecerat in Nazareth, quam propter longiorem moram ciuitatem ſuam appellabat. Quia verò Nazareth idem eſt ac florida, ſermonem induxit de horto, necnon de floribus; per hortum animas, per flores virtutes intelligens, quibus illæ debent ſplendeſcere. Primùm ergo commendabat hunc hortum à perenni ſuo virore, hoc eſt, à ſemper vegeto, ac feruenti amore Dei, à ſemper virentibus foliis bonorum deſideriorum, & à vernantibus omni tempore floribus bonorum operum. Aiebat enim; *Arentia viridaria, ideſt corda exſiccata pietate, odi; pallentia, hoc eſt tepida, deſpicio; amo ſemper ridentia viriditate florum, ac filiorum, necnon vbertate frugum.* Ne ergo hortulus iſte aliquo tempore vacuus foret nouis floribus, aut fructibus, poſitus eſt ipſemet Puerulus in medio cordis, tanquam arbor

vtrisque onusta, præstans sponsæ quod sibi ab ipsa præstari petierat.

Et hæc quidem de hortulo florum; pauca adiiciamus de deliciarum hortulo, vtrimque enim colligenda venit non mediocris pietatis doctrina. In primis sponsus requirebat vias latas, spatiosas, atque spectabiles ad deambulationem, in quibus nullo impediente diuagari liberum esset, ac tutum: quo significabat, animam sponsæ debere esse bene, & vndequaque subactam legibus, voluntatibusque suis, in qua tanquam in aperto campo, longè, latéque quicquid vellet, actitaret. Præcipuè tamen studium in eo positum fuit, vt medio ex horto surgeret vmbraculum ad captandam quietem, ad repellendos æstus, & ad prospectum totius horti, eò collineatis cunctis viarum capitibus. Quæ omnia cùm ritè, atque concinnè delineata essent, & parata, lætus quòd esset sine consorte Dominus tam amœni loci, cœpit huc illuc inambulare, mira suauitate conspergens humilem terram horti, ac tandem sub vmbraculum recepit se. Ibi sessioni elegit cor sponsæ, & tanquam horti supremus cultor, quædam eradicari, quædam emundari, quædam plantari iubebat. Quæ omnia spiritualiter fieri in anima sua sponsa experiebatur, eradicatis nimirum spinis vitiorum, & insitis virgultis bonarum virtutum. Et iis peractis persensit se omnimodè renouatam, atque immutatam in spiritu, vt legitur in superiori epistola.

Quemadmodum in prouigilio sancti Antonij sponsus hortulum sibi construxerat de corde sponsæ, & sub eo typo nonnulla præcepta dederat, quibus illa feruentior, atque facilior euaderet ad omnem nutum diuinæ voluntatis; ita in synaxi diei festi, præter omnem opinionem, & expectationem illud ipsummet cor in templum efformauit, suo cultui, & habitationi addixit, ornauitque tribus aulæis, puritatis, religionis, charitatis. Et in eo commoratus vsque ad tenebras noctis, modò illam in Altari sacrauit Deo, modò tributa latriæ, aliasque oblationes sibi deferri voluit, obsequente in omnibus sponsa, cuius omne velle subiacebat cunctis imperiis sponsi. Cogor multa reticere, ne eorumdem repetitione ingrata, molestáve fiat lectio: verumtamèn sileri minimè decet hoc loco templi huius mirandam illuminationem, qua sponsa viderat illud

Digitized by Google

ſplendidiſſima luce vndequaque coruſcare. Omnia lumen erant, & emicans omni parte ſol. Solus ſponſus in medio lucis ſedebat, affirmans lucem hanc eſſe gratiam ſuam, qua animam ſponſæ colluſtrauerat; animam verò ipſam eſſe templum, in quo eligit habitare, adductis in hanc rem verbis Apoſtoli 1. *Tim.6. Ille ego ſum Deus, qui lucem habito inacceſſibilem.* Hinc ipſi templo poſteà collata iterum fuere à Sanctiſſima Trinitate noua, eaque ampliora ornamenta fortitudinis, benignitatis, ſapientiæ, atque agnitionis Dei.

Serò eius diei noua quædam, & impræparata actio ſponſam amore, æquè ac dolore magnoperè affecit. Commendabat ſe illa ante ſomnum cuſtodiæ ſponſi. Ille ſuſcepto verbo celer adfuit, oſtendens quanta, dum in terris degeret, feciſſet in gratiam, & vtilitatem ſponſæ. Quot verba, tot fuere ignifera ſpicula: cor ſponſæ in ignem verſum eſt, vndequaque erumpentibus flammis amoris ad cœlum vſque. Ipſa inter flammas, calenteſque fumos euanuit; tandem reperta ſub cineribus humilitatis, & erubeſcentiæ. Poſteà tamen inter carbones ſemiſopita aliquantulum obdormiuit.

Ecce nouum diuini amoris, ac familiaritatis argumentum. Sponſa venerat ſummo mane ad orandum, & pro conſuetudine primo loco de arbitrio ſponſi exquiſierat, illis verbis: *Domine quid me vis facere?* Cui ille: *Quinimmò, quid vis vt faciam tibi?* Traxit illa à reſponſo multam ſecuritatem ſciſcitandi, quid ſeiunctus per triduum à matre egerit in Templo Ieroſolymo, & quæ fuerit ſuæ precis forma. Is priùs quàm interrogationem ſolueret, attentam fecit diſcipulam, vt collectis omnibus, tum animi, tum corporis ſenſibus exciperet verba ſua huiuſce tenoris: *Orabam, & pro te erat oratio mea: orandi formam attentiſſima ſuſcipe.* Tunc deprecatoris ſpeciem, ac vultum induens, oculis modò ad Patrem ſublatis, modò ad auditricem reuolutis, cœpit altè, & maximo cum feruore orare. Quid verò orare? Oratione eadem, quæ extat apud Euangelium *Ioann.*17. quamque habuerat olim in Cœna Dominica pro Apoſtolis, ac pro electis ſuis: nec tamen tam erat præteritæ orationis commemoratio, quàm pro præſenti ſponſa præſens obſecratio. Aiebat enim inter alia; *Pro ipſa rogo, Pater, non pro mundo. Tu mihi eam dediſti, & mea eſt. Pater ſancte ſerua eam*

Digitized by Google

eam in nomine tuo, quam dediſti mihi, vt ſit vnum mecum, ſicut & nos. Proſecutus reliqua quæ præſenti negotio magis congruebant; ardentiùs tamen, & maiori contentione inſtitit illis verbis: *Rogo vt ſit vnum, ſicut & nos vnum ſumus; ego in ea, & tu in me; ſit illa quoque conſummata in vnum.* Quid hic faceret ſponſa? Propter iuſſionem Magiſtri vix reſpirabat, veneranda Patris, ac Filij maieſtas tacentem confundebat, modeſtia deprimebat, deſiderium diuinæ vnitionis erigebat, oratio ſponſi inflammabat, ſed voculam vnam dare non eſt auſa. Abſoluta oratione, & aſſentiente Patre feſtinatæ ſunt vnitiones animorum, cum commutationibus cordium, aliiſque conſuetis actibus. Geſta verò diei ſubſequentis edicet epiſtola infrà poſita.

Epiſtola diei vigeſimæ Ianuarij.

CHarta vtor, & atramento, Reuerende Pater, ſubuerita non poſſe te præſentem alloqui ante biduum, ex qua tarditate non mediocre damnum oriretur rebus meis. Intereſt enim plurimùm, ſi quamprimùm de omni re certior fias, & cognoſcas, an omnia proſperè, & ſecundum Deum in me fiant, quandoquidem tantoperè tibi curæ ſunt progreſſus, vel regreſſus mei. Citò autem, ac ſine prolocutione, quid accidat, dicam. Anima mea hilariter concinit cum ſacra ſponſa Canticorum; *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*; nam probata ſunt ſponſalia, rata fides eſt ſacri connubij, & celebratæ nuptiæ. Res quemadmodum acta ſit, ediſſero. Sponſus ad orationem matutinam manu propria ornauit me ſeruulam ſuam apparatu, atque magnificentia nuptiali; annulum fidelitatis tradidit, honeſtauit alba veſte innocentiæ, illuſtrauit indumento ſpei, & operuit veſtimento charitatis, ſubiecitque cordi flagrans deſiderium oſculi oris ſui. Quàlis audaciæ dixeris fuiſſe, appetiuiſſe oſculum oris Filij Dei? O admirandam bonitatem, venire Deum in tantam cum hominibus familiaritatem! O immenſam diuinæ miſericordiæ propagationem! Cur id patiatur, proculdubio in cauſa eſt benignitatis ſuæ immoderantia. Tranſeo ad ſynaxim, in qua ſponſus eandem ſeruam ſecum duxit ad nuptias, ſeu, vt veriùs loquar, nuptias apud eam celebrauit, ibique, ſi vnquam aliàs, maximè diuina operatus eſt vene-

ratione, & admiratione magè digna, quàm effatu explicanda. Siquidem coram Patre apertè profitebatur; *Ego te in meam sponsam asciſco*; & annuente Patre, Spiritus fons amoris nodo ſuo ſuauiſſimo vtriuſque corda connexuit, confecitque ſacratiſſimum connubium, cui per longa interualla temporis ſucceſſere cœleſtes operationes, raptus, transformationes. Inde ſponſus iucundiſſimè prorupit in hæc verba; *Conſummatum eſt, abſorptum enim eſt modò quicquid amoris proprij, quicquid erat humanæ, aut terrenæ facis.* Quid ergo ſupereſt, niſi vt qui tali vita fruuntur, iam in ſe non viuant, ſed in eo, qui vt vitâ beata viuerent, acerbiſſima morte affectus eſt? Inter hæc ſtupor eripuit mihi omnem vocem; relictum tantummodò admirari, ſubeſſe voluntati Dei, & diligere: cætera ſponſus concatenauerat ſibi, nec priùs his operibus finem dedit, quàm tota excurriſſet dies. Nihilominus ſemel, ac iterum, neſcio bono, an malo zelo, redargui aliquantò ſeueriùs ſororem quamdam tranſgredientem limites officij ſui. Exterior, & apparens ſolummodò fuit ira, inteſtina cordis minimè tetigit. Qui arcem cordis mei tenet, ac tuetur, acceſſu omnem iram validè prohibuit, quamuis & hoc ipſum ab immobili attentione ad ſponſum me diuerterit. In oratione veſpertina alio me ſpectaculò pauit, aliis dilectionis ſuæ officiis lætificauit dulciſſimus, atque amantiſſimus ſponſus; recreauit enim aſpectu ſuæ pulchritudinis, contemplatione diuitiarum ſuarum, & earum admiratione obſtupefecit oculos meos. Caſtiſſimus tenuit me inter caſtiſſima brachia ſua, vniuit ſibi, vetuitque, ne vlla in re ſolamen, aut oblectationem quæram extra eum, qui ſolus eſt Dominus meus, ſolus altiſſimus Deus, & mihi indigniſſimæ ſummè beneficus. Vale.

Additiones.

Hæc epiſtola exarata fuit nocte cadente in diem vigeſimam menſis, cúmque poſtmodùm ſponſa recumberet pro ſomno, præcucurrit ſponſus, & expanſis flammis diuini amoris per vniuerſos animi, corporiſque meatus, ſomnum procul fugauit; fugauit autem reuocata commemoratione tædæ nuptiarum, ac dotis, ſed multò magis noua cordis, ſapientiæ, bonitatis, ac theſaurorum ſuorum donatione, quibus quidem iucundè delectabatur animus, ſed magnis doloribus propter violentiam vexatum

Digitized by Google

xatum elanguebat corpus, ita vt de ore ipſius nihil quicquam prodiret, quàm, *Amor, oh amor, amor.*

Mane autem creuit in immenſum eadem amoris flamma, & diuinæ præſentiæ violenta impreſſio, ſponſo renouante dona ſua, ſicque arguente: *Quemadmodum iure, ac titulo nuptiarum, & dotis, ſponſa, & quicquid eſt illius, tranſit in rem, & dominium ſponſi, eadem quoque ratione quicquid poſſideo ſponſus, tibi facio commune. Ego de te quicquid volo, efficio; tu de me, deque rebus meis, quod placuerit, efficito; nec id ſolùm titulo nuptiarum, ſed etiam quia rapuiſti cor meum, quod apud te captiuum habes. Vis noſſe quibus armis captiuum feceris? Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, & rapuiſti in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Ego à te nullo tempore diſiungar; pete quod vis, & exequar.* Ad talia verba deliquium animæ, corporiſque paſſa eſt ſponſa, quale nunquam antea, & modeſtè ſedi parumper innixa eſt, donec reſtitutis viribus ventum eſt ad petitiones, quarum prima de more fuit illa, vt poſthabitis rebus quibuſcumque, ipſummet haberet ſibi; dicebat enim, *Quid vltra quæram? habeo omnia cùm habeo te.* Secundo tamen loco, cùm non caperet verba illa; *Rapuiſti cor meum in vno crine colli tui*; aperiri ſibi ſenſum ſuppliciter rogauit. Cui ille; *Oculus, quo rapuiſti cor meum, mentis eſt ſimplicitas, qua non ad collata dona, non ad acceptas illecebras, neque ad futura beneficia reſpicis; ſed recto, puro, & ſimplici intuitu ad me ſolum fertur cogitatio tua, & quæ poſteriora ſunt obliuiſcens, ad anteriora ſemper procedis, quo mihi magis, magiſque placeas. Crinis colli eſt amor tuus vnicus ad me vnicum, quo me quaſi catena deuinctum tenes. Vide quàm potens ſit amantis cogitatio, quæ Deum in vincula trahit. Vide quanta ſit benignitas Dei, cui crinis catena fit.* Ad hæc defecere in corpore vires, & cor ſine corde remanſit; an exiſteret ipſa, non cognoſcebat, ne dicam vbi.

Hinc inferre licet, quàm vehementes affectus, quamque potentes illapſus inſpirauerit ſponſus propior in ſynaxi, adiectis nouis veſtibus, ac donariis. Sponſa credidit reliquias diuini theſauri hac vice depromptas, & in ſe funditus congeſtas, conteſtante ſponſo nihil apud ſe reſeruari, quod ſponſæ nollet communicare, vt cui annulum fidei dederat, fideliter quoque omnia perſolueret. Ipſa præſentem in ſynaxi ſponſum ſpiritualibus animæ ſuæ brachiis diu ſuſtinere coacta eſt, complecti,

cordique ſuo adſtringere tam arctè, vt penè nequiret reſpirare, nec vlla vi ab eo diuelli.

Præclariſſimo autem exemplo hoc mane docuit quàm bono, perfectoque conſenſu contemplationibus ſociaret debita officij ſui, ac vitæ actuoſæ, etiam cum aliquo diſpendio oblectamenti manantis à Dei conſortio. Nam dum placidiſſimè frueretur eloquiis ſponſi, chirurgus intra ſepta Monaſterij fortè inductus fuit ad emittendum ſanguinem. At illa percepto ſigno ingreſſus, non immemor officij ſui, petita priùs à ſponſo, habitaque licentia abeundi, ſtatim de diuino colloquio, deque mediis illecebris exurgit, properauitque ægrotanti miniſtratura, ac poſteà ad eundem ſponſum reuerſura, hac via contemplationis ſuauitatem operibus miſericordiæ decorans.

Serò eius diei, quæ erat Sancti Sebaſtiani, materiem congreſſui ſubminiſtrauit ænigma illud Chriſti apud Matth. 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Cuius dicti veritas magis experimento, quàm ſtudio meditationis conſtitit. Etenim diuina potentia ſponſam prorſus perdidit, abſorbuitque diuinitate ſua, nullo aut ſui, aut loci manente ſenſu, ſed ſolius diuinitatis, in qua erat perdita, & ſimul inuenta.

Dies Sanctæ Agnetis à mane ad veſperum conſumpta penitùs fuit in oſtenſione, ac admiratione decoris, bonitatis, ſapientiæ, cæterorumque attributorum ſponſi, eodem ferè modo, quo patent in officio, & vita prædictæ Virginis, & Martyris, vnde ſponſa non modicum accepit incrementum amoris, & agnitionis Dei.

Hac eadem die ſponſus Regiam Dominationem perpetuò exercuit in ſponſam, non minori cum hilaritate, quàm ſi felicißimo ſucceſſu nouum Regnum ſibi comparaſſet, & iactando hanc eſſe ſuæ vicis diem. Ad cuius dicti notitiam repetendus eſt tractatus quidam, quo in ipſa die nuptiarum conuentum fuerat inter ſponſum, & ſponſam, vt ad ſignificandam mutuam amicitiam, ſortem æqualem, & vniuſmodi vitam, ſtatuerentur duo dies, in quorum primo alter imperaret, alter parêret, & vice quoque verſa alio die pro libito dominantis res geretur. Ceſſit ergo prima dies ſponſæ, cuius propterea ſponſus ſe fatebatur captiuum, & crine alligatum, ſollicitabatque ſponſam, vt quod magis placeret, de ipſo, ipſiuſque rebus diſponeret.

diſponeret. Altera dies ceſſit ſponſo, qui idcircò ſupremum dominatum exercuit in ſponſam, omnia eius arbitria placidè, & conſilio regens ſuo, cuius ſimiliter captiuam ipſa ſeſe appellabat, traditis in manu rectoris habenis ſuæ voluntatis. Atque hoc modo dies iſta dicta eſt dies vicis ſponſi, ſicut præcedens ſponſæ; vtraque tamen ad maximum ſponſæ profectum. Ad horam verò quietis accepta benedictione à ſponſo, ſenſim inter eius vlnas obdormiuit, ſed non niſi poſt mutuos actus amoris, & conſueta blandimenta.

Epiſtola diei 23. Januarij.

DE paterna ſollicitudine, qua crebrò perſcribi ad te de geſtis cordis mei iubes, gratias ago quammaximas, Reuerende Pater; nec minores pro eo quod errata mea, ſi quando innoteſcant tibi, tempeſtiuè corripis. In his officium boni Patris experior; habent enim non exiguam ſignificationem ſtudij erga me tui. Dixi, errata ſi innoteſcant; ſi enim cuncta paterent, quàm grandis prouincia monitori incumberet? Sequere, plecte; hac manu, hoc flagello excutienda eſt inuicta cordis mei elatio. Quamobrem, vt verum fatear, nihil maiorem in me mouet admirationem, quàm quod, etſi peſte ſuperbiæ, innumeriſque vitiis inficiar, nihil tamen ita promptum, paratumque erga me ſit ac Dei clementia, quæ nullo non tempore mitem, beneuolam, beneficam, & familiarem ſeſe mihi præſtat, ſicut propè euenit poſt extrema noſtra colloquia. Sponſus in ſerotina oratione poſtremæ diei venerando cordi ſuo agglutinauit cor pauperculum ſeruæ ſuæ, inſtititque diuina operans, donec neceſſitas ſomni interrupit. Hoc mane iacenti ad pedes ſuos, ſponte, & poſthabita nobilitatis ſuæ dignitate, totum ſe mihi dedidit, inquiens; *Vide quantum de mea amplitudine detraho, vt tibi ſim coniunctior, tuque mea gratia fruaris copioſiùs.* Subinde conuerſus ad Genitricem ſuam, dixit: *En puella Margarita, quam mihi deſponſaui, rapuit cor meum, vinxitque me, & tenet concatenatum: idcircò totus eius ſum, eius amore ardeo, habitationem quoque meam defixi in corde ipſius, quia meum eſt, & omni parte meum.* Gratum auditum præſtabat filio Mater; ego autem vilis, & emptitia ſerua, rubore, atque pudore operta, profundiſſimos

dissimos actus humilitatis de imo cordis educebam, cum his sermul verbulis: *Ah bone Deus, quidnam ego sum? Annon mulierculæ infidelis, ingratæ, nullius pretij, perfida? Quid tam insignia cogitas de me? A te quidem condita sum, nihil tamen à me sum, nihil possum, nihil mereor.* Sed propter hæc dicta sponsus minimè destitit, imò accessit propiùs, & ita me monuit: *Auerte filia oculos tuos à me, idest à Maiestate mea* (nolebat enim considerari vt Rex, sed vt sponsus) *alioquin me auolare facient.* Reuerà auolare nolebat à me, quam eodem momento arctiùs cordi suo coniungebat; sed hoc pacto locutus est, conspiciens me valdè dejectam, & fractam animo, & quia magnoperè afficiebatur ea specie humilitatis.

De iis quæ euenerunt in synaxi, ignoro quid benè dicam, laboro inopia fandi. Ante accessum pungebat conscientiam meam nescio quid non bene Deo probatum, mihi verò obscurum. Quicquid illud esset, rogaui tolli à me, & in sponsi aduentu euanuit: quo mihi persuadeo fuisse magis vmbram, ac metum errati, quàm erratum. Hoc fero cuncta secundo cursu percurrerunt: sponsus resedit in medio cordis mei tanquam in proprio hospitio, sumpturus in eo cibum, quietem, & delicias suas: cibum amoris, quoniam enutriri gaudet repetitis actibus amoris: quietem, in tranquillitate animæ imperturbatæ: delicias, quia castigatis cæteris affectibus, solus in eo deliciosè oblectetur. Vale.

ADDITIONES.

Initio epistolæ de sibi facta correptione gratias agit. Leuiuscula res erat, & externæ munditiei tantùm repugnans; macula nimirum in fascia pectorali. Sed ea erat virginis virtus, vt reprehensa gauderet, & triumpharet depressa. Tantoperè rebus aduersis obduruerat, vt nulla moueretur; existimabatque se nullius aduersitatis tolerantia mereri apud Deum, eo quod de nulla læderetur. Quare in occursu rerum asperarum tantum abest, vt retorqueret oculum, vt potiùs læta adiret, & alacri studio subiret: dixisses aucupem prædæ continuò collimantem; eratque prodigij loco, si quampiam omitteret mortificationem. Duplex illi dumtaxat supererat molestia, aliis iussa dare, & exterorum audire non ad rem collocutiones.

Digitized by Google

In serotina oratione.] In matutina verò actum fuit de triduana absentia pueri Iesu derelicti in Ierusalem, vbi & de Matris mœrore, de lacrymis, ac tremore. Hic cùm Mater, tum Filius oratricem istam ad easdem lacrymas prouocauerunt, propter suos, & ex sua culpa discessus à sponso. Fusè lacrymata est, multam tamen cordis dulcedinem, & consolationem hauriens è lacrymis, mel, vt aiebat, de absynthio sugens.

Pungebat conscientiam nescio quid.] Sciendum hoc loco est, quod paucis retrò diebus, quoties sponsus sponsam parabat ad sensa suauia, & iucunda, solebat os, faucesque ipsius dulcedine quadam, quasi mellis perfundere, quod tamen sponsa, ne diuelleretur à sponso, solebat tanquam rem nullius momenti despicere. Igitur hac die pro mellis dulcedine sensit os aspersum repentina amaritudine, & suspicata est delitescere in anima aliquod peccatum. Verùm perscrutata accuratissimè vniuersos sinus animæ suæ, nihilque detegens maculosum, tantùm pertimescens occultam fraudem dæmonis, ad sponsum confugit, cuius præsentiâ ab omni molestia liberata est.

Postridiè postremæ epistolæ in meditatione sermo fuit de persecutione Sauli, vbi sponsus in hanc speciem dulcis querimoniæ tandem erupit: *At tu acriùs, & vehementiùs me persequeris, licèt alio armorum genere, violentis nempe iaculis amoris tui, quibus omnem ferè requiem mihi adimis.* Cui illa: *Ita sit Domine, parata sum his in te armis quammaximè potero sæuire, vt omni prorsus requie careas.* Quibus dictis ventum est ad vnitiones cordium.

In ipsa verò die Conuersionis Sancti Pauli facta fuit potentissima demonstratio diuinæ misericordiæ superabundantis in gratia, vbi abundauit iniquitas. Stupor ex magnitudine illius misericordiæ obtenebrauit lumina intuentis, ita vt non videret, quod videbat. Sat fuit cum eodem Paulo *ad Rom.* 11. dicere: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei?* Synaxis ditissima fuit donis: Pater copiose communicauit auxilia potentiæ suæ, Filius seipsum, Spiritus sapientiam. Nihil aduertit de igne consueto, absorpta in ipsa Diuinitate. In oratione autem vespertina conflictus quidam fuit inter duos amantes: sponsa subiiciens se cunctis voluntatibus sponsi interrogabat cum Paulo: *Domine quid me vis facere?* Ille contrà; *Quid vis vt faciam tibi?* Cumque sponsus persisteret in eadem sua propositione, sponsa cessit, re-

Digitized by Google

ſponditque; *Doce me facere voluntatem tuam, nam omne mihi gaudium eſt carere omni voluntate, & tuis arbitriis dirigi.* Tunc ſponſus annuit, mandauitque ipſi bonam educationem Monialium, eo quod hæc ſit voluntas Dei.

Poſtera dies tota fluxit inter actus amoris; cœpit enim ſponſus conqueri de perſecutione ſponſæ, & de plagis ab ea inflictis. Illa putans querimoniam eſſe de plagis, & de perſecutione peccatorum ſuorum, confeſtim ad actus pœnitentiæ recurrit, ſed inde reuocata eſt à ſponſo, qui oſtendens cor ſuum vndequaque transfoſſum iaculis amoris, apertè declarauit, plagas illas vulnera amoris eſſe, dixitque; *Ne propterea ceſſes hoc me modo perſequi, ſit cor meum ſcopus ſagittarum tuarum, huc ſemper collima, huc vibra ſpicula noua amoris tui.* Oſtendit autem ſpeciatim quamdam longam, latamque plagam, per quam veluti per portam ſponſa poſſet in inteſtina cordis tranſire, introduxitque illicò per eam, concluſitque tam arctè, vt ibidem immobilis permaneret. Hinc mirandæ ecſtaſes, & ſponſa vix ſenſibus animæ, & corporis per totam diem vſa eſt. In ſynaxi ſponſus viciſſim in corde ſponſæ domicilium ſibi poſuit, allataque ſunt dona ab eo, & à Patre. Spiritus verò Sanctus ſuſcitauit grande incendium amoris his verbis; *Ego ſum amor, & amoris Deus: nolo hic auguſtum foculum, ſed amplam fornacem amoris eſſe. Tranſeat cor iſtud in fornacem; ego fons amoris ignem meum ſubiiciam.* Verba ſingula carbones extitere, & flammæ amoris multis cubitis fornacem exceſſerunt. Sponſa tantis ardoribus conſumpta, etiam poſt longum tempus, quidnam eſſet, aut vbi, neſciebat. Tantùm ſentiebat corda inuicem commixta modo ineffabili, iuxta illud 1. *Ioan.* 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Compulſa autem fuit ſponſa in omnibus morem gerere, licet cum magna erubeſcentia, magnoque cruciatu. Quamobrem mane altero cuidam auguranti ſibi diem fortunatum, adhuc languens reſpondit; *Ah vna mihi dumtaxat erit bona, fauſtaque dies! Oh quàm prolixa tempora hic deduco! Quandonam aderit hora illa, in qua dies mihi perennis ſit, & beata?*

Offert ſe nobis hoc loco propenſiùs examinandum opus, ſeu priuilegium diuinæ benignitatis, huic ſeruæ Dei à ſponſo prærogatum, quo alter alterius nomen, atque cognomen in corde ſuo celatum, ſeu inſculptum geſtauit, additis per ſingulas litte-

ras

ras myſticis interpretationibus, quæ multitudine, varietate, altitudine admirationem habent, maximè quia exinde potuit ſponſa, quandiu vita ſuperfuit, cœleſtia ſemper documenta promere.

Dies erat vigeſimaſeptima Ianuarij, & diei initium. Thema autem meditationis verba Pauli humi proſtrati, *Act. 9. Quis es Domine?* Sponſa antequam conſcenderet in contemplationem Diuinæ Maieſtatis, pro ſua conſuetudine, & iuxta conſilium Sapientis deſcendit ad agnitionem, & depreſſionem ſui ipſius, illis verbis *Prou. 18. Quid ego ſum Domine?* Sed deprimentem ſe Magiſter erexit, iuſſitque attentiùs audire docentem. Auſcultantique attentiſſimè retulit quod olim dixerat eidem Paulo; *Ego ſum IESVS NAZARENVS. Hoc nomen, hoc cognomen mihi, quod propoſui ſculpere in corculo tuo, vt ipſum mihi hoc titulo, & ſigno vendicem.* Dixit, ac protinus (quaſi qui chartam pugno ſupponit conceptus ſuos expreſſurus in ea) corculum ſponſæ vna manu rapuit, tum digito velut acuta cuſpide quinque litteras nominis IESVS, circumcidendo inſcripſit, efformans de illis quamdam coronam, ſeu circulum circa cor, deducto in area cordis eiuſdem cognomine, NAZARENVS, hoc modo.

Mox manu oſtentans idipſum cor tanquam ſignatum annulo ſuo, in rem penitus ſuam arrogauit. Gemebat acerbitate pungentiſſimi ſcalpri puella, & cor compreſſum grauitate ſigilli inſtar ceræ deficiebat ardore amoris, & doloris; & interim admirans nouitatem facti, rei occultæ exitum præſtolatur. Tunc

Magiſter expandens Myſterium cuiuſque litteræ, tam nominis, quàm cognominis, primùm latentes titulos ſuos expreſſit, deinde officia, quæ ſponſæ eſſet exhibiturus. Audiamus & nos explanationem.

I. Imaginem ſignat. *Ego enim* (aiebat ſponſus) *ſum viua imago Patris mei, in me diuinitatem, eſſe, atque ſubſtantiam illius portans, longè aliter, ac imagines veſtræ, quæ prototypos ſuos coloribus dumtaxat, non reipſa repræſentant. Sum itidem idea rerum omnium, quas meipſo & refero, & concipio. Imago præterea ſum animæ tuæ, & illam veni redintegrare, quæ in te à Patre meo indita fuit, quamque tu aboleueras. Nunc autem volo imaginem iſtam perpetuò, & indelebiliter elucere in corde tuo, tanquam figuram ſigilli mei. Vis noſſe qua arte foueatur illæſa? Citò dico, humilitate, ac mititate. Hi enim ſunt etiam cordis mei characteres, qui dixi, Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde. Matth. 11. Sepi cor tuum hiſce virtutibus, & integram ſeruabis imaginem meam. Sicut elementum* I, *inter cætera minimum eſt, vix oculum feriens, ſic te ſemper infimam reputes inter res creatas, quibus quaſi litteris, ac imaginibus Diuinitas mea innoteſcit, & hoc modo ſpecioſa in te ſemper emicabit imago Dei.*

E. *Intellectum ſignat, & auſcultationem* (Gallicè, *Entendement*, & *Eſcouter*:) *ſum etenim intellectus Patris, quo ſeipſum contemplatur, cognoſcitque cuncta creata, & quæ creari poſſunt. Huius ego animæ intellectus fiam, rectas intelligentias, veritateſque rerum communicabo, ſanas cogitationes infundam, & inſuper mira operabor, eritque intellectus tuus intellectui meo organum; ſi tamen loquenti obaudias, & operanti ſubmittaris, tanquam vitæ tuæ rectori.*

S. *Hæc littera vnum ex nominibus meis integrè repræſentat, nempe ſapientiam: ego enim ſapientia increata, & fons omnis ſapientiæ.* Collocatam autem dicebat magiſter fuiſſe hanc litteram in eminentiori loco cordis, non fortuitò, ſed ex induſtria, quia inibi intenderet erigere thronum magiſterij ſui; quod & actu fecit, de throno tradens diſcipulæ documenta ſuæ ſapientiæ.

V. Deſcendens in alterum latus cordis, dixit litteram V, ſtare pro ſuo Venerabili Nomine *Verbum*, eo quod ipſe ſit Verbum Patris, ab omni æternitate, & in eadem ſubſtantia productum: Verbum fœcundum, & efficax, per quod, & in quo Pater operatur, tribuendo eſſe rebus vniuerſis: imperio namque huius verbi, quod dixit, omnia facta, & conſtituta ſunt. *Volo autem,* addidit,

addidit, *arcana verba huic cordi dicere; volo in eo, & per illud magna loqui, imò & quæ loquar, efficere, dummodo ſermonibus meis aures præbeat.* At ne tot ſermones fierent ſine fruge, verſus ad ſponſam, (quæ an in corde adhuc eſſet, dubium mihi eſt, propter rapidam verborum efficacitatem) *Inſpice*, ait, *inſpice huius literæ figuram, binas lineas veluti duo aperta brachia ſurſum extendit, inferiùs verò claudit. Hoc modo mens tua ſupernis ſemper aperiatur illuſtrationibus, vota cordis tui ad cæleſtia perpetuò aſpirent, ſemper ad me ſurſum tendant, venientique mihi expanſa ſint; occludantur verò rebus quibuſlibet, quæ de infrà ſunt.*

S. Per vltimum S, quod eſt ſub cuſpide cordis, & recta linea ſubiacet S, ſuperiori, docuit ſignificari ſanctitatem, eo quod ipſe ſit ſanctitas Sanctorum, & ſanctitas ipſa, qua ſingulari priuilegio cor iſtud vult ſanctificari. Quod & præſtitit, illud intrinſecus, & circumquaque pro libito ſuo purificans. Per huius litteræ formam iniunxit diſcipulæ humilitatem, atque obedientiam. *Intuere*, inquiens, *huius litteræ caput curuum eſt, ſeſeque ſub altero S, quo ſapientia notatur, inclinat. Ita propemedum caput tuum diuinæ ſapientiæ inclines oportet, & ad omnem voluntatem eius prouidentiæ ſubmiſſum ſit.*

N. Enucleatis Myſteriis latentibus ſub litteris Nominis Iesvs, deſcendit ad aperiendos titulos, ac dignitates, quæ in cognomine ſub corticibus pariter litterarum operiuntur, & incipiens à littera N, dixit: *Hoc initium cognominis mei Nobilitatem meam prædicat, quia nobiliſſimus ſum, & nobilitate mea omnia creata antecello, nobilitoque vniuerſa, tum quæ in cælis, tum quæ in terris exiſtunt. Hæc eadem cor iſtud nobilitabo, & reddam illuſtre in oculis Patris mei.* Ad doctrinam autem ſponſæ, aliam interpretationem eiuſdem literæ ſubiecit, dicens: *In corde iſto N. ſtat pro particula negatiua Non, quia cor iſtud foris circumvallatum muro altiſſimo Nominis mei, intus verò obſignatum cognomine meo, mihi ſoli patêre debet, cæteris obtrudas non, ſeu nihil.*

A. *Significat vnum ex illuſtribus Nominibus meis, quod eſt*, Admirabilis. *Hîc enim mirabilia operabor, quæ te cum aliis in crebras admirationes rapiant.*

S. Pro Z, poſitum, quia Gallica erat locutio, pro eodem eſt, ac *Solus*, quia ſublato omni comite, hîc regnat, hîc quieſcit ſolus. Ad eruditionem addidit: *Littera hæc tum, ab interiori capite*

aperta, tum à cauda, videtur anteriora, ac posteriora spectare; imitare latus illud, quod ad anteriora vergit, & cum Apostolo, quæ retroacta sunt, obliuiscere, ad ea quæ supersunt incessanter procurre.

A. *Iucundum nomen meum Amoris denotat: amor sum, & Deus huius cordis amantissimus.*

R. *Regem indicat, quia Rex Regum sum, hunc titulum portans in femore meo scriptum: specialiter autem, quia Rex sum huius cordis, quod ad nutum rego, & in quo sine arbitro regno.* Rei psa statim erecto ibidem throno suo ius despoticum regiæ potestatis exercuit.

E. *Per E, sponsum intellige* (Gallicè *Espoux.*) *Quia sponsus huius animæ ego sum, & in hoc corde nuptias iam celebraui, neque à data fide vnquam discedam.*

N. *Nauim signat: sum etenim nauis portans cor istud tutissimè, & absque vllo naufragij discrimine, etiam inter procellas, & tumultuantes fluctus maris despumantis. Inter brachia huius nauigij cor istud transvehetur vsque in portum terræ viuentium.* Et his dictis siluit, ad postremas litteras non prætergressus.

Dum sponsus manu excuderet, infigeretque ipsis in medullis cordis sigillum suum, puella remansit elinguis, semimortua, & impos sui. Interrogata autem, num species ipsæ litterarum impressæ remanerent in imaginatione? respondit affirmatiuè; addens rerum, quæ in ipsa geruntur, interdum apparere simulachra, interdum verò non apparere.

Absoluta incisione, & interpretatione litterarum, sponsus manu captans cor sic signatum, lætus efferebat illud tanquam nouo iure suum, dicebatque; *Principes, ac Reges terræ, solent quæ cudunt numismata auri, vel argenti inscribere propriis nominibus, & sua ipsorum effigie, aut emblematibus gentilitiis intus collustrare. Ecce moneta, ecce numisma meum, in quo sculpta fulgent insignia nominis, agnominisque mei. Reponam igitur in ærario meo, & recondam inter pretiosa mea, nec ad quemptam alium patiar transferri.* Hanc verò custodiæ promissionem probauit hoc facto. Quoddam infestum phantasma volitabat ante oculos sponsæ, protinùs inuocauit sponsum, qui citissimè adfuit, arguens; *Quid times? Numquid non ego custodia, & fortitudo tua sum? An non obsignaui cor tuum annulo sigilli mei?* Et eodem momento euanuit cogitatio.

In oratione serotina sponsus audita petitione sponsæ; *Domine quid*

Digitized by

quid me vis facere? ſtatim recurrit ad cor ſignatum, illudque ſecum in ſinu Patris abſcondit, vſus illis verbis Apoſtoli *Col.* 3. *Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* De hoc in epiſtola ſequenti. Nocturna quies procul, & diu fugata eſt. Tandem dum ſponſa leuiter dormitat, ſponſus quaſi miles excubias agens, & defenſioni inuigilans, aiebat; *Cor meum, ſcilicet impreſſum meis notis, dormit, & ego vigilabo eius cuſtodiæ.*

Epiſtola diei 28. *Ianuarij.*

LOngè à votis tuis ſine dubio diſcederem, Reuerende Pater, ni feſtinarem notas facere rationes cordis mei, tibi ſecundum Deum addicti; vtque celeriùs id faciam, cogit paupertas mea, quæ pro exſoluendis Deo gratiis compellat ſacrificia tua. Heu, Pater optime, quid faciemus? quid dicemus? quid cogitatione fingemus dignum immenſa miſericordia Dei? Ipſa penitus obmuteſco, nec alia quæpiam vox perſonat in corde meo, præterquam, *Oh amor! etiam, tota tua ſum: etiam, iterum tota, tota, tota tua ſum, & magè quàm hactenus tua ſum. O Pater æterne, ô Patris Vnigenite, & ſponſe meus, ô amoris Spiritus ſancte.*

Heſterna acta poſt diſceſſum à me tuum hæc ferè ſunt. Genibus nixa pro meditatione ſerotina auidè expectabam ſignificari mihi, quid me facere vellet Deus, aut quid in me faceret ipſe. Illicò apparuit in ſpiritu ſponſus, & coniectis in me primùm oculis beneuolis, amatoriis, atque ridentibus, poſtmodùm deflexit illos ad cor illuſtratum ſigillo nominis ſui, dixitque: *Non decet tale opus floccifieri, magnificum, elaboratum, gemmiſque illuminatum eſt, aſſeruari in arcula congruit, vincirique ligamentis aureis. Ea enim eſt apud homines conſuetudo, & cautio, vt gemmas, & nomina dilectorum auro connectant, & priuatis in ſcriniis tutò ſeruent.* Quam arculam, quæ ligamenta aurea fuiſſe credideris Pater? Ipſe ſinus pectoris diuini arcula fuit, & aurum: illic tranſlatum, illic clauſum, & obſeptum fuit cor, quod ſponſus arridens contemplabatur, ſibique intimè vniebat, dum ego interim demirata exceſſus diuinæ bonitatis, ad nihilum meum redibam. Ante ſomnum diuina pariter proſecutus eſt. Diuina, inquam, quia ſola Dei ſublimi virtute patrari iſta poſſunt. Accipe quò ſermonem ſuum inflexerit hoc mane.

Digitized by Google

ne. Veneram ad orandum eo consilio, vt considerarem verba Christi Domini ad Paulum furentem, sed prostratum; *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Act.9.* Aliam ciuitatem, alia domicilia proposuit sponsus, ad quæ diuerterem, & ingrederer. Pro domiciliis posuit plagas sacratissimi corporis sui, viasque indicauit, per quas illuc peruenitur, & intratur. *Ad plagas pedum*, aiebat, *ducit via humilitatis; ad manuum, callis bonorum operum, & labor edomans passiones; ad sacratum vulnus lateris aditum pandet charitas; ad vulnera capitis amor abiectionis.* Adiecit præterea, in eiusmodi domiciliis commorandum nobis esse, dum exulamus in terris. Cæterùm post hanc vitam parari aliam Ciuitatem, Regiam nempe suam, in quam sponsas ipse manuducit, videlicet venerandum sinum Patris æterni, in quem eadem hora pertraxit secum misellulam hanc seruam suam. Ignotus erat mihi locus ille, & an ipsa existerem, nesciebam, cùm nil mei ipsius sensu experirer. Sponsus quoque tam arctè, & intimè iunxit me Maiestati suæ, vt perierit in me vox. Animo tamen percipiebam dicentem; *Age, dilecta, sint omnes delicia tuæ in Patre meo, in me, & in contemplatione perfectionum nostrarum. Pascere amore, ac bonitate nostra; recreet te pulchritudo nostra, oblectet sapientia, robur tuum sit potentia nostra: misericordia esto basis spei tuæ, & prouidentia locus quietis. Te Pater in filiam, Ego in sponsam, & Amor noster elegit in templum.* Multaque insuper addidit beneuolentiæ, fiduciæ, atque suauitatis plenissima. Auribus mentis accepi omnia, sed ne recitem, interturbat verecundia, animique confusio. In Missa refecta fui spirituali communicatione. In oratione vespertina exhibuit se mihi ad omnia, patefecitque thesauros absconditos in Christo Iesu Deo, & Homine, repositos in Sanctissima Eucharistia. Vale, & precibus tuis propitiam mihi facito Deum meum.

Additiones.

Adde hac ipsa die sponsum inculcasse vehementer præceptum integerrimæ obedientiæ, qua vult omnes, & singulos motus mentis, ac voluntatis sponsæ subdi nutibus Dei, obiiciens quod olim Paulo, *Act.* 19. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*; ita arguens: *Qui contra stimulum calcitrat, stimulone, an sibi nocet? Obedientia tua tibi proderit, mihi inutilis est, qui nullius rei egeo.*

Exeunte

Exeunte iam mense, prioribus beneuolentiæ argumentis nouum accessit, nouumque amicitiæ vinculum ex inscriptione nominis sponsæ in corde sponsi. Quare illa non minorem traxit amoris certitudinem de characteribus suis inditis in corde sponsi, quàm traxerit de insculptis nominibus sponsi in suo. Ita se res habuit. Pro eo quod Dominus in Act. Apost. *cap.* 9. præceperat Ananiæ; *Vade in vicum, qui vocatur Rectus, & quære in Domo Iudæ Saulum nomine, Tarsensem:* iussa est sponsa incedere toto vitæ suæ curriculo per vias diuinæ legis, & constitutionum sui Ordinis; iussa quoque intrare in domum confessionis, adire remotissima penetralia, & quicquid in eis viderit, sagaciter adnotare. Quam domum? Quæ penetralia? Quid in eis visum arbitraris? Domus, in quam deducta fuit, sinus extitit sponsi, penetralia, secreta sinus, vbi visum fuit cor sponsi inscriptum tribus litteris initialibus nominis, cognominisque sponsæ; nempe A, M, C, quod est Anna Margarita Clemens. Quis ad eius generis spectaculum non plauderet? Cuius viscera gaudio non erumperent? Sponsa tamen magnam lætitiam maiori humilitate, ac verecundia temperauit. Tunc sponsus placidum sermonem auspicatus inquit; *Sit istud amoris nostri mutuum pignus: pusillum cor tuum appositio nomine meo mihi pigneratum est; tibi sit meum, appositio nomine tuo: quos ego gradus, officiave apud te possideam, indicant litteræ meæ; quibus apud me polleas dignitatibus, & titulis, edicent tuæ. Gaude glorioſis titulis illustrata apud me, vt lætor ego meis apud te.* Exinde deuentum est ad explicanda significata trium litterarum A, M, C, eodem pacto quo supradictum est de nomine Iesu.

Litteræ quidem non vltra tres numero fuere, sed multiplices interpretationes, compensando sic paucitatem litterarum multitudine interpretationum.

A. Docebat ergo A, denotare Amicam, Amasiam, Amantem, Amatricem sponsam, & Ardentem.

M. Meam, mirabiliter meam, & miraculosè meam ouem, quæ Gallicè dicitur *Mouton̄e.*

C. Castam, Columbinam, Crystallinam, Christianam, *Cachée* Gallicè, idest absconditam.

An referri possunt honorabiliores tituli? An manifestiora indicia beneuolentiæ? An certiora diuinæ benignitatis experimenta?

Verùm ne nudi dumtaxat tituli, & inanes apparerent, peculiarem cuiuſque rationem ſubiunxit, & pretium; non enim tituli, ſed titulorum ratio æſtimanda eſt. Aiebat ergo; *Amicam dixi, propter vnionem animorum noſtrorum. Amaſiam, propter amorem in te meum, & in me tuum. Ardentem, propter feruoris, & zeli ardorem. Amatricem, quia reuerà ſemper amas, ſemper amare parata.*

Meam, quia te plenè poſſideo. Mirabiliter meam, propter mirabilem, & inſuetum amorem, quo inuicem connectimur. Miraculosè meam, quia te meritis nudam, immò demeritis fœtidam per miraculum ad amorem meum aſſumpſi. Moutonne (ideſt ouem) propter ſimplicitatem, & animi facilitatem.

Caſtam, propter animi, corporiſque puritatem. Columbinam, propter manſuetudinem, & ſimplicitatem, quæ te mihi placidiſſimam reddit columbellam. Cryſtallinam, quia candida moribus, & exemplis ſplendeſcis inter tuos. Chriſtianam, non ſolùm communi cognomine cum diſcipulis, ſequacibuſque meis; ſed ſpeciatim, quia te oleo lenitatis, & chriſmate ſpiritus mei inunxi. Cachée (ideſt abſconditam) nempe in Chriſto, & cum Chriſto in Deo.

Auſcultabat illa, ſi auſcultare poteſt, quæ abs ſe penitus exceſſererat, abieratque in nihilum, & vltra, ſi quid eſt vltra nihilum.

Poſtremò ſponſus de his titulis intertextis canticum, & quaſi dulciſſimã amorum cantiunculam compingens, etiam ſponſam ad canendum inuitabat; *Euge*, inquiens, *ſponſa, amans; euge mea, euge ardens, & amatrix mea, caſta, columba, cryſtallina mea; euge mirabiliter, & miraculosè mea, mirabiliter, ac miraculoſè amans, ardens, caſta*; & ita de reliquis, quæ non ſine indicibilis voluptatis ſenſu audiebantur. Et poſt dulciſſima iſthæc verba ad vnitionem animorum tranſitum eſt. Sponſa verò, quæ per ſui exinanitionem in nihilum euanuerat, tota defecit in corde ſponſi, & in Deo abſorpta.

Prætereunda non eſt interrogatio ſponſæ ſuper numero litterarum. Non eſt verita ſcrutari, cur prò nomine, cognomineque ſuo tres tantùm initiales litteræ iacerent in corde ſponſi; in corde verò ſuo tot litteræ nominis, cognominiſque ſponſi diſtinctim, & ad longum legerentur? Reſponſum fuit, pauca ſatis, ſuperque eſſe diuinæ intelligentiæ, quæ multa de paucis percipit; ad humanam verò intelligentiam multa requiri,

quia

quia pauca etiam de multis intelligit. Hæc in spiritu peracta sunt mane; at in communione sponsus vera sui præsentia multò sublimiora egit, vbi sponsa inter incendia amoris, & suspendia admirationum penè animam exhalauit.

In meditatione vespertina Magister perstitit in ponderatione eorum verborum *Act. 9. Quære in domo Iudæ Saulum nomine:* commendauitque plurimùm misericordiam, sedulitatem, & anxietatem suam in quæritandis, & in viam iustitiæ reducendis peccatoribus. Speciatim autem percurrit quanta præstiterit pro perfecta sponsæ conuersione: quod ipsi non paruo pudori fuit, misericordiæ autem diuinæ præconio maximo, & ad renouandas legitimas gratiarum actiones fortis impulsio.

Ad pleniorem expiationem delictorum solebat sponsa in periodo mensis conglobare quicquid in eo peccauerat. Non id officij hac vltima die mensis præstitit ipsa, sed pro ea sponsus, rememorans ad numerum reatus illius, commemoratis tamen priùs beneficiis, quibus illam instruxerat: potissimùm quod ipsam sibi fabricauerit in vas electum, in quo thesauros gratiæ, donorumque suorum condiderat, quod tamen fœditatibus peccatorum ipsamet deturpauerit. Vltra modum dolore confecta fuit rea sponsa, integra tamen semper animi tranquillitate. Post longa suspiria afflictam solatur sponsus, docetque eam sibi contritionem esse acceptissimam, quæ de mera Dei offensa oritur. Ac tandem promisit se missurum Ananiam, idest Sacerdotem, quo imponente sibi manum, squammæ delictorum ab oculis caderent; quod eodem die factum est per sacramentum pœnitentiæ.

Ex hac præteriti temporis recordatione, aliqua species timoris in castissima virgine relicta est; ex eo enim, quod torrentes consolationum spiritualium nonnunquam regurgitarent in corpus, formidabat aliquem laqueum satanæ, & quantum posset, conabatur reprimere omnem sensum, sed frustra; inundans enim allapsus supernæ actionis euertebat quoscumque aggeres oppositos. Rogata num isthæc regurgitatio fæcem aliquam aduersus pudicitiam deduceret? Respondit; *Auertat Deus, nullam penitus, ne vmbram quidem; quippe, quia Dominus meus Iesus procul, ac longissimè omnem rem malam abigit. Spiritus est simplicissimus; spirituum ideò, non corporum sponsus est, & custos.* Quo

reſponſo conſolidata fuit fides, quod opera hæc ſint omnipotentis Dei dona, & benefacta, non fraudulentiæ dæmonis, qui eſt ſpiritus luxuriæ, & habitat in locis humentibus, vt aiebat Iob *cap.*40. & non inuenit requiem in locis aridis.

Concludo acta huius menſis documento non ſpernendo. Ante ſomnum ſponſa aliquid pro poſtera ſynaxi excogitabat: eodem ipſo momento adfuit ſponſus ad magiſterium; lectulum oſtendit operimento candidiſſimo, & opere phrygiato tam intra, quàm extra ornatum. Rem, atque myſterium obſtupuit ſponſa. Magiſter dubium amouens ſic cuncta eſt interpretatus: *Lectulus eſt cor recipientis: lectulus, inquam, vni ſoli capiendo, non lectus pro pluribus: ſolus ibi volo recumbere, quia mihi ſoli competit ius in cor hominis; propterea ſodalitium quodcumque horreo. Operimenti candor, puritatem animæ indicit. Quæ intus, quæque extra emicant phrygiata inſignia, innuunt exigi à recepturis ſynaxim plenitudinem cunctarum virtutum, ſeu quæ à mente ſola oriuntur, ſeu quæ in opus externum prodeunt.*

FEBRVARIVS.

SOlebat diuina prouidentia perſtringere hanc animam dilectam ſeuerioribus pœnitentiæ aculeis in caſu duplici. Primò poſt auricularem confeſſionem, vt calidioribus lacrymis delicta ſua decoqueret, & cautiùs futura declinaret. Secundò quum illam ad excipiendos maiores influxus gratiæ ſuæ pararet. Quod vtrumque in ipſis Kalendis Februarij hoc modo contigit. In exordio matutinæ meditationis, quærenti de more, qua in re exerceretur, Magiſter indignabundum ſe prætulit, & oculo toruo reiecit, tanquam inobedientiæ ream; quæque negligentia ſua deturparit inſcriptas cordi ſuo litteras, & balſamum diuini nominis effuderit ineptè. Ad hæc dura nuncia, ſeu mauis, ad hæc ſupplicia, & quouis ſupplicio maiora, quónam locorum demigrauit animula his verbis mactata? Vix illam inter denſos nymbos aquarum repentè ab oculis manantium reperiſſes. Mittitur autem pro reconciliatione ad ipſam Dei Genitricem, à qua multis pariter, licèt mitioribus, increpationibus excepta fuit. Intumueruntque hoc iterum loco vndæ lacrymarum ventis ſuſpiriorum excitæ.

Hic

Digitized by Google

Hic Beata Virgo erudiens diſcipulam, quibus conueniat ornari virtutibus accedentem ad Deum, maximè in ſynaxi, primùm replicauit, quæ ſuperiùs dicta ſunt de lectulo candido, & bene inſtructo. Inſtrui autem dixit quinque virtutibus. Primò humilitate, ſeu contritione cordis, proficiſcente partim ex notitia ſui, & propriarum culparum, partim à memoria diuinorum beneficiorum; affirmans hoc potiſſimùm pharmaco liniri, ac mitigari diuinam iracundiam, faciliuſque Deum ad nos reuocari. Secundò paupertate ſpiritus, quia Filius Dei oblectatur ſupra modum munditia cordis, gaudetque eorum vſu, quorum animi aliis rebus minimè inuoluuntur. Tertiò obedientia, quoniam per ipſam homines dirigit ad ea, quæ recta ſunt, iuxta ſapientiam ſuam. Quartò pura caſtitate; cum caſtis enim ſuas Deus habet delicias. Quintò fideli charitate, qua præ omnibus diligitur Deus. Poſteà datis pleriſque aliis monitis, tremens ſponſa reducta eſt ad ſponſum, à quo primùm audiit exprobrari ſibi mentis languorem, degenerem dilectionem, incuriam bene ſeruandi litteras ſculptas in corde, & eiuſmodi alia, quæ ſibi dari vitio, ac probro auſcultabat gemens, animo pudens, lacrymis perfuſa, & morti proxima. Denique tamen in gratiam Matris redintegratur cum ſponſo amicitia, fiuntque hinc indo nouæ ſponſiones, & ſponſionum effectus. Sponſus ſponſam tanquam puſillulum niuis abſumpſit in ardentiſſima fornace amoris; & ſponſa abdita in mellifluo ſinu Patris, nulla loci, in quo erat, veſtigia diſtinxit.

Iſthæc perfectiùs renouata ſunt in ſynaxi, vbi ſponſus ſubiiciens oculis ſponſæ cor ſuum exaratum characteribus eiuſdem, vim amoris ſui erga eam arguebat hoc modo: *Vide quàm intensè amaris, quæ ſculpta iaces in corde meo: vide cuius ſis apud me pretij, tuque, nomenque tuum. Quid vltra requiris ad incendendum cor tuum amore mei?* Traxit verò nouam legem amandi ex ſignificatione litteræ M, quæ eſt initialis nominis Margaritæ, docens per eam litteram intelligi mortuam, quia quæ cupit eſſe ſponſa Chriſti, debet cæteris rebus mori, ſoli ſponſo viuere. Multa præterea indicauit connotari per primam litteram prænominis Annæ, quæ pariter eſt prima vocis Gallicæ *Ainſy*, ſonantis apud Latinos, *ita, ſic, ſicut*: quam dictionem connectendo variis virtutibus Matris ſuæ, hoc modo ratiocinatus eſt; *Ita compara vi-*

tam tuam, ſicut te docuit Mater mea; ita viue, & Deum ita dilige, ac Mater mea; ita viue, ac ſi eſſes mortua; ita charitate, caſtitate, cæteriſque virtutibus ſplendeas, ſicut reſplenduit Mater mea; & ita tegere donec vixeris.

Non abs re erit exemplo demonſtrare fructus, qui ex hoc ſponſi magiſterio tranſmiſſi ſunt toti collegio Monialium, ne dum Mater deliciis paſcitur, grex ei commiſſus inedia doctrinæ pereat. Itaque ſponſa tam acri animaduerſione ſponſi edocta, eadem pariter animaduerſione vſa eſt erga diſcipulas ſuas, grauiter, fortiterque increpans eas, quæ legibus, conſiliiſque diuinis gnauiter non obtemperarent, impellens omnes ad pronam quamdam, & perfectam obedientiam. Idque præſtitit tanta dicendi copia, & efficacitate, licet ex tempore, vt & ipſa vehementer miraretur extemporalem profluentiam conceptionum, dictionis, motuum, ac lacrymarum, & quod animi diſcipularum euidenter raperentur in nouas, eaſque vehementiſſimas commotiones, ad eum propè modum, quo ipſamet ex admonitionibus Beatæ Virginis efferbuerat in magnos dolores, & deſideriorum ſenſus.

Mane ſequentis diei, quæ erat Purificationis Beatæ Virginis, ſponſus diu ſecum egit de puritate cordis; ſed cùm ſponſa pro more ſuo vota religioſa firmare vellet, eo quod eſſet Dominica prima menſis, ſponſus id officij pro ea ſubiit, & imitatus. Beatam Virginem obtulit in ſacrificium obmuteſcentem ad omnia, & proſternentem ſe cunctis arbitriis ſponſi. Acceptauit lætè, ac benignè ſacrificium Trinitas tota: Pater in filiam denuò adoptauit, Filius in ſponſam, Spiritus in templum. Hinc prolata ſunt donaria: Pater elargitus eſt fortitudinem, qua generosè mactet corpus ſuum, diuiniſque voluntatibus ſubiiciat: Filius clariori ſapientiæ luce illuminauit, qua diuinas qualitates, ac miſericordias perſpicaciùs intueatur: Spiritus ſanctus intenſiorem amoris flammam accendit, qua ſacrificium penitus conſumptum eſt.

In communione cuncta ſplendidè, & delectabiliter facta ſunt ſub figura Templi, quod ſanctiſſima Trinitas architectata eſt in corde huius ſeruulæ ſuæ, vt in epiſtola ſequenti.

Epiſtola

Epiſtola diei ſecundæ Februarij.

QVo in ſtatu ſint res noſtræ, ex his pauculis cognoſces, Querende Pater. Deus Optimus Maximus, in cuius poteſtate ſunt omnia, & præ omnibus cor meum, templum ſibi in eo exædificauit, in quo iugibus ſacrificiis colatur: ibi enim denuò defixit manſionem ſuam, ex quo priſtina ſua beneuolentia complexus eſt me merito Sponſi mei, & Matris eius. Cætera, ſi te videro, craſtina die notiora faciam. Vale.

ADDITIONES.

Adde templi inſcriptionem, quæ legebatur in fronte: *Pacificum, Magnificum, Sanctum.* Pacificum, quia immune ab omni vento perturbationis, ideoque ſedes Dei. Magnificum, propter donorum cœleſtium opulentiam. Sanctum propter animæ puritatem. Quum verò de donorum opulentia facta fuit mentio, in ictu oculi exhibita ſunt reminiſcentiæ ipſius quæcumque antehac bona recepiſſet. In primis illa tria prædicta, Fortitudo, Sapientia, & Amor. Altare inſtruxit Spiritus Sanctus, & in eo adoleri iuſſit ſine ceſſatione ſacrificia diuinæ dilectionis, fumo gratiſſimi odoris ad cœlos aſcendente. Verba non ineffi-cacia erant, ſed operatoria, aure ſpirituali concepta, nullo ſub phantaſmate, ſed effectu medullas animæ pertingente.

Veſpere ad orationem ſponſus expreſſit puritatem ſponſæ ſub ſpecie, & imagine niueæ, nitidæque ouis, quæ tamen ſplendore ſuo tantumdem præcellebat candorem niuis, quantum nix ipſa luteos flores. Itaque ſponſus iteratis oſculis, & amplexibus colludens ouiculæ, miro modo blandiebatur, vocitans illam albam, caſtam, mitem, feſtiuam, dilectam. Sponſa animo ſuſpenſa, cui etiam extemplò eluxerat latiſſimus, & fulgentiſſimus quidam ſplendor, ouiculam in centro iubaris ſuſpiciebat, candidulam, & ſine vollo penitus næuo, cui ſponſus; *Perſimilis es huius ouiculæ, ex quo alienis amoribus, & næuis omnibus cor tuum abſterſi.* Tum recurrens ad primam litteram prænonimis Annæ, reſumpſit verbum Gallicum *Ainſy*, de quo ſuprà, inquiens; *Sic te amantem meam, ardentem meam, & omni iure meam; ſic te puram, & mente nitidam eſſe decet.* Tandem poſt multa;

Æquiſſimum

Æquissimum est, ait, *ouiculam hanc suauissimam loco suo reponi, tutaque custodia recondi.* Et patefaciens diuini pectoris præcordia, sponsam abdidit intimis in penetralibus cordis sui, vbi tanquam deperdita ouis, à se ipsa etiam periit, inter illius pascua degens, qui animas puras in terris, & Angelos in cœlis nectare, & ambrosia Diuinitatis suæ inebriat; Reconditam verò in corde suo sic interdum interpellabat; *Ita te esse congruum est, nempe in me transfusam, & in omne placitum meum transformandam.* Iterum exhibuit oculis sponsæ decorem castimoniæ sub specie nubeculæ leuis, candidæ, & diaphanæ, cui sursum ascendenti occurrat Phœbus, eamque introrsum, & extrorsum coruscantibus radiis sic inuestit, vt alterum solem terris surgentem credas.

Quis iam digna appellatione, aut narratione exprimet tot, tamque disparata, & ab humanis ingeniis remota diuini Numinis inuenta, diuinique amoris stratagemata? Sanè videmus aliud opus alij in horas connecti, & egregium mutari magis egregio: quodque caput est, singula, aut ad virtutem acquirendam promouere, aut alere acquisitam. Ecce quid noui proxima à Purificatione dies mane attulit.

Meditatio versabatur circa quinque siclos, quibus Redemptor mundi redemptus fuit post oblationem in Templo. Sponsa primùm omnium voluntatem sponsi explorat, & quid à se potissimùm exoptet, inquirit. Actutùm respondetur; *Vt me redimas, & tibi compares.* Illa sentiens se eius præsentia, & possessione potiri; *Quid enim*, ait, *annon alter alterius sumus? Et quemadmodum ego tua sum, tu quoque meus es?* Ad hoc ille; *Redimas oportet, vt nouo, pleniorique iure possideas, quem possides.* Adhuc latebat mysterium: inquiritur ergo iterum; *Quo ego te pretio comparauerim, qui pretij es incomparandi? Pauperiem meam tu nosti, quo te præmio consequar?* Tunc ille; *Quas apud me repositas habeo gemmas quinque omni pretio maiores, commodabo tibi, & illis eme: nihil enim illis aut venustius, aut pretiosius.* Dictum ænigmate obscurius minimè comprehendit sponsa. Tum denique sponsus quinque virtutes quasi manu captans, sponsæ porrigit, quibus redimatur. Sunt autem humilitas cordis, paupertas spiritus, obedientia, castitas, & charitas, quarum vim, & amorem maximoperè in se corrobari sentiebat sponsa, sponso iungente verbis potentissimum earum influxum.

Hìc

Hîc prolixa dissertatio inducitur super traditis gemmis quinquæ, idest super quinque virtutibus, quibus anima contemplatiua, præsentiam, & illapsum diuini spiritus attrahit. Primo loco Dominus demonstrabat, has quinque gemmas easdem prorsus esse, ac litteras nominis sui, quibus cor sponsæ quasi gemmea corona circumcinxerat. Esse præterea quinque siclos pretium redemptionis suæ, fabricatos in sua officina, & decoratos insignibus suis eodem propè modo, quo solent Principes numismata insignire propria effigie. Audiamus & nos referentem rationes comparationis. *Elementum I*, aiebat, *designat Christianam humilitatem, eam nimirum, quæ cordis est; cupienti enim Deum ex animo colere, in ipso limine occurrit elementum humilitatis, cuius typus est I, cum sit litterarum tenuissima, & pusillitate sua vix spectabilis. Secundò*, aiebat, *E, spiritum* (Gallicè *Esprit*) *pauperem, seu paupertatem spiritus refert, qua mens humana, cæteris abiectis, nuda Deo patet, solo Deo contenta, solo Deo diteſcens, solo Deo oblectata, quem vinculis suis tenet adstrictum, ne vnquam abscedat; quod gemmæ secundo loco hîc positæ competit germanissimè. Gemma tertia idem sonat ac littera S, prominens in cordis sublimitate, qua indicitur submissio legibus, placitisque Diuinæ Maiestatis; ex prompta namque subiectione animi, & obsequio simplici, coaleſcit perfecta obedientia.* Verùm quoniam in superiore explicatione Nominis Iesus assignauerat huic litteræ S, non submissionem, sed sapientiam, modò ne à seipso discrepare magister videretur, subiunxit, hanc esse sanctorum sapientiam, sponte diuinis præceptis subiici, eaque simpliciter exequi; & Sanctos hac arte promereri suauem, & super omnia sapidam Dei præsentiam. *Quartò castitas congruit litteræ V, qua mihi mei nominis dignitas significatur, vobis Virginitatis decor. Ego enim sum verbum Virgines germinans, & vt ita dicam, de Virgine Patre in Cælis, & de Virgine Matre in terris genitus, & ortus sum. Animaduerte tamen illud V, virgineum nequaquam esse sterile, aut infœcundum; prolem gignit omni fœtu nobiliorem, insinuatam vltima littera S, quæ Charitatem significat: animæ enim castæ Deum puriùs, ac ardentiùs amant.* Priùs tamen, quàm hunc Thesaurum occultatum sub littera S, detegeret, multis illum præconiis extollebat: *Hæc gemma*, inquiens, *nullo vnquam satis æstimanda est censu. Iste siclus aureus mihi pretio coæquandus est. Si vis verba inuolutum thesaurum tibi aperiri, ecce vlti-*

mum S, ſanctitas eſt, quæ à charitate nullo modo realiter differt; ipſa etenim charitas Sanctos facit, & Sancti per charitatem ſancti ſunt. Charitatis autem ego ſum fons: ergo per charitatem, ideſt per memetipſum Sancti emunt me, & ego eorum poſſeſſioni trador: Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ioan. 4. Hoc meſiclo, hac charitatis gemma crebrò, audacterque redimas, & in rem tuam conferas. Hæc proferens repente charitatis rogum in pectore ſponſæ ſuccendit, quo illa plus nimio conflagrauit, atque per nouam amborum colliquefactionem alter alterius poſſeſſor remanſit.

Confer his dictis illas etiam quinque virtutes à Beata Virgine antea enumeratas, & in eamdem rem incidere videbis. Et ex tanta documentorum concordia, infer à cœleſti ſpiritu dictata, & hîc ſincerè enarrata.

In meditatione ſerotina fit regreſſus ad ſiclos, & docente ſponſo monetur ſponſa, quæcumque bona egerit, Deo ſemper accepta referre. *En igitur*, aiebat, *ego tuus ſum, prorſus, & legitimè tuus; emiſti enim me: tu manceps, ego mancipium; mancipio vtere ex voto, ac libito. Verumtamen mercedis meæ ſiclos Patri meo ſoluito, ipſius propria res eſt. Ego te, non pretium, amo. Quamdiu in terris eiuſmodi mercaturam egi, perinde egi: operum meorum quæſtum, ac vſuram ad Patrem fideliter ſemper retuli, eius enim eſt omnis honor, & gloria.* Poſt hoc cœleſte monitum voluit inter brachia dilectæ aſſumi, quò illa amabilius ipſius contemplatione, dominatu, ac blanditiis frueretur. Quæ ſanè omnia & calamo inexplicabilia ſunt, & ineruditæ menti non ſatis intellecta.

Aliquantiſper etiam ratiocinatus eſt de iuſtitia Simeonis ſenis, quem Euangeliſta iuſtum nuncupat, affirmans ipſam quoque ſponſam laude, ac merito iuſtitiæ florere. At illa non immemor delictorum ſuorum, humi ſe proterit, & inferiùs nihilo ſubſtrata, titulo auriculam occluſit. Nihilominus ſponſus, & modò ſatis iuſtam, & magè iuſtam in poſterum fore pollicetur, eo quod animum, animique ſui vires omnes Dei arbitriis ritè commodaret, & quòd ex amoris ardore eius voluntas vnà cum Dei voluntate conflata videretur.

Serò expletis curis domeſticis, iacebat ſponſa pro quiete nocturna, committens ſe ſponſi cuſtodiæ, velut quid ad eum ſpectans. Dicto citiùs adfuit ſponſus, honeſtans eam noua nomenclatura

Digitized by Google

menclatura chariſſimæ infantulæ, cuius ſe fore nutritium aſſerebat; eodemque momento, laxato ſibi ſinu, inſtar nutricis binas, turgidaſque mammas oſtentat, alteram cognomento miſericordiæ, alteram amoris cognomento, quas porrigens adeò copioſos, ſuaueſque riuos lactis, ac mellis in os infantulæ (quæ ſe putabat repueraſcere) infudit, vt inebriata ſe totam lacteſcere æſtimaret. Quàm auidè, quàm placidè, ſed vnà ſimul quanto cum pudore, ac reuerentia hauſit de vtroque vbere nectar, affluentiſſimè, non guttatim illabens? Verùm, quia duplex apparebat mammilla, duplicata quoque ora, in vnum tamen coeuntia ſibi ineſſe videbantur, quibus ſignari dicebat duas animæ facultates, intellectum nimirum, & voluntatem, quibus cœleſtem ambroſiam ſugebat. Potuitne in illa cœlitus condîta epotatione ſomno remanſiſſe locus? Attamen poſt infantilia quædam colloquia, dum papillas amoris, & miſericordiæ ſtringit labris, leniter ſoporatur, quod Epiſtolæ ſequenti locum dedit.

Epiſtola diei quartæ Februarij.

QVàm mirifica, & maxima fecerit hac nocte Dominus in ſeruula ſua, latet te, Reuerende Pater. Quantula, quantula ſim, precor te, totam Deo deferas, & in gratiarum actionem ſolita pro me ſacrificia. Neminem, quantumvis opulentum, patitur Rex ille opulentiſſimus certare ſecum officiis liberalitatis. Cunctos diuitiis, miſericordia, & charitate antecellit. Si quid vermiculi terræ poſſidemus, de illius ærario, & clementia profectum poſſidemus. Vale.

Regrediamur ad clementatiam, & reſolutoriam expoſitionem litterarum nominis, cognominiſque, ſeu ſponſæ, ſeu ſponſi; quarum dum promuntur ſignificata, quaſi myſterij medulla recondita extrahitur. Tu ne luſum, aut exercitationem puerilem reputes. De tenuibus litterarum notis voces, de vocibus compinguntur libri, de iſtis tranſit ad poſteros ſcientiarum, & hiſtoriarum notitia. Quis illud puerilem luſum appellet? Quis non potiùs diuinæ artis, ac ſapientiæ opus prædicet? Porrò diu nobis immorandum eſt in his explanationibus, quia per longa, diuturnaque tempora auctor, ac magiſter earum

immoratus est. Cæterùm ne quispiam credat hoc esse humanæ mentis commentum, ingeniolum fœminulæ haud nouit de tot litteris expiscari extempore, & in loco, absque duce, absque luce, sine præuio studio, tam multa dispatia, & mystica; apta tamen, atque fructuosa significata: sed iam facti seriem audiamus, quam sponsa suffusa insuperabili quadam erubescentia palam facere non modicè rentiebat, existimans sanius reticeri propter rerum altitudinem, sibique delatos honores. Reuelauit tamen, retulitque, sponsum audita mane petitione consueta, qua super re vellet fieri meditationem, statim demonstrasse cor suum interpunctum tribus tantummodò litteris capitalibus nominis, atque cognominis sponsæ, vt dictum est; velle autem modò distinctiùs ibidem vniuersas litteras delineare, & enucleare singularum significata, vt hoc exemplo probaret quantum illa apud seipsum valeat, quantisque polleat gradibus dignitatum. *Tu enim*, asserebat, *hæc ignoras, nec ea præuenis, aut consilio, aut cogitatione.* Quod sanè omni dicto erat verius, nunquam enim talis cogitatio in mentem sponsæ venerat. Quare obmutescens Puella, intentis auribus accipere cogitur, quæ diceret sponsus. Nomen, & cognomen sponsæ idiomate Gallico sunt.

ANNE MARGVERITE CLEMANT.

A. Exorsus itaque sponsus à littera A, quam priùs dixerat signare varia epitheta ad amorem spectantia, nunc retorsit ad dictionem Gallicam, *Anfant*, idest infantulam, inquiens; *Non tu amatrix, & ardens dumtaxat mihi, sed filia insuper es amoris, & filia misericordiæ Patri meo. Annon subuenit tibi, quid heri sub versperum præstiterim; ego Nutritius quando de vberibus amoris, ac misericordiæ, non secus, ac lacteolam pupulam lactaui, vnde mei pectoris nectar ad satietatem potasti?*

N. Littera hæc ad duplex significatum pertracta est, dicente sponso; *Tu es mea Nana, Nympha mea tu es. Nana propter humilem sensum animi tui; Nympha propter congestas in te opes meæ pulchritudinis. Vtrum è duobus mauis, Nana, an Nympha esse?* Respondit: *Oh neutiquam Nympha: celsitudo Nymphæ mihi non competit, altioris nimium meriti, ac maiestatis res est. Vnam habes eius elogij dignissimam Matrem, quæ ob singularem elegantiam longè est speciosior super omnes filias Hierusalem.*

ſalem. Nanam præfero, Nanam deligo, & in humili ſorte mei nihili tibi vacare geſtio. Magni conſilij delectionem probauit ſponſus, & ſubridens, Nanam compellat, Nanæ plaudit, Nanæ lætior ſuis verbis blanditur: *Tu Nanula feſtiua, ac lepida, deliciarum Nana tu mihi es. Sic reges puſillos Nanos apud ſe alunt, Domi ſocios, foris comites, chariores proceris viris atque magnatibus: ſic nempe ego te ad delicias meas condidi, lacte nutriui, teque, tuaque conſuetudine oblector.* Puella autem, quæ honorificos titulos tantoperè horrebat, in depreſſione Nanulæ maximè ſibi placebat: & quæ priùs putabat ſe tantillò humum excedere, nunc quaſi detractis plantis humo inferiorem ſe credebat. Hinc ortum eſt, vt ſponſus eam lubentiùs, ac frequentiùs titulo Nanæ, quàm quouis alio, afficeret.

N. Contigit verò, vt Spiritus quoque ſanctus venerit aliquid ſibi ſub hac littera N, arrogare. Priores quidem nominis litteras Patri, ac Filio ceſſit, ſed tertiam ſibi optauit, ita locutus: *Eſto, ſis Patri filia, ſis Nana Filio, mihi, qui columbæ ſpecie adumbror, de ſecundo N, texatur nidulus, quem in hoc corde mihi ponam.*

E. Litteræ, reſpondet Gallica vox, *Eſclaue*, ideſt ſerua, vel mancipium. Verùm quia is non eſt gradus ad honorem, ſed ad abiectionem, ſponſus auertens nominis contemptum, ſubiecit; *Non quidem es ſerua, quam more hominum armis, vel pecunia mihi comparauerim, ſed quam mancipaui amore, immò & quam veluti amatam libertam deſponſaui.* Tunc iura ditionis ſuæ volens in ſubditam exercere, imperio regebat ſuo quotquot erant in famula vires; leges nullo tempore irritandas tulit, ſupremaque edicta, quæ amota omni retractatione ſeruari præcepit, vt ſolent heri domeſticis ſuis.

M. Initium eſt nominis Margaritæ, per quod duo ſignificari docebat, nempe mare, & miſericordiam; conteſtatus ipſam eſſe mare miſericordiarum, quia videlicet, quemadmodum flumina in mare, ſic riui diuinorum chariſmatum in ipſam confluerent.

A. Amicam dicit, amore ardentem; in primis ſibi, Patrique Deo arridentem. Monuit autem ſponſus, vt omni cura ſtudeat vtrique ſemper, & in omnibus placere; quod tamen ſolo diuinæ gratiæ ſubſidio fieri poſſe docebat.

R. Plures titulos complexus eſt ſub littera R. Primò appella-

Digitized by Google

uit *Riche*, ideſt diuitem, eo quod largitionibus diuinis valde eſſet opulenta, quamuis de propria ſtirpe nil poſſideret, neque aliud eſſet, quàm inaniſſimum nihil, quod Gallicè dicitur *Rien*. Reſpirauit aliquantulum ſponſa ad mentionem ſtirpis, & nihili ſui, ſed expalluit rurſum ad cognomentum Reginæ, quo ſponſus illam decorabat: Reginæ, inquam, diadema geſtantis, propter connubium ſponſi Regis. Quàm celer illa regiam nominationem, regiamque coronam aſpernata eſt! Obortis lacrymis vndequaque madida per interfuſos gemitus obſecrat, *Oh quæſo, Domine, quæſo nullatenus Reginam me dixeris: Regalis amplitudo, Regale diadema vnicam Genitricem tuam decet.* Tunc ſponſus ingemiſcentem, lacrymis madentem, & nimium ſeſe contorquentem, hoc vno verbulo mitigauit: *At Regina eris in cælis, eſto nunc temporis prouida rectrix tuarum diſcipularum, motuſque animi tui ſapienter regito.* Quieuit ad hæc à contorſione animus, non tamen quieuere lacrymæ nullo prouocante fluentes.

G. Quid putes denotari per elementum G, *Guerriere*, dixit ſponſus, ideſt Bellatricem, quam armatura ſua bene præmunitam, ſecum ad grandia bella deducere pararet. Hic generoſitatem tantummodò commendauit, de armis nil vltra prolocutus; expectemus opportunè promentem arma.

V. Perrexit itaque ad V, ſic affactus; *Viridarium meum tu es; vinea quoque mea amæna, atque fæcunda: vinea conſita manu mea, & de benefactis meis pinguescens. Vitis eſto, de qua canebat Regius Vates; Vitis abundans in lateribus domus tuæ. Viridarium te dixi voluptatis, gloriæque meæ, optimum, dextera mea delineatum, inſitis arbuſtis oppletum: vide vt vberes fructus, floreſque referas.*

E. *I lectam ſignat E, ſed è millibus lectam. Quàm peculiaris fauor eſt non vocari ſolùm, ſed eligi ad delicias, gloriamque meam? Etenim multi ſunt vocati, ſed pauci electi.*

R. *Reconditam in centro cordis tui te prædicat R, alterum, mihique ſoli reuinctam. Ideoque cor tuum ita obſeratum, erit mihi alueus ad fabricandum mel* (Gallicè *Ruche à miel.*) *In alueario iſto dulce meum congeram, ibi mel componam, ibi comedam, tuque mecum eadem menſa, & melle paſceris.*

I. Sequitur I, de quo his vſus eſt: *Imago mea tu es, olim quidem à te deformata, nunc verò ſtudio, & arte mea reparata, mihique perſimilis. Nunquidnon aduertis hoc nominum charactere pares nos eſſe? Quemadmo-*

Quemadmodum ipse per I, dicor imago viua, & vera Patris; sic tu diceris imago non quidem Patris mei, cuius ego solus vera, & germana sum imago, sed mei, vitæ assimilata meæ, vt littera litteræ. Insuper eadem littera prædicit te fore ideam meæ bonitatis, & misericordiæ. In te speciem bonitatis, & misericordiæ meæ legent omnes, quia te illarum ideam formaui, & in propatulo exponam.

Interrogemus nos modò sponsam vi subditam sermocinationibus sponsi, multúmque animo patientem. Quippe quàm durum est superbis contemni, tam est amarum modestis extolli. Interrogemus, inquam, & quæramus, vbinam gentium, atque locorum inter tot præconia volitaret spiritus suus? Procul dubio respondebit, se iam non amplius nosse spiritum superstitem; eius tamen si quid est residui, euanescere per crebra, calentiaque suspiria, necnon per sponte decurrentes lacrymas suspiriis commixtas. Defecit autem vigor omnis, vbi ad ea, quæ sequuntur, factus est gressus.

TE. Hoc loco sacer Interpres sermonem renouauit de gerendo bello, & de cogenda acie, sponsam velut generosam Bellatricem ad comitatum inuitans. Ænigmatica visa est propositio, & intellectu nimium difficilis. Tunc Interpres combinans duo postrema elementa nominis Margaritæ, vocem *Tentorium* composuit, sic effatus: *Procedentibus ab bella tentoriis opus est, in quæ milites ad quietem, & contra cæli iniurias se recipiant. Tentorium tu mihi eris contegendis bellatricibus, ideſt, virginibus meis, quas sub auspiciis tuis ad pugnam congregabo. Sub alas tentorij huius sit illis perfugium, sit tuta quies, & securitas ab hoste, non secus ac pullis tutamen vnicum est ala gallinæ. Volo autem Tentorium istud esse sublimè erectum, latéque extensum: latè extensum, vt complectatur omnes: sublimè erectum, vt operiat omnes: sublime eminentiâ virtutum, spatiosum virtutum abundantiâ. Nam sicuti sub tentoriolo humili, & angusto, commoda militantibus non est sedes, sic cohorti meæ incongrua, immò noxia est statio sub matre adhuc versante circa prima elementa virtutum, & repenti in tuto, triuialique illarum vsu. In apice omnis sanctitatis volo emicare matrem.*

Quò se verteret sponsa tanta præconiorum luce obtenebrata, penitus ignorabat; & verita, ne sponsus occulta quoque cognominis inuestigaret, totis visceribus sic deprecata est; *Satis, immò plusquàm satis dilecte mi: ne quæso immeritis encomiis spon-*

sam

Digitized by Google

ſam tuam opprimas: ſiſte quæſo modum dictis, præſtabit, ſi lubet, diuini Nominis tui alta ſecreta rimari, quàm rei ludicræ nomenclationi incumbere. Incaſſum abiit votum, & in vanum petitio, contendente magiſtro cedendum eſſe tempori; *Nam omnia tempus habent*, inquit: *modò tui, aliàs mei nominis euoluemus arcana.* Atque ita exanimis ſponſa iterum compellitur vtramque aurem ſubmiſsè inclinare dicendis.

C. Initium ergo ducens à littera C, quæ in fronte cognominis prima legitur, eam ſponſus declarauit indicare claram tubam (Gallicè *Clairon*) quali bellatores ſolent milites ad prælia excitare, dixitque; *Per litteram hanc accipe augurium tuum: inſtar tubæ ſonantis militarem manum adoleſcentularum, quæ merent in caſtris tuis, ad dura certamina vitiorum concitabis, exacuis, coges. Quaſi vigil tubicen per tua caſtra amazones meas frequens ad arma compelle; clange, ſtride per angulos quoſque domus, & vt ſtrenuè dimicent, hoſteſque debellent, inclama.*

E. Indiſcuſſam deinde relinquens litteram L, primæ proximam, pertranſiit ad tertiam, quæ eſt E, expanſi vexilli locum gerens; nam Gallis vexillum eſt *Eſtendart.* Dicebat autem; *In mediis copiis vexilli officio fungeris, cautè bellatrices meas circumducens. Ego vexillum iſtud ſuſtollam, & feram ſublimè, vt cùm opus fuerit, ad illud conuolent commilitones, ſiue egreſſui, ſiue receptui concinatur. Emblemate quoque capitis, ac imaginis meæ illuſtrabo, & à cæteris diſcriminabo, vt hoc ſigno omnes diiudicent te eſſe vexillum meum.*

M. Sub littera M, quæ apud Gallos auſpicatur dictionem *Miroir*, adhuc auſpicium militare ſubeſt. Eſt autem miroir, Latinis ſpeculum, quo hîc intelligitur armorum Dux. *En*, aiebat ſponſus, *en exiguo manipulo mearum militum Ducem te, & ſpeculum præbui; te Duce fortiter geratur bellum, ipſa prælians exemplo ſpectabili præeas ad hoſtes conterendos. Domi Princeps virtutis, & ſpecimen eſto pietatis; in te velut in ſpeculo conſulant commilitones, quid deceat militiam iſtam ſacroſanctam, & intuitu vitæ tuæ diſcant labes ſuas diſcernere, & abſtergere.*

A. Hactenus de prælis multa verba facta ſunt, ſed prælaturæ adhuc videbantur deficere armamenta; quocirca ſponſus armis (per quæ virtutes intellige) ſuis inermem illam circumquaque contexit, & inſtruxit, vnde à littera cognominis A, Armatam compellauit his verbis: *Ecce armaturâ mea modò*

ſuccincta

succincta es; pugnas audacter ini, hisce armis victoriam paries, refereſque palmas immortales. Perge Amazon armatissima, manus generosè cum aduersariis conferito, donec triumphum reportes.

N. Etiam aliquid ad militiam spectans insonabat littera N, sed à narrantis memoria iam exciderat; at non exciderat alia significatio eiusdem litteræ N, qua exprimi audierat nihilum sui, sponso ad comprimendos spiritus elationis atteſtante, quod quantumvis præfatis encomiis ex liberalitate, ac misericordia diuina effulgeret, ex se tamen nihil eorum esset, cùm merum nihilum esset.

T. Denique peruentum est ad periodum litterarum, videlicet ad T, quo concluditur cognomen sponsæ. Inibi Interpres summam, & incomparandam sapientiam suam demonstrauit, talem notionem huic postremæ litteræ attribuendo, quæ aptissimè singulis antecedentium coagmentaretur; & quæ erat huius circuli meta, facta est singulis comes. Ea littera asserebat contineri monitum perseuerantiæ, eo quod tempus omne comprehenderet. T, namque est initium Gallicæ dictionis, *Touſiours*, quam Latini vertunt *ſemper*, aut *perpetuò*. Interpres ergo ordine retrogrado à calce ad caput litterarum gradatim conscendens, cuilibet earum vocem illam *Touſiours*, seu perpetuò, vel semper, adaptabat, & quasi connectens nodum aureum, cuique annullo miro artificio catenam componebat hoc modo: *Esto ſemper armata, ſemper vexillum, ac ſpeculum, perpetuò tuba, perpetuò tentorium, perpetuò alueus mellis, electa, vinea, bellatrix*: & eodem modo reliqua ad summum vsque. Qua adinuentione nescio an quid excogitari possit lepidius, & ad fouendam perseuerantiam potentius.

Hisce alloquiis, longiori tamen sermonis circuitu emensa est tota horula meditationis matutinæ, quam consuetis gratiarum actionibus sponsa non clausit, animo consternata, impos sui, & humani sensus expers. Ante verò quàm isthæc Directori patefaceret, promissum de silentio seruando exegit, verita in lucem prodire glorioſi arcani præstantiam. Dum autem adstaret sacro, sponsus non dissimilibus illam detinuit interlocutionibus, litterarum magnificentias replicando. Illa aurem subducere tentauit, sed aurem porrigere vi coacta fuit. Vt verò inter tot encomia in officio modestiæ contineretur, à sponso

Digitized by Google

propter litteram V, cognominata fuit Vermis terræ, quod audienti ſanè periucundum fuit, & optatiſſimum; vti ex æquo gratum fuit prædici ſibi ſuper littera C, fore cum ſponſo crucifigendam.

Blandimenta verò diuinæ benignitatis ſuperiùs recenſita, per ſpeciem acta ſunt, ſed ſumpto Euchariſtico reipſa habita ſunt. Sponſus tanquam pretio vindicatus à ſponſa minimè dubitabat aſſerere: *Ecce vindiciæ tuæ ego ſum, plenoque iure tuus: modò quicquid habeo, quidquid ſum, in manu tua eſt, ſiue diuinum, ſiue humanum ſpectes: fruere ex voto, dummodò diligas me.* Ad hæc grandior exarſit ignis, toto corpore ſerpens, totaque anima; ebulliunt ardoribus viſcera; quicquid ipſius eſt, ignis eſt: fauces in primis, quas candentiſſimus carbo Euchariſtiæ plus ſolito torrebat, vnde & altiſſimæ flammæ exhalabant. Proſtremò ſponſus conſpiciens ſitim ſponſæ necdum ſatis expletam, more liquentis metalli peruadentis obuios quoſque cuniculos, repleuit abditiſſimos quoſque meatus animæ ſuauitate ſuæ præſentiæ, perfundentis intima cordis, ipſas animi venas, & mentis altiſſimos receſſus. Sed hæc cogitatione magis, quàm calamo capiuntur.

Elucente mane ſequenti, dum in choro meditationi rerum cœleſtium à ſociis vacatur, rurſum inſpectantur corda ſponſi, ac ſponſæ, cum vtriuſque inſcriptionibus; quibus ritè luſtratis, ac recognitis, ſponſus ita prolocutus eſt; *En ſanos, integros, & adhuc rutilantes in corde meo characteres tuos; en & meos illæſos in tuo. Quod indicant mei, id ego tibi ſum; quod ſignant tui, id mihi tu es. Vno verbo, qualiſcumque ſum, tibi ſum; qualiſcumque es, mihi es.* Cum verò ſponſa in explicatione litterarum non animaduertiſſet obmiſſam fuiſſe litteram L, in cognomine Clemant, nunc admonetur obmiſſionis à ſponſo, addita triplici interpretatione, ſeu comparatione, vt in epiſtola ſequenti.

Eodem quoque loco inſtructa fuit diuite apparatu ad ſynaxim, inducto dialogiſmo inter perſonas diuinas. Pater puellam aſſerebat in ſuam, Sponſus in ſuam, Paracletus quoque in ſuam. Pater, eo quod eſſet catella iucunditatis ſuæ, apud ſe altilis: Sponſus, quia deliciarum ſuarum obiectum: Paracletus, quia ſibi nidulus ad quietem. In tam grata contentione ipſa ſe totam omnibus, & ſingulis dedidit.

Epiſtola

Digitized by Google

Epistola diei sextæ Februarij.

CVm ante diluculum somnum repetere non possem, rectè, & ad mentem tuam, Reuerende Pater, facturam me existimaui, si quando te coram conuenire non liceat, conuenirem epistola, eaque tibi deducerem statum cordis mei, quod tuum quoque est secundùm Deum. Certissimum itaque habeas, me adhuc magis atteri, & mihi ipsi vilescere, ex quo inter catellas enumeror: verùm ex eo nihil mihi damni; contenta sum, & placeo ipsa mihi, quia Domino placeo, qui me frequenter reficit reliquiis mensæ suæ. Tantummodò defleo stomachum contractiorem, qui tales lautitias, aut non plenè capit, aut plenior egurgitat captas. Ah bone Deus, cur non illas dispertis iis, quos quia expertes sunt tuæ suauitatis, mundus inescat, ac etiam fascinat vanitatibus suis! O summam commiserationem, pro qua vix lacrymas teneo, illidi præcipitio, nec aduertere! Oro te, benignissime Deus, corripito ad te sic errantes, verte illos, & transforma in paruulas catellas, vel in nanas, vel in mancipia Maiestatis tuæ. Nudiustertius post secessum nocturnum Pater cœlestis contuens hanc catellam oculo ridenti, sic eam affatus est; *Ita es catella, catellula es pusillula, vescaris idcircò oportet dulciculis eduliis mensæ meæ.* Et hæc dicens tanta satiauit dulcedine, vt nimium saginata disrumperer. Angebar angustia stomachi, grauiterque dolebam tanta esca farciri, nec posse continere. Opinor hæc consequentia fuisse, imò & connexa serotinæ orationi eius diei, in qua metuens ad mentem reuocare magnifica illa nomina, licèt toto cœlo à me discrepantia, quæ sponsus eduxerat de litteris meis, in honorem mihi, lubentiùs animum fixeram iis spectandis, quæ ignominiosa mihi sunt, sed omninò consentanea, vtpote educta de iisdem litteris, & quod caput est, de meritis meis, inter quæ præcellit agnomen catellæ, sumptum à littera capitali cognominis mei. Heri mane mutatio thematis mutationem quoque affectuum adduxit; incidi enim in alias, atque alias considerationes litterarum nominis mei, quas longissimum esset scripto prosequi. Vnum dicam, hoc vno sis contentus. Si benè memor es, aliquæ litteræ nominis inexplicatæ præterierunt, spon-

ſus explicauit heri, nimirum litteram L, qua deſignari dicebat ligatam me fore Deo vinculo charitatis. Item lectulum eſſe, in quo placidiſſimè quieſcet. Denique limam, cui conuenit cuncta ſuperflua abradere, tum à meipſa, tum ab aliis. Acceſſi ad ſynaxim ingemiſcens, & toto ſenſu perculſa ex recordatione, & interpretatione litterarum mearum, ex quibus traxeram aduerſum me tot agnomina plena turpitudinis, citra tamen omnem contumeliam; etenim reuerà ſum abyſſus miſeriarum, reuerà mare malorum, reuerà cloaca iniquitatum. Atque hinc ſurrexit in me admiratio permaxima, quod rei tam fœtidæ commiſceatur Deus. Vidique id iudicij non ingratum fuiſſe ſponſo, qui in oratione veſpertina iuſſit recumberem inter brachia ſua, dum ipſemet inter brachia intellectus, voluntatiſque meæ requieſceret. Noctu poſt receſſum, Verbum æternum Nanulam ſuam feſtiuè excepit, longis illecebris oblectauit, vniuit ſibi, & dulcedine ſuæ miſericordiæ recreauit, conteſtatus hæc eſſe teſtimonia beneuolentiæ, ac beneficentiæ, qua complectitur humiles corde, quorum conſuetudinem, & vſum ſibi dicebat eſſe iucundiſſimum, quia pro deliciis ſuis in terris habet Nanos, in cœlis ſinum Patris. Quæſo te, dilectiſſime Pater, diligenter age cauſam meam apud eum; multas, magnaſque gratias pro me exhibe; quotidie maiores debeo, quia quotidie maiora ab eo recipio. Præter hæc retineo quod tibi viua voce indicem, melius id verbo; nunc hora meditationis longiorem ſcriptionem præripit. Vale.

ADDITIONES.

Accedamus iam ad inueſtigandum quidnam ſit, quod epiſtola dicit fore longiſſimum ſcripto proſequi. Res planè noua, & diuini magis, quàm muliebris ingenij opus, quo quanta ſui deſpicientia virgo polleret, declaratur: totum enim aceruum litterarum nominis, cognominiſque ſui, quas ſponſus laudationi tribuerat, in ſua opprobria conuertit. Ne ſuſpiceris rem paratam præmeditatione, ſtudio, vel præuio labore: tota contigit præter expectationem, in puncto temporis, & extra penſum meditationis, ſponte naſcentibus nominibus contumelioſis, ſponteque fluentibus, non ſecus ac guttæ pluuio tempore de tectis decidant: nimirum ſuggerente ſpiritu Dei, & ſpiritu profundiſſimæ

fundiſſimæ humilitatis. Alioquin quandonam ſimplex, & inerudita virgo peperiſſet tot iniurioſos fœtus, quantumvis auida tam mali partus? Attingamus nos per tranſennam, & nomine tenus vnumquodque conuitiorum, quæ illa ſibi vniùs horæ decurſu pluribus exaggerabat.

ANNE MARGVERITE CLEMANT.

A. Deſignare ſibi dicebat abyſſum miſeriarum. N, nihilum. N, nigram. E, Æthiopiſſam nigerrimam nigredine peccatorum. M, Mare nequitiarum, & miſerabilem. A, abortiuum. R, rem inanem. G, gurgitem, & helluonem diuinorum Chariſmatum. V, Voraginem imperfectionum. E, exteram à domo Dei. R, rebellem, & recalcitrantem aduerſus Deum. I, ingratam, & infidelem. T, tradentem proditoriè quæ Dei ſunt. E, emancipatam peccato. C, cloacam iniquitatum. L, lunaticam propter ſuas inconſtantias. E, eluuiem infirmitatum. M, mulam obſtinatam, excutientem dominum. A, abominabilem, & ipſam abominationem. N, noxiam cunctis. T, terram.

Et hæc quidem ſponſa de litteris nominis, cognominiſque ſui aduerſum ſe: quæ autem poſtridie ſponſus replicauit, numero, & ſenſu excedunt, quamobrem de illo aiebat ſponſa; *Oh quàm ad viuum meis me pinxit coloribus, & quàm appoſitis epithetis facinoroſam deſcripſit! Tradebam me contemplationi matutinæ, vtque orationis Dominicæ proœmium ordiebar, cùm ſponſus ad litteras nominis, ſeu vt veriùs loquar, ad notas vitæ meæ contorſit me, docens quantis eſſem obſita malis. Confitebar ego ſingillatim infortunia, conuitiaque mea; dictabat tamen ille prius in præcordiis, & exinde auſcultabat hilaris Diſcipulam reddentem. Vnde autem ego vno momento, nullo ſtudio, nulla mentis agitatione tot criminoſa epitheta eruiſſem, niſi præeunte Magiſtro?* Quoniam verò ex iſtis epithetis nonnulla decoro parum congruebant, ſponſa maluit littera, quàm verbo referre; littera enim non erubeſcit. Nos verò quoniam in traducendis initia dictionum Latinarum non vbique conſonant initiis Gallicarum, vocem voci reddidimus quantum tulit Latinitas, in reliquis ſolum ſenſum.

Epistola diei nonæ Februarij.

ETsi Magister sæpenumerò catellam suam retrahat à speculandis iis nominibus, quæ mihi iuxta litteras meas veraciter, & legitimè quadrant; attamen ea recensere tentabo, nescio an plenè id fecero, & ad litteram; non enim parum diffido reminiscentiæ meæ, quam nonnunquam infidam experta sum. Commentabamur itaque inter nos, Magister, & ego significata substrata litteris nominis mei, & consensimus ea esse attributa mea. Proferantur ergo in propatulum, & vniuersis pateant veritates meæ. Diximus A, denotari abyssum peccatorum. N, nihilum, & nocentem. E, scarabeum alentem se inter stercora. M, mare maleficiorum. A, araneam inutilem. R, murem corrodentem, ac deuastantem bona aliena. G, gruem hac illac inaniter volitantem, ranam querulam, & in palude importunè coaxantem. V, Vermiculum terræ, & fœtidam colluuiem immunditiarum. E, claudicantem, & parcissimam deseruiendo Deo. R, resistentem Spiritui sancto, scoriam, & per totum scabiosam. I, ingratam, infidelem, & ebriam sui. T, traditricem Regis sui. E, exsiccatam, & inutilem squammam. C, cloacam iniquitatum, puteum miseriarum, & fœculentam. L, latronem donorum Dei, lacertam iugiter properantem ad malum, stolidam. E, excordem, insaniæ finitimam. M, mulam bono renitentem, murum dealbatum, malam rem. A, abortum, auaram, arrogantem. N, nigram Æthiopissam, nucem verminosam. T, turrim, seu latibulum bestiarum virulentium, terram ad id omne, quod bonum est, pigerrimam, veliuolam omni vento, suem in volutabro peccatorum: & quod pessimum est, eandem toto tempore vitæ meæ; toto tempore abyssum, toto tempore cloacam, toto tempore canem mordacem, & vlulantem, &c. Heu! me miseram, Pater mi! Ecce speciosos titulos, quibus hoc nihilum illustre, & glorioſum est. Quod si diuina bonitas aliquibus encomiis istam colluuiem malorum omnium decorauit, misericordia id factum est sua, cuius immensitas præstantiùs eluceſcit, quando manu sua eleuat pauperes de puluere, & de nihilo. Ipsi soli sit æternæ gloriæ decus. Amen.

ADDITIO

ADDITIONES.

In propalanda turba ista contumeliarum, haud opus fuit impetrato, promissóve silentio, sicuti impetratum fuit superius in repetitione titulorum honorificorum: lætior de se expromebat omnia, peroptans palam fieri, ad sui ipsius despicatum. Probrosa etiam isthæc narratio eo distabat ab honorifica, quòd encomiorum præco fuit sponsus, ægro animo auscultante sponsa; hîc sponsa præco fuit conuitiorum, hilari animo auscultante sponso. Quid dicam de eisdem litteris compositas fuisse florum corollas? Sub typo tamen florum varias virtutes intellige. Sub rosa amorem, puritatem in lilio, per ocellum contemplationem, sub viola humilitatem, puritatem verò, innocentiam, & charitatem per margaritam. Sic se res habuit: inter medias illecebras sponsus quæsiuit; *Ecquando vniuersæ litteræ nominis tui transmeabunt in flores, vnde compingamus nobis serta, & odoriferas cornucopias? Equidem nonnullas iam floreſcere conſpicio: quip-*

R. L. *pe iam video R, rubeſcere in roſam, & L, albeſcere in pallidum lilium. Tu namque amore rubeſcis vt roſa, & puritate albeſcis velut lilium, cui plurimùm candoris, & venuſtatis addunt circumiacentes ſepes ſpinarum, ſpontaneæ videlicet afflictationes corporis; ſurgit enim ſpecioſius lilium inter ſpinas. Video præterea nitere formoſum ocellum, ſeu caryophilum contemplationis* (Gaillis *Oeillet*) *& cum*

O. E. V. M. *eo puſillam violam humilitatis. Ardentiùs autem redamo perpuſillam margaritam. Floſculus eſt vix humo ſurgens, ſed ſplendeſcens foliis verſicoloribus. Floſculus eſt ſuaueolens nanula mea Margarita, animo, ac ſenſu humilis, ſed emicans albicantibus foliis puritatis, atque innocentiæ, rubentibus verò charitate; hanc ego plus cæteris floribus diligo.*

Aliàs per lepidam antitheſim earumdem litterarum oppoſuit calamitatibus ſponſæ diuitias virtutis ſuæ. *Reuerà*, inquiens,

A. *tu es profunda malorum, & criminum abyſſus; at ego profundior abyſſus miſericordiarum, quibus abſorbebuntur ærumnæ tuæ.*

M. *Tu mare imperfecti, & praui operis; ego vaſtiſſimum, & interminatum mare operis perfectiſſimi, & caput virtutum omnium, in*

C. *quod contraham, & exhauriam mare tuum. Tu fœtida cloaca iniquitatum, ego charitatis fons, quo ſordes tuæ diluentur.*

Eædem porrò collocutiones repetitæ sæpius sunt, sponso Na-

nam

nam ſuam inuſitatis ſuauitatibus oblectante, necnon oſtentante, quod propter eam ipſe quoque effectus ſit Nanus. Alia quoque vice ſuper littera T, transformatam illam vocauit, reipſa corſponſæ ſuo commiſcens, & faciens de duobus vnum.

Dixerat in fine epiſtolæ diei ſextæ, ſe retinere aliquid indicandum viua voce. Paucis comprehendo. Viſio quædam fuit ſanguinis ebullientis in corde ſponſi, à quo facta vehementi eruptione, miſella Nana tota mundata fuit ſanguine. Inde poſteà emergens longè pulchrior, atque nitidior, & comparanda rutilo, coruſcantique fulgori apparuit.

Inter litteras adhuc verſamur, & procul dubio diuinæ mentis opus hoc eſt. Quotque litteras continent illæ tres dictiones, ANNE MARGVERITE CLEMANT, ſponſus docuit ſignari tot virtutum ſpecies à ſponſa ſectandas. Præſtabit autem, fidemque dare ſcribenti hæc in eadem epiſtola diei nonæ huius menſis.

Epiſtola eiuſdem diei nonæ Februarij.

POſt hæc Magiſter denudauit me vetuſtis indumentis, induitque ſuis, nempe humilitate, innocentia, ſpe, & charitate, protulitque nouas litterarum mearum interpretationes, quæ me rectà ad praxim virtutum conducunt, hoc modo.

A *A. Abiicias te, atque ita proſternas, vt ſtatuas nil intereſſe inter te, & nihilum:* quo loquendi modo humilitatem indicabat, ſicut fiduciam in ſequenti, & eodem modo de aliis. *N. Nata fidenter in cortice protectionis; ac prouidentiæ meæ. N. Naufraga ſæculo, ſubmerge te in oceano Diuinitatis. E. Erige mentem tuam ſuper ſydera, vt ibi propiùs me contempleris. M. Morere tibipſi. A. Ama ſine intermiſſione. R. Redde mihi in omnibus gratias, redde gloriam. G. Gemitus continuò ede inſtar columbæ. V. Vacua animam tuam teipſa. E. Extende ad me manum tuam. R. Retrahe affectum tuum à cunctis rebus creatis. I. Imitare in primis manſuetudinem, & placiditatem meam. T. Te fortiter ſtringe mihi. E. Eſto in me omnis ſpes tua. C. Clamare ne ceſſes ad me. L. Leua animam tuam ab iis, quæ in terris iacent. E. Enitere ſectari me. M. Macte ambula coram me, & eſto perfecta. A. Accelera*

N
N
E
M A
R G
V
E R
I
T E
C L
E
M. A

geſſus.

N | *gressus in via perfectionis. N. Ne quicquam formides, me co-*
T. | *mite. T. Torque iugiter spicula amoris tui in cor meum, & totis temporibus mihi coniungere.*

Et hæc breuissimè insinuasse sufficiat. Cæterùm redde hanc Nanulam hero suo, cuius sicut dominio, sic vsu, & fructu esse ardentissimè concupisco. Tantùm ille regat manu sua Nanam, & salua sum. Vale.

Epistola diei decimæ Februarij.

INiquissima catella, abyssus flagitiorum, mare malorum omnium, & cloaca scelerum modò vacat recensendis, librandisque titulis, quos mihi de mei nominis elementis veritas perspicuè affinxit. Ante lucem, & antequam euigilarent sodales meæ, dimidium horæ dedi recognitioni miseriarum mearum, duce Paulo Apostolo, qui fretus conscientia bonæ vitæ scribebat 1. *Cor.* 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*; & dixi me infelicem. Paulus iustus non se reputat iustum, quid dicam colluuies peccatorum, & à Paulo dissidens toto cælo? Quid hîc rectiùs agam, aut cogitem, ignoro. Vt tacita derelinquam, satius est, liberet me hac cura Deus, & de tot malis eripiat. Vide in quàm diuersa rapior: interdum trudor sub nihilum, interdum supra cœlos erigor ad confessum Dei. Heri ante somnum assumpta fui inter epulas Diuinitatis. Pluribus ista describerem, si plus otij haberem. Vno verbo cognosce omnia. Sponsus nihil in catella sua videri vult, nihil æquo animo fert, quod diuinum non sit, aut non sapiat diuinitatem. Scito tamen me inter hæc duros cruciatus passam, non secus ac aurum ab igne, à quo tamen aliquid patitur detrimenti. Quod in causa fuit, vt à te petierim corroborari pane cœlesti, quamuis mulier facinorosa fatear, me has delicias non mereri, sed erebi supplicia. Pupugit me ad viuum hodie exemplum Diui Guillielmi seueriissimè vlciscentis peccata suas: fac si me amas, vt mihi facilis ignoscat Deus. Vale.

Additiones.

Per hos dies nihil imminutum est de familiari consuetudine sponsi, nihil de ardoribus amoris, de assuetis documentis,

blanditiis, aliisque Dei donis. Sponsus partes susceпit modò conductoris, modò prouidi patris, modò instar surgentis fontis rore gratiæ suæ cor sponsæ irrigauit. Semel meditantem ea verba *Lucæ 2. Nesciebatis, quod in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*; docuit quænam sint illa negotia, quibus intendere debeat, videlicet sanctificationi animæ suæ, institutioni discipularum, & ædificando proximo.

Die decimaquarta huius mensis Februarij, thema meditationis erant illa verba *Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientia, & ætate.* Sponsa, vt sui moris erat, rogitante qua in re sistat cogitationem suam, Pater onus magisterij assumpsit, & præmissis erga dilectam paternis illecebris commouit illam ad incrementa virtutum, simul præscribens modos, ac vias proficiendi, pollicitus sui præsidij opem, donec ad summa culmina pertingat. Sectatusque ritum Patriarchæ Isaac, iteratas benedictiones impertitus est, & noua potentioris gratiæ infusione supra modum eam corroborauit ad altissima quæque virtutum. Verùm vt discipulam in officio veritatis retineret, monuit, bonorum quibus potitur, nullum esse, vel dici posse ipsius; sed cuncta clementer, & amanter à se collata, vt de indignissima, dignam Filio suo Sponsam, & Nanam efficiat. Permultùm spiritualis irradiationis inuexit lux eius doctrinæ, docuitque discernere, & quasi gladio ancipiti dispertiri, quid propriæ inopiæ, quid diuini patrimonij foret; nempe diuinam hæreditatem bonis vniuersis componi, suam nihilo. Denique renouatis sponsalibus, Nana accepti iamiam moniti memor, inter vmbras verecundiæ, & in nihilo nihili sui deperdita, quibus se latebris profundiùs occultaret, quæritabat: accedere pudibundam vetat Regia Maiestas, recedere prohibet diuinum interdictum.

Consonat huic augmento virtutum, quod postera die mane superuenit, sumpta occasione ex Euangelio eiusdem Lucæ *cap.* 20. vbi dicitur, quod Puer crescebat, & confortabatur. Sponsus enim habuit egregium sermonem de spirituali progressu, & de methodo, qua virtutes adolescerent in anima, clausitque sermonem huiusmodi verbis: *Non tu in me, sed ego in te grandescam. Sapidum panem ex ambobus nobis coalescere oportet, tu fermentum es, peccato, & nequitia acescens: ego de purissima farina massa*

Digitized by Google

massa sum dulcissima. Hanc in acidum fermentum conuerti haudquaquam decet, sed magè fermentum tuum in meam innocentiæ massam traduci; quod confestim per extemporalem vnitionem, & transformationem præstitum est. Inde sponsus reuersus ad significata litterarum, sic rem definiuit, neuterque à mutuis illarum præconiis desciuit. *Si meas, quæ apud te sunt, respicias, inuenies fidelissima pignora in te permanere perseuerantis amicitiæ, patrociniique mei: si tuas, quæ apud me sunt, intuearis, reperies te nullo dilectionis, officiique gradu à me excidisse.*

Sub finem autem meditationis matutinæ diei decimæquartæ, de qua suprà, sponsus repetitis gradibus dignitatum eductis de nomine, & cognomine sponsæ, nonnullos subtexuit desumptos de quatuor postremis litteris cognominis (CLEMANT) ordine retrogrado; hoc modo.

T. *T. Pro tecto mihi erit cor tuum; ego quippe passer sum solitarius,*
N. *nidum quieto loco positum volo: hic mihi locus, hoc tectum, hæc à*
labore quies. N. Te olim velut speculum virtutum expositi sectatri-
cibus tuis: modò te nucem clausam compellabo, in qua thesauros
A. *incomprehensibiles gratiæ meæ recondam; tu bene clausos, & ab*
omnium oculis semotos serua. A. Sicut litterâ ista mihi assimilaris,
sic & facto te volo mei imitatricem. A, cognominis mei Nazareni
donauit mihi celebre nomen Accelera: A, cognominis quoque
tui Actuosam, Agilem, & ad opus feruidam te esse præcipit. Pro-
cul ergo esto à te tepiditas, & ad opus frigiditas. Cunctantem obe-
M. *dientiam odi, opus remissum respuo. M. Mansueto quondam iu-*
mento residens Hierosolymam triumphator intraui; eius loco tu me
intra mœnia Monasterij, & coram domesticis tuis Magistra vitæ
Religiosæ circumferto. Obstupuit sponsa citissimam vim agentis; nam vno ferè momento, & vt ita dicam, in ictu oculi hæc omnia dicta, pertractata, peracta fuere, vt colligas, in iis aliquid eius esse, de quo *Psal.* 147. *Velociter currit sermo eius.* Meditationis epilogus fuit recentissima interpretatio extremæ litteræ cognominis T, qua sponsam cognominabat Trahentem corda, his verbis; *Verè funiculis humilitatis, & charitatis traxisti cor meum ad te; illud ipsum incessanter trahas, nam reuerà es corda trahens.* In oratione serotina facta est illustris commendatio diuinæ omnipotentiæ, bonitatis, atque sapientiæ; noctu solemnes, & vsitatæ blanditiæ.

Nocte insequenti sponsus aliquid supra quotidianam consuetudinem operatus est per vehementiores impetus amoris, & per nimis æstuantem inflammationem, cordi perpessu asperam, & præpedientem sponsam, ne facilè spiritum duceret. Illa sauciata iteratis amoris vulneribus, verbo carens, vtvt poterat tantummodò insinuabat sponso animæ suæ defectum; eoque percunctante, quonam pharmaci genere curari posset? *Non alio*, respondit, *quàm temetipso, qui me feris. Ita esto*, subdidit sponsus, *sanam te faciam ab omni malo, erepta tibi vita.* Illicò aliud spiculum amoris intentans; *Hoc*, inquit, *ictu morieris.* Illa tota cordis peripheria, intimisque medullis excepit ictum, qui mortem quamdam intulit: vnde langueſcens sensu, animoque hebes, supra dimidium noctis se vita migrasse arbitrabatur. Attamen inde parumper respirans, gelidam, & totis artubus conquassatam persensit. Quodque admiratione dignius est, à leui sopore expergiscens (nam modicum somni posteà percepit) à pristino statu discessisse minimè videbatur, ac si non fuisset per somnum interrupta. Eisdem prætereà cum sensibus duos posteros dies, ac noctem transegit, etsi negotiis domesticis grauiter incumbens. Porrò ne eius actionis seriem integrè deduceret Directori, interdicebat pudor mentis, & humani sensus turbatio; descripsit tamen strictim per epistolam, quamuis neque epistola, neque lingua dignè proloqui valeant sponsi blandimenta.

Epistola diei 16. Februarij.

QVibus pietatis officiis cumulet me sponsus, ex his cognosces, Reuerende Pater. Maximam partem noctis assumpsit sibi, splendidiùs solito inuisit me, & sagittis lethiferis vulnerauit me. Saucia procubui, ferendis vulneribus imbellis. Sit tibi omni tempore commendata isthæc paupercula, cui diuinorum beneficiorum amplitudo omnem agendarum gratiarum viam obstruxit. Vale.

Digitized by

Epiſtola diei 18. *Februarij.*

ACcepi litteras tuas, ſenſum non ita percepi, Reuerende Pater: ſed priùs habendæ ſunt tibi gratiæ permaximæ de conceſſa ſynaxi. Profectò graui fame laborabam, laboranti optatam eſcam porrexiſti, pro qua referat tibi gratiam Deus. Quod ad me ſcripſiſti, ſi bene intellexi, expoſtulatio quædam eſt, quod quaſi parum fidens, tecum de diuinis operationibus parcè admodum locuta ſim. Abſit verbo veritas, nullo gradu frigeſcit mea in te fiducia. Quid verò illud appellem, quo cohibita fui, non probè teneo. Inuaſerat enim me repentina quædam animi reuerentia, coniuncta magnæ erubeſcentiæ, qua premor de continuatis in viliſſima fœminula amoribus Dei, de beneficentiis, vnitionibus, transformationibus, & quicquid aliud eſt diuinarum operationum. Adde quod verebar plus iuſto tempus ſurripere tuis occupationibus in me auſcultanda, vt mihi ſatisfacias; natura enim, & ingenio prolixior ſum, & verboſior, neſciens dicendum in pauca contrahere. Timui præter hæc puſillorum offenſionem, nempe ſororum obmurmurantium de longiuſculis congreſſibus noſtris. Dominus autem Ieſus odit leuiſſimam quamque offenſiunculam. Tales coniicio fuiſſe meæ breuitatis cauſas, quas boni conſulas velim. Nunc verò ad te ſcriberem de certiſſima cura diuini erga me patrocinij, niſi commoditatem eriperet conuentus ad officium: faciam vel aliqua hora hodie, vel cras, ſi te priùs minimè videro. Nam grandia contigerunt heri ſub veſpere, atque hodie diluculo. Quid reſpondeam N. nondum decreui, nec promptum habeo. Poſtulo, ſimulque expecto iudicium, arbitriumque tuum, maximi ſemper apud me pretij, & cui omnia mea ſubeſſe volo. Vale.

ADDITIONES.

Non tamen impunè tulit reticentiam illam, qua ægrè reuelauit Directori acta, licèt ortam ab erubeſcentia, & propter rei altitudinem; acriter illam redarguit ſponſus per verba Malach. *cap.* 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Multa mixtim referam patrata his diebus, præcipuè circa arcanas significationes litterarum. Sponsus correxit designationem litteræ R, qua sponsa sese comparauerat animalculo omnia corrodenti, ac deuastanti, vulgo, *Rate:* honestauitque compa atione auis canoræ, vulgò *Rossignol*, idest philomelæ, ad concinendas laudes Dei selectæ. Exposuit per A, signari agnam, præcipiens vt esset omni tempore agna ingenuitate, mansuetudine, ac placiditate, quemadmodum ipse fuerat agnus mitis corde, & agnus sine macula. Addidit quoque super V, *Vinea mea, & viridarium meum quidem es; sed vineam esse volo sepibus circumquaque vallatam, vineam redolentem floribus boni exempli, & viridarium fructibus refertum. Neutrum enim placet, aut vinea floribus, aut viridarium spoliatum fructibus.* Super E, hanc nouam notionem dedit: *E, stat pro Esponge, idest pro spongia. Spongia*, inquiens, *vere es, non quidem ex iis, quæ aquæ penuria remanent siccæ, sed ex iis, quæ natantes in pelago bonorum omnium, exuperantiam cælestium delitiarum hauriunt, cunctis ocellis ad plenum saturis, atque redundantibus.* Eodem verò momento tot vndis suæ dulcedinis operuit, vt mersa semianimis iaceret.

R.

A.

V.

E.

De more renouantur nuptiarum solemnitates, donaria, cordium commutationes, aliæque blanditiæ. Sponsus lectulum in corde sponsæ sibi sternit, conspergitque floribus: floribus, inquam, virtutum, quas nominibus suis distinguebat, sponsa excipiebat. Deinde floribus arma maritat, vnum alteri intermiscens, appositis litteris nominum; vni litteræ florem, alteri aliquod armorum genus, vtrisque varias virtutum species denotans, verbi gratiâ super L, lanceam posuit dicens; *Hac lancea cor meum vulnerabis.*

Humilitatis regulam hac ratione definiuit: *Reducito animam tuam ad paruitatem grani sinapis, & Deo dante incrementum exurges in proceram arborem virtutum: quoniam tu iuxta litteras nominis tui cuncta tibi vitiorum genera imposuisti; ego vice versa egregios titulos virtutum per easdem contuli.* Transeamus ad epistolas.

Epistola

Digitized by Google

Epiſtola diei 23. Februarij.

SEntio aliquid, Reuerende Pater, cuius meum eſt pœnitere, tuum condonare. Sermonem meum, ſiue loquentis, ſiue ad te ſcribentis de diuinis operationibus, ea qua debui animi veneratione, & reuerentia corporis hactenus non ritè condiui. Pœnitet irreligionis meæ, fiam in poſterum religioſior. Suſpicio mihi magna eſt, hac de cauſa non nihil ademptum eſſe de veteri illa familiaritate ad Deum; quamuis nil minus coniiciam id veniſſe propter aliquid aliud à me vel malè admiſſum, vel malè prætermiſſum, vel quia in concurſu rerum agendarum animum ſollicitior applicaui, vel fortè quia longiorem collocutionem cum N. traxi. Quicquid illud fuit, de mea culpa fuit. Ea namque ſunt egregia facta huius oceani delictorum. Non tamen vſus omnis beneuolentiæ ſponſi diremptus eſt; aliqua adhuc portiuncula decidit de diuite menſa huius benefici Patris pro catella enutrienda, vicitque illius clementia omnem expectationem meam. Tres Perſonæ Diuinitatis hoſpitium ſibi in hac animula pararunt. Pater ſpatia cordis dilatauit dignitati ſuæ. Filius obteſtatus nullibi ita appoſitam, ac gratam ſedem ſibi dari, ac in corde humili, depreſſit me vſque ad extrema nihili, oppoſitis aduerſum me iis opprobriis, quæ paulò ante fuerant de meis litteris educta. Deterruit me pudor, & ſupra modum contriuit ſpiritum meum. Spiritus ſanctus ornamentis pariter ſuis domunculam inſtruxit, poſuitque pro ſe nidum, & pro Filio thronum. O placabilem Dei facilitatem! ô bonitatem liberaliſſimam! pro mulctis præmia confert. Hæc exarauera ante orationem matutinam, à qua nunc regredior gerens cor meum expurgatum per Dei miſericordiam, priùs tamen confectum rubore, dolore, & liquefactum lacrymis, caloreque ſuſpiriorum. Pro reconciliatione præuenerunt me eædem Perſonæ læſæ. In occurſum venit Pater in gratiam Filij, Filius conſentiens Patri, Spiritus vtrique conſentiens. Spiritus ſanctus igne ſuæ bonitatis abſumpſit crimina mea, & de cloaca iniquitatum fabricauit templum Maieſtati ſuæ. Filius animam lauit ſanguine ſuo. Pater abyſſo miſericordiæ exhauſit abyſſum peccatorum meorum. Denique reſtituta eſt in integrum amicitia:

mihi

mihi verò distrahi vel vno momento à Dei præsentia, & amore, liberum non est. Vale.

ADDITIONES.

Irreuerentia de qua conqueritur in epistola, consistit in eo, quod detecta fronte referret actiones suæ contemplationis. Quare postmodùm flexis genibus, & velata facie enunciabat, tum propter rerum ipsarum reuerentiam, tum propter grauem erubescentiam. Cœpit etiam obsignare epistolas suas his caracteribus. Ab. M.Cl. quæ sunt litteræ capitales nominis, cognominisque sui: sensus verò earum est: *Abyssus peccatorum, mare miseriarum, cloaca iniquitatum.*

Quotidie autem eius virtus apparebat magis adulta, ac firmior. Puritas mentis, ac corporis candidior, quam phantasma, aut verbum turpe nullo modo denigraret. Inter correptiones, etiam seueriores, nulla bilis scintilla, si fortè asperum quid sonabant verba; interioris tamen tranquillitatis gratia in corde conquiescebat. Synaxes comitabatur ignis; valetudo quoque corporis semper constans, & cura rei domesticæ, licèt frequentissimè priuaretur quiete nocturna. Sponsus pro lecto sponsæ obtulit crucem suam, affirmans satis in ea loci esse ambobus, eo quòd ibidem vellet eam secum affigi. Pater verò pro lecto obtulit sinum suum, in quo obdormiret. Aliaque multa diuinæ beneuolentiæ indicia, & acta, quæ hîc prætermittuntur.

Familiarior tamen erat litterarum ponderatio, vnde notiones nouæ promebantur. Sponsus iterum eas, quæ sunt sui nominis insculpsit cordi sponsæ, addito cognomine CHRISTVS, cum suis interpretationibus: eamque præmonuit velle de corde sponsæ pharetram, seu armamentarium fabricare, in quo litteræ sint pro armis partim defensiuis, partim offensiuis, ad arcendos hostes. Qua arte id factum posteà fuerit, audiemus loco suo. In periodo mensis reprehensoris partes egit, multis exaggerans perpetratas noxas, quo sponsam ad profundissimam contritionem concitaret. Per L, lupam esse docet, quæ praui exemplis mitem gregem Dei deuastaret. Per R, Renard, idest malam vulpem, agnina veste religionis obuolutam. Quæ probra sponsa æquo non solùm tulit animo, sed contra seipsam sponte inuehit, nimium tristis de datis offensis.

L.
R.

MARTIVS.

Digitized by Google

MARTIVS.

INitio huius menſis corſponſæ in pharetram, & litteræ nominum IESVS CHRISTVS NAZARENVS, in arma commutatæ ſunt, appoſita cuique ſua interpretatione, ac ratione. Magno rei detrimento non ſatis promptè ſcriptis mandata fuere hæc myſteria, ſed tantùm poſt nouem dies, in epiſtola, quæ breuiſſimè factum potiùs indicat, quàm recenſeat. Epiſtolam propterea in limine menſis colloco, quando res ipſa geſta, non deſcripta fuit. Armamentis verò repoſitis in pharetra cordis, intellige ſignificari varia auxilia diuinæ gratiæ, virtutes, virtutumque exercitamenta, & peculiarem ſponſi protectionem, quibus hoſtes animarm noſtrarum oppugnantur, vt clarè patebit legenti.

Epiſtola de litteris mutatis in arma.

PAreo neceſſitati, pareo legi à te datæ, Reuerende Pater. Iuſſis quoque pareo diuinis, quæ vt ſublata omni mora hæc ad te tranſcriberem, me monent. Verùm quibus ego verbis, qua vi dictionis exequar iiuncti officij perarduum negotium? O ſuauiſſime Ieſu, ineptiſſimæ mulierculæ fer opem, architectare tu exarandæ epiſtolæ opus, quod expetis à viliſſima, & omnium ſcelerum fœmina. Quid enim aliud ſum, quàm abyſſus ſcatens peccatis? Quid ſum, niſi mare mala omnia deſpumans, & cloaca iniquitatibus fœtens? Quid præter ſentinam obſcuræ, ingratæque memoriæ? Quid denique præter horrendæ feritatis monſtrum? Iſthæc ego, mi Deus optime, tanquam exploratiſſimas veritates ſincero corde, linguaque veridica profiteor, non ſatis capiens, quo animo auſim calamum in id iniicere, quod præcipis, ni tu Deus benigniſſime, quæ dicenda ſunt, inſipienti dictaueris. Ad hoc, & ad omne id quod poſtulas à tua emptitia ſeruula, Maieſtati tuæ me ſubmitto, me committo. Tu namque pro tua benignitate talia proferre mihi ancillulæ tuæ non es dedignatus.

Nomen meum ſit armamentarium, vnde deinceps arma ad debellandos hoſtes, vitiaque propulſanda arripias. Armorum hîc genus omne inuenies, quibus impugnes aduerſariorum copias, necnon quibus tua caſtra propugnes. Porrò quia ipſe quæcumque molior, peramanter, & affabrè

perficio, nec quicquam vlla ex parte imperfectum, atque impolitum relinquo, volo omnem istum aceruum armorum multo auro splendescere: auro, inquam, charitatis. Cor meum admoueo cordi tuo, statimque arma auro charitatis fulgebunt. Promissi sponsor, promissi quoque effector protinus fuit, præcordia sponsæ luce diuinitatis suæ inaurans. Quid hic ego facerem, quò me verterem, Pater mi? Ad hæc audita, ad hæc gesta hæsi vt marmor stupidum, vt debilis rubore truncus, & similis illi papilioni, de quo Beata Theresia. Ergo sponsus insistens magisterio suo, aiebat.

I Typus est humilitatis, armatura fortis. Arripe gladium „ hunc, & caput omnium malorum amputabis. Ego vt re„ staurarem imaginem Dei elatione mentis turpiter in ho„ mine deuastatam, quanta humiliter perpessus sum ludi„ bria, iniurias, percussiones, lacerationes? Accipe telum „ hoc, & omne vitiorum genus confodisti.

E Esto puro, simplicique animo: Deum quære semper in „ simplicitate cordis. E, namque designat intellectum „ (Gallicè *Entendement*) expurgatum, qualis ego sum Pa„ tris intellectus. Hoc gladio rescindes mentis euagatio„ nes, friuolas curiositates, & animaduersiones superuaca„ neas.

S Sapientia Dei ego sum, veritatis Magister: sapientia „ consilioque meo armata fugabis inconsiderantiam, im„ prudentiamque omnem, atque omnem animi leuitatem: „ spiritum sapientiæ rebus in omnibus, siue illæ sint magni, „ seu parui momenti, exquire, & ipsa anteibit, regetque „ gressus tuos.

V Verbum Patris ego ipse sum, & veritas æterna. Si dictis „ meis fueris benè audiens, multiloquia inania, ac stulta, „ & omne verbum mendax abiges; silentio potiùs, & studio „ orationis intenta.

S Vt pro seruanda castitate vtiliter dimices, & gloriosè, as„ sume arma sanctimoniæ, puritatisque meæ, qui animas, „ corporaque sanctifico. Fræno rationis cohibebis, & bacu„ lo mortificationis extingues sensuum insolentias, animi„ que prauas concitationes. Casto verò, ac sincero mentis „ intuitu ad Deum corriges impuros fines agendi.

Age iam, memorare in pharetra, armamentarióve meo permixtim

„ permixtim adeſſe arma, & quæ ad hoſtium inuaſionem, &
„ quæ ſunt ad ſui tuitionem; meque amborum officio erga
„ te fungi.

C Cuſtodia tui ego ſum; ego circus te protectione mea cir-
„ cumcingens, ne à quopiam lædaris. Ego te brachiis pro-
„ uidentiæ meæ complector, & geſto, ne caſu aliquo in
„ malum ruas. In hoc ſinu tutò dormi, ſub vmbra proui-
„ dentiæ meæ fidenter requieſce. Sed etiam timor Dei
„ (Gallicè *Crainte de Deiu*) te valenter defendet ab incurſu
„ inimicorum.

H Aſſume ſcutum obedientiæ, & impulſus, telaque pro-
„ priæ voluntatis infringes; neque te quippiam dimouebit
„ ab arctiori obſeruantia legum mearum.

R Ad meam rupem de inſequente hoſte propera, inſupera-
„ bile aſylum inuenies. Si quando vanis terroribus con-
„ cuteris, ecce tibi propugnaculum, ecce hîc certiſſimum
„ refugij locum.

I Iuſtitia, & iucunditas cordis apud me. Animi puſillita-
„ tem, & cordis triſtitiam his armis deuinces.

S Non eſt aduerſus infeſtas, importunaſque tentationes
„ ſecurior ſaluti locus, quàm apud me. Ego te ab eiuſmodi
„ moleſtiis liberabo, quia ſalus tua ego ſum.

T Ecce tentorium, ſub quo æſtus malarum cupiditatum re-
„ ſtinguuntur. Ecce tectum tutiſſimum, quo grandines, ge-
„ lidæque niues algoris ſpiritualis arcentur.

V Annon ego virtus, roburque tuum, quo potens es arma
„ capeſſere, & ſtrenuè dimicare? Addam hoc; Ego in te,
„ & per te certabo.

S Ego ſplendor æternus Patris diſſipo tenebras mentium, &
„ ſpiculis radiorum meorum caligines ignorantiæ tuæ diſcu-
„ tiam.

N Inter fluctus, turbineſque maris agitata erras, plus vno
„ naufragio proxima. En ego tuta nauis, quæ de tot vortici-
„ bus eueham te, & tranquilla ſtatione portus locabo.

A Celerrima catapulta (Gallicè *Arquebuſe*) ego ſum, mo-
„ mento citiùs pilas mitto, accidiam perimo, tædiumque
„ benè agendi extermino.

Z Zelo multo animas exacuo, vt diuinum opus ad amuſſim

„ perficiant; efficioque, vt ornatæ zelo non dispari gratio-
„ siores fiant diuinæ Maiestati.

A Arcum quoque apud me habeo omni tempore tensum,
„ vnde in homines vibro igneas sagittas amoris, & ad reda-
„ mandum inflammo. Tensum verò dies, nocteſque gero
„ eiusmodi arcum, dum pro te semper extendo ad Patrem
„ confossos pedes, plagosasque manus, vt clementia, do-
„ nisque illius potiaris.

R Procul hinc, procul esto ingratorum torpedo: refero ego
„ assiduè Patri meo gratias immortales, vt referri ab omni-
„ bus decet: sum pariter remunerator, remuneratioque iis,
„ qui generosè contra turmas vitiorum digladiantur.

E Ensis ego tuus, ensis anceps, vtrimque proscindens. Eo
„ accingere: te ille à dextris, teque à siniſtris tutabitur,
„ ne prospera, néve aduersa noceant. Porrò ensis iste sit ti-
„ bi crux mea, per quam omnem animi formidinem de-
„ truncabis, & sancta cum fiducia quiescès.

N Nobilis ego ciuitas, nulli aut tributo, aut imperio obno-
„ xia. In ea fige domicilium tuum; retibus, & quisquiliis
„ huius sæculi extricato teipsam, & frueris pleniſſima li-
„ bertate spiritus.

V Denique victoria, & corona tua ego sum, si pugnæ terga
„ non dederis, & pertinaciter in tutando amoris mei cam-
„ po perstiteris.

S Ad hæc omnia subsidium stat in me tuum. Statio tua sit
„ perennis in castris meis, ibi dulcè, ibi tranquillè sede, &
„ quieta, fidaque cum securitate viuas, ac tandem in
„ sanctiſſima charitate vitam ponas.

En, chariſſime Pater, quod audire peroptabas. Reliquum est, vt Dominum actorem vniuersorum ardenter depreceris, quò isthæc armamenta integrè seruet, & sana in corde meo, meque ipsam incolumen ab omni vitio custodiat. Vale.

Epistola diei tertiæ Martij.

TArdiores à me litteras accipies, Reuerende Pater; quæso sine stomacho. Deceperunt me oculi mei, plus somni, quàm indulserit spiritus, surripientes; quod profectò patior non rarò ex fallacia

fallacia etiam aliorum sensuum, etiamsi sæpe sæpius orans cum Regio Vate efflagitem; *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.* Scito igitur res meas cum Deo hoc triduo nihilo esse deteriores; à prioribus lenociniis non desiit, innouauitque maiora; præsto semper est saluti meæ, non considerans quæ ego sim, & quàm infidelis. Denique post votorum repromissionem, plena voluntate restituta est mihi gratia, beneuolentiaque ipsius. Heri in synaxi sponsus sic misellam alloquebatur; *Ecce ascendo Ierosolymam, illuc me agunt tum Patris obedientia, cui statui obtemperare; tum studium salutis humanæ, quam vel sanguine restaurare firmiter proposui.* In via palam expositi oculis Nanulæ cor suum nominibus eiusdem Nanulæ inscriptum: hoc spectaculo facilè perspexi, quàm ardenter me adamaret; sed ardentissima quoque flamma amoris erga eum in me succensa est, quam nulla diei pars attenuare, ne dicam extinguere potuit. Hoc mane percunctatus est me eodem modo, ac cæcum hesterni Euangelij; *Quid vis vt faciam tibi?* Respondi; *Quod tibi libuerit.* Institit pro apertiori declaratione. Tunc dixi, *Vt te solum videam, & sacratissimum cor tuum.* Accommodauit ille se petitioni meæ, rursumque ostendit cor suum, & in corde nomen meum. Vicissim autem pro mutuo inter nos animo, ac magè pro sua in me beneuolentia voluit reuisere cordis mei fidem, & explorare, num arma in eo reposita integra forent, suumque splendorem retinerent; an verò labefactata æruginem contraxissent: & iis inspectis antiqua significata litterarum confirmauit, quæ vrgente hora officij repetere hoc loco non vacat. Vale.

Additiones.

Heri in synaxi, &c.] Rem hanc paulò latiùs explicemus. Erat Dominica Quinquagesimæ, & Euang. Lucæ *cap.* 18. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Sponsus sponsam secum habere comitem, & illuc deducere voluit. Progrediens passus extendebat gigan-teos extimulatus zelo paternæ obedientiæ, & humanæ salutis; insinuans nimirum sponsæ ardorem progressus faciendi in via spirituali. Eodem quoque tempore, vt discipulam contineret in humilitate, propriaque diffidentia, monebat eam minimè posse æquis passibus sectari, sed infantili tantùm gressu à longè sub-

Digitized by Google

ſequi, vtpotè nanam. Hortabatur tamen, vt properaret audacter, eo quod ipſemet progredienti futurus eſſet ſolatio.

Pro inſpectione cordium, & armorum memoria recole, de corde ſponſæ fabricatam fuiſſe pharetram, & de litteris ſponſi arma. Dum pergunt, ſponſus inſtar Ducis recenſentis copias ſuas, luſtrantiſque militum arma, vndequaque circumſpiciebat, num litteræ incorruptæ, num arma infracta, & nitida à rubigine perſiſterent. Cumque omnia integra, ſana, & nulla ærugine vitiata conſpiceret, iterum aſſignauit litteris antea datas interpretationes, & arma; & talibus armis munitam præcepit ſibi adeſſe aſſeclam in toto propinquæ paſſionis certamine.

Protrahens autem ſermonem, actumque ſuæ viſitationis, litteras, ſeu arma inaurare aggreſſus eſt, aſſerens eam eſſe legem Principum, vt arma geſtent multo auro lucentia. Vt igitur iſthæc auro liniret, cor ſuum ſuperextendit cordi ſponſæ, eo propè modo; quo Impreſſores typos intinctos atramento apponunt chartæ albæ, & ſubinde litteræ, ſeu arma apparuerunt deaurata in corde ſponſæ. Sponſa grauiter paſſa eſt ex hac auri inductione, & ex impreſſione armorum; at ſponſus gloriabatur, ſe in poſterum telis aureis certaturum. De hac inauratione etiam loquitur ſponſa in ſua epiſtola poſita in capite huius menſis. Subiunxit autem ſponſus pro doctrina ſponſæ: *Vis noſſe quid indicet aurum, quo coruſcant arma? Charitas ipſa eſt aurum: habeas omnes, & ſingulos actus animæ tuæ delibutos charitate, & arma geres aurea.*

Inter blanditias Pater eam appellat columbam ſuam, Filius columbulam ſuam, Spiritus columbellulam ſuam. Sponſæ non attingenti hæc dicta ſubtexuit Pater; *Per obedientiam mihi columba es*: Filius; *Per humilitatem columbula mihi*: Spiritus; *Mihi verò columbellula caſtitatis, & amoris.*

Sponſa in feria quarta Cinerum, vt ſe etiam infra cineres ſterneret, ſeipſam conuitiis litterarum ſuarum labefactabat, ſeſe compellando canem ad vomitum, lupam voracem, ſuem in volutabro, & aliis maledicis vocabulis. Sponſus aure gratiſſima auſcultabat, & rem ita ſe habere confirmabat, quin etiam, vt ſponſa ſe adhuc longè peiorem, ac viliorem agnoſceret, oppoſuit diuinitus illi datos aceruos beneficiorum. Nunquam ſponſa in tam profundum abiectionis locum deſcenderat, vbi clariùs

Digitized by Google

clariùs ignobilitatem, infirmitatesque suas distingueret, dicebatque, cor humile esse quemdam magnetem, quo viscera diuinæ bonitatis ad nos extrahuntur, & quo Deus ita fortiter inescatur, vt nunquam vel ab anima abscedat, vel à suis cesset operationibus.

Alia via, & methodo itum est ad synaxim. Sponsus adductis illis verbis *Prouerb. 9. Sapientia ædificauit sibi domum*, domum in corde sponsæ sibi voluit extruere, & cæmentarium agens spopondit se congesturum in eam constructionem quinque prægrandes, atque præduros lapides magni, incomparandique pretij. *Iaceat*, inquiens, *pro fundamento fixum, immotumque saxum humilitatis; elaboratum sermonis parcitate, modestia, sanisque cogitationibus. Surgant in ædificij parietes paupertas spiritus, cum rerum omnium reiectione, obedientia substrata cunctis Dei arbitriis, pudicissimaque castitas. In culmen conscendat charitas, quæ cæmenti loco lapides inter se coaptatos firmiter connectat.* Referebat verò sponsa, se à die positi fundamenti istius adeò perspicuam sui notitiam accepisse, vt ante mentis oculos sola ratio sui non esse versaretur; explorantique quidnam ipsa esset, omnia sua viderentur excidisse in nihilum, nihilque aspectui occurreret præter suum non esse. Ex qua veri perspicientia signabat epistolas suas verbo Gallico *Le neant*, quod est, nihil, vel ipsum non esse. Consonant autem isti quinque lapides quinque siclis, & quinque litteris nominis IESVS, quinque gemmis, de quibus suprà: ex qua vniformitate arguere licet, à Deo procedere sermones istos.

Litterula diei 9. Martij.

TVa mihi maximè opus est ad Deum prece, Reuerende Pater, vt quem commisi errorem, citiùs ignoscat. Præceps feci, non equidem in oculis exterorum, sed ante oculos Dei, & coram sponsa illius. Præceps, & ferè indignabunda in terram proieci epistolam rusticè concinnatam. Ingenuè confiteor erratum meum, & mox sacramento pœnitentiæ expiare curabo. Tu interim obserua humanam in me infirmitatem. Actutùm pergo ad orandum pro reconciliatione cum Deo, à quo vt sæpenumerò interuenit, grauem correptionem expecto. Sit illi in omnibus perpetua benedictio, & gloria. Vale.

ADDITIO

ADDITIONES.

Verè dixit, *à quo grauem expecto correptionem.* Etenim ſponſus impunita minimè præterit errata ſponſæ, quantumvis leuia, repentina, & inuoluntaria, vt poſtmodùm etiam fecit increpando illam de verbo incautè prolato, quo poterat fama cuiuſpiam nonnihil imminui: & iterum de euagatione mentis in officio, de quadam exaggeratione verbi, & ſic de aliis, ſalua ſemper tamen animi tranquillitate, in Deum fiducia, & cordis lætitia, quæ creſcebat ex reprehenſionibus magis, quàm ex laudatione; punitionem liberè, & ſine vlla retractatione ſubire ſemper parata, culpaſque ad ſui opprobrium dilatare, ſiue à Sponſo, ſiue à Directore corriperetur.

Eadem die 9. Martij, quæ fuerat Dominica prima Quadrageſimæ, ſponſus volens tyrunculam ſuam ad bella parare, ſociam duxit in deſertum, tanquam in locum pugnæ, & docuit arripere arma repoſita in pharetra, illis dimicare, & hoſtes proſternere. Priùs tamen quàm manus armis admouerentur, attentè iterum omnia perluſtrauit, num integra adhuc, & incontaminata exiſterent. Dein, vt exemplo ſuo animum, & vim adderet, præcedens aiebat; *Vado ad montem myrrhæ, & thuris:* quod habetur *Cantic.* 4. Per myrrham aſperitatem ieiunij, per collem thuris denotans orandi aſſiduitatem, quibus potiſſimùm inſtruimur ad fundendos hoſtes animarum noſtrarum.

Per aliquos dies materiem collocutionibus præbuere verba illa *Ioan.* 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*: quibus magnoperè roborata fuit ſponſæ fiducia in ſponſi prouidentia. Nunquam deſtitum eſt à caſtiſſimis illecebris, in multam etiam noctem productis: ſæpiſſimè excluſus ſomnus, & ſi quid dormitanti indultum eſt, ſponſus zelotypus multò ante lucem ſemiſopitam excitabat ad amores ſacros. Sponſa præ negotiorum affluentia non tam facilè aurem adiiciebat ſponſo; quin etiam vt impoſito oneri, & emergentibus curis monaſterij intenderet, interdum ab eius colloquio receſſit, quamuis præſentiret iam magna molientem in corde.

Epiſtola diei 13. *Martij.*

PArum abeſt, vt de mei apud te memoria dubitem, & an obliuioni dederis hanc abyſſum peccatorum, penè ſum anceps. Si id feceris, fateor, iuſtè: non enim ea ſum, cuius nomen inſidere debeat cogitationi hominum; non eius meriti, vt pro me, rebúſve meis quemquam conueniat ſollicitum eſſe, vel apud homines, vel apud Deum. Spero tamen viſcera paternæ tuæ charitatis minimè fore reſtricta erga miſellam filiam tuam, quam per omnes dies Deus Optimus Maximus iubet eſſe magis, ac magis tuam. Iam verò quoniam maximè incertus eſt aduentus ad nos tuus, te commonendum putaui hac chartula de immutabili prodigalitate diuinæ miſericordiæ, deque mea ſemper eadem infidelitate. Ille antiquæ pietatis præclara officia in dies propagat, probatque plenam beneuolentiæ voluntatem erga ingratiſſimam Nanulam ſuam. Characteres ſacri Nominis ſui in corde meo reformauit, vultque illic eſſe in omni caſu refugium, roburque meum. Heri obtulit, exhibuit, dedit ſe totum mihi, & vt manu caperem ſuadebat, faceremque quicquid mei eſſet arbitrij, ſic effatus; *Olim in horto tradidi meipſum in manus inimicorum meorum ad ludibria, ad cruciatus, & ad mortem: nunc tibi me trado ad amandum, ad veneration em, & vt mihi inſeruias.* Impertitus eſt inſuper mihi cor ſuum, cor ſuaue, cor mite, quo illatas ſibi iniurias, & contumelias æquiſſimo animo tulit, præcipiens, vt pari æquitate perferrem probra inferenda mihi à proximis. Sit ſemper integra mihi hæc pro Deo voluntas, ſitque ſemper Deus voluntati meæ tota fortitudo, totus amor. Vale.

Additiones.

Ad intelligentiam eorum, quæ poſteà euenerunt hac ipſa die nona, memoria recolendum eſt, ſponſum quum Ieroſolymam conſcenderet, imperaſſe ſponſæ, vt ſibi adeſſet aſſecla, eo quòd vellet habere ſectatricem in toto certamine ſuæ paſſionis. Primùm igitur intereſſe illam voluit in horto, deinde in domo Pontificis, participemque fecit dolorum ſuorum. At dum huc illuc vinctus raperetur, reuinctum ſeſe oſtendebat,

Digitized

non manicis, aut funiculis satellitum, sed catenis amoris, cuius tanta esset violentia, vt etiam captiuum teneat Deum; non enim contortis funibus alligatur, neque ferreis compedibus constringitur Deus, sed laqueo amoris? Ideoque exclamabat; *Fortis es vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio, actio tua, actio ignis, atque flammarum:* vt habetur *Cant.* 8.

Posteà verò quàm consortem dolorum aliquandiu feciſſet sponsam, transmigrans ad dulcia amorum commercia, ex improuiso eam inuitauit ad amœnitatem vinearum, allexitque illis verbis *Cant.* 7. *Egrediamur in agrum, videamus si floruerit vinea, si flores fructus parturiunt.* De huiusmodi inuitatu extra rem præsentem attonita sponsa siluit, cúmque mentem inuitantis minimè perciperet, contemplandæ atrocitati cruciatuum perstitit immota. Sed vi diuellitur ab eo aspectu, & inuita trahitur ad sequelam sponsi, qui passim per viam se fatigatum fingebat. Æstimabat illa, ex capturæ contorsionibus; verùm aliò tendebat sponsus, & apertè causam fatigationis referauit iis verbis *Cant.* 2. *Quia amore langueo*: versusque ad sponsam rogabat; *Tu verò pro refocillatione fulcito me floribus, stipato me malis.* Quid hic illa ageret, prorsus ignorabat, iam impotens sui, & consternata de tanto profluxu diuinæ benignitatis. Tamen pedetentim progrediuntur ad vineta, & dum itur, ad solatium amantis ægri corda inuisuntur, & cordium affectus. Tandem in quæsita vinea sistitur. Ibi sponsus auspicatus longam sermocinationem, cum alluſione ad primitias suæ Passionis; *Hæc sunt*, inquit, *primordia operis mihi à Patre demandati, sed te quoque vnà mecum collaborare necesse est. Ego quidem vineæ cultor, sed tu quoque cultrix; dispertitis namque operum vicibus vtrique insudandum est in hac cultura.* Tum clariùs reuelans latentem sub cortice sensum, addidit: *Vinea mea tu es; ego illam manu mea plantaui surculis sectis de cœlesti paradiso; ego rore gratiæ meæ irrigaui, & donorum pinguedine fœcundaui. Huius ego vineæ colonus esse volo, & iam operi meo manum admoui, vt aptè, & concinnè instructa, diues floribus, fructibusque resplendeat. Attamen te quoque colonam assumo, vt vineæ fœtus mecum enutrias, & mihi languenti subuenias florum varietate, & frugum vbertate. Vis nosse quos à te flores expetam? quos fructus à vinea expectem? Feruentia, & quæ nunquam lentescunt amandi Dei desideria, flores sunt; actus virtutum imperante*

Digitized by Google

rante Dei amore, sunt vineæ fructus. Post multa vinitor vineam, vineæque colonam in thesauto, ideſt in corde ſuo recondidit; & quos ſe pati præmonſtrabat amoris languores, transfudit in cor amatiſſimæ ſponſæ, fecitque vtrique communes. Sermocinationem verò claudens aiebat: *En tu mea penitus es, ego omninò tuus, & peramanter tuus; ego tecum, ego pro te, ego in te, ego peramanter tuus, tu quoque penitus mea.*

Incaluerant profectò nimis incendia amoris diuini tranſactæ noctis ſilentio; nihilominus dies, noxque altera eſcam adhuc altioris flammæ miniſtrarunt. Parum fuerat corculum ſponſæ Deo frui, Deo ardere, Deo ſine exceptione ſubeſſe; ſponſus poſſeſſam voluit extraordinario dominatu poſſidere, vnitione arctiori ſibi agglutinauit, in ſemetipſum transformauit, penitiore feriit amore, tædis flagrare fecit calentioribus, vnde ſponſa in deſperato habebat matutinam lucem videre. Iſthæc neque ego ſcripti penicillo depingere, neque illa ſenſu adhuc obtuſa ſatis valuit exprimere, compendio referam.

Sub-veſpere concinebantur pleno choro encomia, ſeu Litaniæ Sanctiſſimi Nominis Ieſu. Quoties eius nominis reſonabat inuocatio, toties illud per manum ſponſi altiùs infigebatur cordi, atque inteſtinis ſponſæ, ictu, & acumine adeò penetranti, vt cor vndequaque contuſum, plagiſque confoſſum, crudeli dolore penè ſolueretur. Puta ſigillum ferreum ignitum ſuperpoſitum ceræ, cui etiam de brachio robuſto malleus allidatur, iteratiſque ictibus in profunda impellatur: ſic ad quamlibet inuocationem Ieſu, quaſi repetitis ictibus à manu validiſſima ſacrum nomen in intima quæque viſcera impingebatur, relicta plaga; quodque amplius eſt, plagis acceſſit ignis, cordis cuncta adurens, animæ verò, & corporis medullas conſumens.

Litaniis contigua erat hora meditationis; nequaquam hîc opus fuit flabello ad excitandum ignem; candentes etiamnum flagrant in camino prunæ, voluuntur vndique flammæ, & in ingentem rogum omnia ſurgunt. Conſummatur denique actio tota largis benedictionibus, de quibus ſponſus ſic eſt conteſtatus: *Benedictiones meæ non ſunt vanæ inaugurationes hominum, quæ ſono quidem aures ferunt.* Quod ſanè ita eſſe etiam hoc loco experta eſt ſponſa.

Digitized by Google

Nox diu fuit insomnis, & iis, quæ in die acta sunt, valde consonans, amoris tamen symptomata habuit vehementiora, adeò vt sponsa se crederet exanimatam. Præludium amorum fuit emanatio fontis nitidissimi sursum scatentis, animamque sponsæ à centro ad confinia copiosissimè perfundentis, emundantis, & liquore suauissimo inebriantis. Inde secuta est noua, & intima ex ambobus in ambos transformatio, eodem propè modo, quo ex farina, & aqua coalescit massa panis. Post reditur ad inspectiones cordium, & ad symbola litterarum, dicente sponso: *Eo amore sumus inter nos, quo fuimus, & quales mutuæ litteræ signant: quos dignitatum gradus litteræ in me tuæ promittunt, iis gaudes: quæ officia litteræ in te meæ spondent, iis integrè gaudebis.* Quo autem præsentior, atque efficacior foret litterarum commemoratio, sub vno oculorum aspectu, velut in parua tessera posuit omnes earum hactenus explanatas significationes, duabus numero superadditis, videlicet super V, in nomine V. Iesu, quo vitam designari aiebat, eo quod ipsemet esset vita sponsæ; & super T, in cognomine sponsæ, quo dicebat T. denotari tabulam, eo quod anima ipsius esset tabula rasa, & nitida, in qua solebat describere placita sua vniuersa. Dum hæc hinc inde dictitantur, auscultabat sponsa, dictis adhærens, & contemplans animam suam refulgentem in medio sphæræ lucidissimæ. Dabit his dictis lucem aliquam epistola sponsæ.

Epistola diei 15. Martij.

ETiam, non inficior, etiam, atque etiam fateor, mi amantissime, & vnice Pater: ita est, reverà ita est: miserum corculum istud totum Deo subest, planè totum Domini Dei est. Quin in hæc paucula verba excurrerem, obsistere nequiui, ne quid mei lateat te, stimulos præsertim addente diuinæ clementiæ munificentia, quæ me supra solitum ditauit bonis suis hesterna die, & adhuc affluentiùs postrema nocte. Disrumpi vincula huius molis corporeæ putabam, & mox sine vlla mora spiritum in astra euolaturum. Heu me, clementissime, ac benignissime Deus! ecquando id erit? Quandonam ita fiet? Animulam hanc in vnam tecum rem traduxisti; & quemadmodum de præstantissimo flore farinæ, & lympha excurrente compingitur,

Digitized by Google

gitur, & coaleſcit maſſa papis, ſic inopem Nanulam tuæ commiſcens bonitati, conſortem quoque tuæ maieſtatis effeciſti. Vt Deo conuenientes ſint gratiæ, Pater dilectiſſime, quo ſubſidio, qua iuuer ope, præterquam tua? Rogo te, dum ſacra feceris, in holocauſtum porrigas Patri omnipotenti Filium, & cum Filio Nanulam ſponſam: eò namque tendit præſens epiſtola, vt largitori, & immortali Deo honor, gloria, & gratiæ habeantur. Vale.

Additiones.

Exoriente mane altero, ſtudium meditantium verſabatur in ponderanda alapa Chriſto inflicta in domo Annæ. Sponſa immotis oculis mentis inhærere tentabat ſpectando flagitio illatæ alapæ deturpantis faciem ſponſi. Quid verò? Sponſus pro alapa decorem, lucemque obiicit vultus ſui, in quo triumphant deliciæ Patris, in quo cælitum omnium ſplendet conſummatio beatitudinis. Hìc iam non vltra verborum, ſed amabilium aſpectuum congreſſu res agitur. Ille aſpectabilem, cæleſtique iubare coruſcantem expandit vultum. Iſta ſilens totis luminibus intuetur, dumque intuetur, tot dulcia amoris ſpicula, totque cruenta amoris vulnera ſuſcipit, quot humus meridiano, æſtiuoque ſole radios; eodem tempore deliciis amoris affluens, eodem quoque telis amoris ſauciata, æquos dolores, ac delicias paſſa intuendo. Quare tot, tantiſque fauoribus impar ſuccubuit imbecillis, quærens ſeſe latebra opaciori occultare, non vltra capax pudoris, altioriſque admirationis; & ab imo pectore crebra ſuſpiria ducens lugebat; *Heu me miſeram, heu me quid agam! quò me vertam?* Exceſſit autem penitus à ſe ipſa, vbi reuerſa ad conſiderationem alapæ audiuit ſponſum aſſeuerantem ſe ex eius amore alapam alacriter ſuſtinuiſſe.

Inter hæc volens ſponſus demonſtrare exemplo, & experimento grauitatem peccatorum, ſponſamque ab iis deterrere, cor ipſius compreſſit, & ferè extinctione ſpiritus enecauit, appoſita maſſa ferrea ponderoſiſſima cordi ipſius. Oh quantum, oh quoties omne peccati genus, omnem vmbram peccati exhorruit, deteſtata eſt, & execrata! Centies, & pluſquàm centies exclamauit; *Nunquam, nuſquam, nullo modo, nulla vi, ſi vnquam poſthac: potiùs mori, nam emori præſtat.* Tunc quantulumcumque

ſibi eſſet reſidui halitûs vitalis, lubens, & alacris perdidiſſet, ne inter viuos ſuperſtes aliqua humanæ labis guttula inficeretur, néve tantillo viſco amoris profani fœdaretur.

Succeſſit meditanda trina negatio Petri in domo Annæ: ibi ſponſus non oblitus magiſterij ſui, admonuit ſectatricem ſuam omni ſtudio, ac diligentia cauere ab arrogantia, & præſumptione ſpiritus, quæ Petro in tam triſte infortunium, & ruinam fuere, quæque aliquando vineam, ideſt animam ſponſæ demolitæ ſunt. De hac re extat epiſtola ſequens.

Epiſtola diei 17. Martij.

QVòd hac luce colimus feſtum Sanctæ Gertrudis ſponſæ Ieſu Nazareni, monet me, vt preces tuas, in quibus multùm ſpei mihi conſtitutum eſt, auxilio implorem. Summoperè concupiſco humilitatem mentis, fidelitatemque in iis, quæ ad gloriam, & cultum Dei pertinent, quibus hæc fideliſſima ſponſa plurimùm valuit apud ſponſum, & gratia, & animi coniunctione. Vt verò has virtutes peterem, etiam inſtigauit me Dominus, dum hoc mane meditationi incumberem, & ratiocinarer mecum ſuper trina negatione Petri, ex nimia ſui præſumptione. Indagabam ego per omnes animæ meæ latebras, num alicubi iaceret fera iſta, arcana ſcilicet mentis præſumptio, aut arrogantia. Præ nimia cæcitate mea nullibi quidem vidi iacere; radices tamen inſitas naturæ corruptæ comperi, quas ab vltimis fibris de me auelli deprecata ſum, ne vt aliàs tam acidos, venenatoſque fructus progignant. Vrebar dolore acerrimo, conabarque lacrymis eluere delictum meum, quòd aliquando aditum in vineam Domini patefecerim huic monſtro, fructum omnem diripienti. Cæterùm ſponſus adeò perſpicuas fecit oculis meis imbecillitates, malaque mea, & vt veriùs dicam, nihilum nihili mei; atque ex aduerſo immenſas diuitias miſericordiæ ſuæ, quibus vltrò, largiterque Nanulam ſuam immeritam ditauit, vt eius veritatis luce offuſa, ſubter ipſum nihilum redacta ſim; & quæritans latibulum ſatis obſcurum, ſatis occultum, quo me profundiùs retrudam, nullibi adinueni. Sed quid ego ibi remedij? Congere pro filiola tua gratias infinitas Deo, qui beneficè ſemper egit mecum, ex quo

te allocuta sum. Etiam duplici veste ornauit me, charitatis, & puritatis, quales ostentauit in Transfiguratione sub specie niuis, & solis. Reliqua prosequar cùm te primùm videro; nam in præsenti laboro angustiâ temporis. Rogo significes mihi, vel littera, vel sermone, an consentias, vt ad eum, in quo residet omnis amor meus, accedam in synaxi: profiteor indignitatem meam; bis etenim, ac etiam tertiò non satis fideliter egi, inconditè per inconsiderantiam locuta, quod parum amicè à sorore auditum, acceptumque fuit, & non nihil eius spiritum turbauit. Vt ad resipiscentiam ipsam reuocarem, egi duriusculè, fortè magis, quàm eo tempore par fuerit. Id ego feci, vt erranti lapsum palam facerem, & imprudentiam meam eodem tempore magis patefeci. Quod tua feret voluntas hac in re, æqua id voluntate feram & ego. Vale.

Additiones.

Quoad Transfigurationem, de qua in Euangelio Dominicæ secundæ Quadragesimæ, & de qua etiam in præfata epistola, sponsus ante omnia sponsam compellabat iisdem verbis, quibus olim Diuum Augustinum; *Tu mutaberis in me, non ego in te*; & accedens ad opus ipsum, illius animam intimè sibi coagmentauit. Priùs tamen quàm ad id accingeret se, ab omni labe perpurgauit, candore suæ gratiæ dealbauit, splendentique luce inuestiuit, vt hoc modo consimilis esset, & compar decori sponsi, cui in monte facies resplenduit vt sol, vestimenta autem facta fuere alba sicut nix: *Dedecet*, inquiens, *sponsum, ac sponsam dispares esse, aut discordes coloribus. En candida mea, niue candidior mecum est, & mecum solis superat splendores.*

Prolixiùs autem pertractæ sunt collocutiones de Mysterio Transfigurationis, tum mane, tum serò, horisque nocturnis. Exordium sumpsit sponsus ab illis verbis *Matthæi* 17. *Loquebantur de excessu*; distinctim enumerans duros labores, & ardua facinora, quibus eum subiugauerat potens amor in sponsam, & eandem incitans stimulo grati animi, mutuique amoris ad pares excessus. Quod vt illa magis perspicuè intelligeret, repetendo priscos titulos litterarum, vnicuique excessum, quem optabat, combinabat hoc pacto: *Esto amans cum excessu, Nana cum excessu, cum excessu amica, fertilis vinea cum excessu*: & eodem

dem modo de reliquis. Interdum quoque ſpectandis litteris cordium vacatum eſt, ſuperadditis pluribus, iiſque nouis explanationibus (quo monito proſcripſit amorem remiſſum, & omnem operandi languorem) quarum longior foret repetitio. Siſto in ſolo G, quo ſponſus ſignificari dicebat nauiculam (*Gondole*) geſtantem thura, eo quod ipſa ſponſa debeat bonum odorem orationum ad Deum, & exemplorum ad proximum continuò emittere. Tandem concluſit; *Qualis ſit meus in te animus, cognoſce ex meis litteris: qualis ſis apud me, cognoſce ex tuis.*

Epiſtola diei 20. Martij.

PErmultùm debeo, Reuerende Pater, de tua animi facilitate, qua præſto eras heſterna die conuenire nos, & propria dextera diſpertiri alumnis tuis angelicum illum panem, quo per longos annos impinguatus fuit ſanctiſſimus Ioſeph cuſtos, & nutritius Saluatoris. Deo eo fuit heſterna apud nos meditatio, in qua videbar audire dulciſſimum Ieſum dicentem; *Inſpice quanti fecerim, quámque lætanter triumpharim inter lilia, roſas, cæteroſque virtutum flores, quibus me paſcebant dilectiſſimi Nutritius, Genitrixque mea. Dudum oblectauit me ſupra modum pia eorum conſuetudo; alliciebant humilitas, puritas, ſilentium, charitas, conſtanſque perſeuerantia, quibus etiam incrementa quotidiana viciſſim ſuppeditabat præſentia mea. Quocirca, ſi me cupis, familiaritateque mea vti diu, paſce me aſſidua fruge, & exercitatione earumdem virtutum; efficiamque ego pro parte mea, vt influxibus præſentiæ meæ pingueſcant, & in immenſum excreſcant.* Hoc dicto exarſit in me amor vehemens, & tota ſum in illarum deſiderio: dari mihi, deprecatore Ioſepho, poſtulaui; & ſi dentur, praxim promiſi. Ioſepho autem, quando maiora non poſſum, ſummas egi gratias, quòd tam benignum, præcellentemque Dominum enutrierit, & tam ſpecioſum ſponſum educauerit mihi: congratulata ſum inſuper ipſimet de adepta in terris dignitate, Deo autem de collata illi in cœlis gloria. In ſynaxi nihil meæ operationis fuit, totam abſorbuit amor diuinus, acquieui omnibus; quid enim agerem? ſic enim viuitur cum Deo: & de his ſatis hoc tempore, in veſpere enim parum Deo auſcultans fui, inuita diuerti

ad

Digitized by Google

ad vrgentiſſima, implexaque negotia monaſterij: ſed audi rem nouam. Heri viſum eſt mihi volitare obuias neſcio quas cogitationes tentantes pedem ponere in arce cordis mei, propitio tamen Deo prohibitas ſenſi euanuiſſe ab ipſo primo aditu. Ego enim vehementi conatu complexa Deum meum, cui hærebam firmiſſimè, aciem mentis nunquam ab eius aſpectu declinaui, qui mihi portus eſt tutiſſimus, & aſylum inuiolabile; ſucceſſitque res ex ſententia mihi. Porrò ex hac moleſtia exploratum habeo, quod qui nauiculam ſuam per huius vitæ procellas agere cupit placidiore curſu, vultque ſaluam in portu collocare, nullo tempore lumina ſua dimoueat ab inſpicienda cynoſura diuinæ bonitatis, & auxilij; firmiore namque, quàm noſtro præſidio, egemus omnes. Vale.

ADDITIONES.

De poſtrema parte huius epiſtolæ latiùs in ſequenti. Interea reſumpti ſunt conſueti deliciarum modi, dumque ſponſa ægrotanti ſodali inſeruiret, ſponſus lectulum ſibi ægro ex amore mollem, ac delicatum in corde ſponſæ ſterni depoſcebat, oſtendens ſe velle molliter quieſcere in ipſius memoria, cogitatione, & affectu. Ad augendam inſuper fiduciam, mira ſuaueloquentia conteſtatus eſt, nil imminutum ab iis officiorum generibus, quæ ſibi per litteras ſacrorum nominum aſſignata fuere. Quinimmò conſtanter comprobauit, ſe verè, & plenè eſſe eius animæ Ieſum, Chriſtum, & Nazarenum. Ieſum, quia Saluator eſt; Chriſtum, propter ſuauem vnctionem gratiæ ſuæ; Nazarenum, eo quòd ipſe ſit promptuarium omnium virtutum, quibus velut floribus illam exornat.

Sed ea die, quæ propoſitam habebat conſiderationem ſputorum, quibus Iudæi deturpabant ſpecioſam faciem Chriſti, ſponſus cogitationem ſponſæ aliò flectens monuit, vt amorem ſuum à rebus creatis auerteret; quia videlicet quoties inſanè huiuſmodi rerum delectationem admitteret, toties in eius vultu ſputa euomeret, quod & hac ratione probauit: *Quid aliud eſt anima tua, quàm diuini vultus imago? Quid verò aliud res creata, ac ſtultè dilecta, quàm ſputum inuſtum huic imagini? Ergo quandocumque aliquid male ſanè diligis, toties vultum meum turpiter con-*

ſpuis. In ſynaxi deinde imaginem ſuam reformauit appoſitione vultus ſui.

Epiſtola diei 23. Martij.

COnuenit, & ratio neceſſitatis hodie poſtulat meas ad te litteras, quibus certò perſpicias vnà ſimul & anguſtias, & lætitias pauperculi cordis mei. Nil te celabo. Durum certamen paſſa ſum hoc triduo; inſurrexit hoſtium meorum ſæuiſſimus, eo infenſior, quo domeſticus. Putrida caro ſtimulos ſuos exacuit, & ex naturæ corruptela deprauatus ſenſus inſolenter tentauit ſubducere ſe legi ſpiritus. Sed Deo iuuante, continui conſtans; & hoſtis fræno rationis fortiter repreſſus, conquieuit. Pugnam ſuſtinui miſeratione dignam, licet non vſque adeò peruicacem, vt aliàs. Iſta inſolens impugnatio non mediocrem mouit ſuſpicionem, aut potiùs formidinem occulti in me criminis; & vt ab ea liberarer, inceſſanter clamabam, *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*; quærens propugnari, ac ſuſtineri forti brachio diuinæ virtutis. Quamuis autem talem luctam toto ſtomacho abhorrerem, ſubdidi tamen me ipſam, & etiamnum ſubdo cunctis Dei conſiliis, ac arbitriis, quidvis potiùs perpeſſura, quàm immutatura propoſitum, parata agere, pati, abſtinere, ſuſtinere quodcumque fuerit placitum Deo, cui res, rationeſque meas omnes ſubmiſſas volo. Acerbitatem pugnæ poſteà leniuit ſponſi mei amabalis præſentia, dulciſſimique affatus, magnam conſolationem, animique vigorem perferentes certitudine tutaminis ſui, & arguentes eodem tempore, me non alia de cauſa fuiſſe communitam armis ſuis, quàm vt ad pugnas tutior, atque audacior exirem, & ſtrenuè dimicando illuſtres mihi victorias efficerem. Obiiciebam ego proprias infirmitates meas, quibus eneruata non niſi ignauiter arma mouerem. Trepidam ille confirmauit, iterum pollicitus fore ſe patronum, roburque meum, dummodo in ſuſcepta fide, atque conſtantia permanerem, ad ſe lumina ſemper mea vergerem in omni vexatione, comtemptu, ac dolore. Cæterùm eadem via incedendum mihi, quam ipſe prior peragraſſet, tentandumque ad ſe propè accedere voluntate, ſi perfecta imitatione nequeam. Hoc verbum

bum innouauit in me gaudium, ne dicam deſiderium vehementiſſimum, aliquid pati pro Chriſto meo, qui enumeratis mihi ludibriis, ac ſuppliciis paſſionis ſuæ, petiit reponi ſibi pro eis tantumdem honoris, laudis, & cultus; docuitque quo modo id facerem. Pluribus ſingula perſcriberem, at prohibeor temporis inopia, complebo voce. Scripta ſunt hæc ante orationem, à qua iamiam regredior, ſed quantum mutata ab illa? Suſtine parumper, quid noui acciderit profero. Clementiſſimus, & miſericors Saluator meus de ſtabiliendo regno Dei in hac animula verba habuit, dixitque ſe facturum hoc opus in ſynaxi, ſed longioris moræ impatiens fecit eodem in loco. Monuit tamen nolle diuidi regnum iſtud, quia diuiſum non placet. Expoſuit quoque quibus legibus, ac conditionibus componeretur regnum ſuum, & memorauit iuſtitiam, pacem, & gaudium in Spiritu Sancto. Ego receſſi inde ſumma cum animi iucunditate, quæ me tenet & coſolationis plenam, & bene ſubactam Deo, cui volo ſemper viuere coniunctiſſima. Multùm in eo ſacrificia, preceſque tuæ adiuuabunt, vt ab ipſo robur inuictum, & inuiolabilem conſequar fidelitatem. Vale.

Additiones.

Obſerua forte certamen aduerſus erigentem ſe hoſtem, quem cum ab initio luctæ ſuffocare non potuiſſet, ad ſponſi patrocinia recurrit. Adhuc enim in ipſa pugna mente cohærebat caſtiſſimo ſponſo, perinde ac ludente populo in radicibus montis, Moyſes in ſummitate colloquio Dei intendebat. Auxilio opportuno minimè fraudata fuit, ſponſus properantem ad ſe extentis brachiis amplexatus tuto poſuit propugnaculo, timorem pellit, tremulam firmat, obiiciens; *Quid trepidas? An non quot litteras in corde, tot arma geris in pharetra, quibus ego te defenſito?* Tunc infudit in pectus belligeræ ſuæ tam generoſos ſpiritus, vt inſtar caſtri duplici vallo, multoque milite muniti, cunctos impetus inimicorum contemneret. Angebatur tantùm ſponſa de culpa, quæ aberat omninò; ſed hac etiam moleſtia leuata fuit mellito eloquio ſponſi, qui demonſtrabat culpam non adeſſe reluctante voluntate.

Inter plura ratiocinatus eſt de neceſſitate tentationum, & oſtendebat,

Digitized by Google

oſtendebat, quàm conducibile ſit, & proficuum mortalibus ſubeſſe incurſionibus inimicorum, impeti, vexari, non tamen vinci. Propriæ infirmitatis, aiebat, periculum ita facientes, caſtam ſemper animi modeſtiam, humilitatem, atque timorem enutriunt: nec ego minoris facio milites meos intrepidè ſuſtinentes impetus, atque luctamina aduerſariorum, quàm eos, qui crebrò refecti rore benignitatis meæ, æquabilem vitam agunt. Sedata ergo pugna, partaque victoria, pulſis vndique nubibus, ſerenatur omninò animus bellatricis, & quò atrocius extiterat certamen, eò feſtiuior ſecutus eſt triumphus.

Quoniam verò corona ſanctitatis conflatur non de deliciis, aut de conſolationibus, ſed de actuoſa, & dura praxi virtutum, collige ex epiſtola, quantis virtutum inſignibus effulſerit præſens conflictus: ibi namque emicant odium capitale peccati, ibi timor offenſæ Dei, ibi humilitas non verita cum Apoſtolo Paulo committere chartis occulta carnis tentamenta; ibi fortitudo animi in lucta, orandi Dei impigra ſollicitudo, mens ad certamen parata, erecta in Deum fiducia, gaudium pati cum ſponſo, promptitudo ad agendum nil minùs, quàm ad ſufferendum, & non inferioris meriti aliæ.

Ex impugnatione carnis timuit peccatum occultum; quia non rarò accidit, vt ſic vlciſcente iuſtitia Dei peccatum peccati pœna fiat, teſtante Apoſtolo *ad Romanos* 1. Deum tradidiſſe Gentes in immunditiam, quia cùm cognouiſſent illum, non ſicut Deum glorificauerunt. Ita peccata inhoneſta ſæpe ſequuntur elationem mentis, ignauiam, & otioſitatem, proximi contemptum, & alia. Quorum delictorum ſponſa facto ſcrutinio conſcientiæ ſuæ, nullum in ſe reſidere reperit. Quare quod paſſa eſt, à ſola natura, aut à dæmonio eſt.

Mentionem autem facit de regno Dei in calce epiſtolæ, ex eo quod iam acceſſerat Dominica tertia Quadrageſimæ, in qua leguntur illa verba Chriſti Domini apud Luc. *cap.* 11. *Peruenit in vos Regnum Dei.* Ea occaſione ſponſus erexit thronum regni ſui in corde ſponſæ, & docuit in quo conſiſteret, adductis verbis illis Apoſtoli *Roman.* 14. *Non eſt Regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & gaudium in Spiritu ſancto.* Quæ tria ſtemmata regni ſui includi dicebat tribus illis dictionibus ſculptis in corde ſponſæ, IESVS CHRISTVS NAZARENVS. Hoc pacto: Ieſus iuſtitiam notat,

tat, quia Iesus factus est nobis sapientia, & iustitia, 1. *Chor.* 1. Christus stat pro vnctione, & suauitate pacis. Nazarenus pro gaudio spiritus; gaudium enim spiritus inter flores virtutum colligitur. Eiusmodi verba mentem sponsæ exhilarabant, sed dona maiori dulcedine cor demulcebant, cui sponsus tria illa donaria iustitiæ, pacis, & gaudij contulit; seque huius pacifici, atque florentissimi regni supremum dynastam regio apparatu, ac spiritu comprobauit, cuncta sponsæ arbitria manu, ac nutibus suis regens. Post hæc nulla diei hora suis caruit sacris lenociniis, dumque interiora cordis ternario illo stygmate Iesu Christi Nazareni dulcescunt, etiam os, & labia sine interuallo, balsamo suauissimo imbuuntur.

Sero eius diei factæ fuere nouæ pollicitationes diuini patrocinij erga cor sponsæ; fuitque constitutus pro vadimonio secundus versus Psalmi 147. *Quoniam confortauit seras portarum tuarum.* Sponsus enim, & Rex quodam cum plausu asserebat, cor istud esse vnam de nobilioribus ciuitatibus Regni sui, discrimine multo à se acquisitam, cuius propterea portas robustis seris, & repagulis ferreis, fortibusque militibus præmunierat aduersus omnem vim oppugnantem. Quid tu esse cogitas robustas seras, quid ferrea repagula, & milites custodes, tam fortiter eludentes omnem hostilem machinationem, nisi charecteres impressos in corde sponsæ? *Hæc sunt arma*, aiebat sponsus, *hæc repagula portarum, hi armati milites, qui excubias faciunt ad omnes aditus mentis, ne quid mali ingrediatur.* Ex qua plausibili expositione sponsa concepit insuperabilem fiduciam erga Deum, roburque animi martium, & spiritus leoninos, audax non solùm sustinere, sed & aggredi quamlibet turmam hostium; sentiebat quippe cor suum solidis quibusdam velut seris, & ferramentis circumclusum, necnon claustrum animæ versum esse in arcem inexpugnabilem.

In prouigilio Annunciationis Beatæ Virginis discipula hæsitans, in quam partem inclinaret cogitationem suam, ad recolendáne mysteria Passionis, an ad recolendum beneficium Incarnationis Filij Dei, expectabat motum sponsi, quo optante contemplationem Incarnationis, consilium Magistri secuta est. Vnde intelliges eam non proprio studio, ac voluntate, aut humana industria regi, sed diuino nutu, & influxu. Ea occasione

ſponſus patefecit exuperantiam diuini amoris erga genus humanum ; ſed diſcipula pleniſſimos riuos ſuauitatis angelicæ cum cœleſti doctrina percepit.

Epiſtola diei 25. Martij.

PRouoluta pedibus tuis, quam dudum deuoui, iterum tibi ratam facio obedientiam, edocta exemplo, & reſponſo ſacratiſſimæ Virginis ad Angelum ; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Tu verò de me ſacrificium ſolue Deo, qui me tibi, te mihi donauit in ſancta dilectione, & pura charitate. Habeo pariter gratias immortales Ieſu Chriſto Nazareno meo, qui per heſternam abſolutionem manus tuæ Nanulam renouauit, ac recreauit. Bone Deus, quàm lata eſt miſericordia tua, & quàm demiranda ? Vermiculum terræ merſiſti in pelago immenſæ bonitatis tuæ, ac ſi tuus ſinus ſit centrum huius vermiculi, & ſedes huius nihili. Quid demùm faciat hoc nihilum ? Qua via ſibi, rebuſque ſuis conſulat ? Sed eam curam Deo, ad quem ſpectat, remitto, alioquin modum, quo extricem me, non poſſideo. In nocte proximè elapſa, ante ſomnum iterum participem me fecit ſuauitatis ſuæ, guſtatu illius fructus, quem ſinus virginis concepit de Spiritu ſancto : vtvt potero rem geſtam promam, neſcio an ſat intelligenter. Videbar ſtare in conſpectu Sanctiſſimæ Trinitatis, non procul ab ea, quæ eſt Mater pulchræ dilectionis, cui congratulabar de ſibi cælitus dato fructu benedicto ; videbar enim eodem tempore intima aure cordis ea verba percipere ; *Benedictus fructus ventris tui.* Tunc idem fructus delatus fuit huic Nanulæ ad veſcendum ; ſed eius ſucco tam citò ſaturata, & plena extiti, vt effuderim ; & niſi me Spiritus ſanctus obumbraſſet alis ſuæ protectionis, defeciſſem, pugnantibus in me ſimul ſagittis amoris diuini, pudore, & cordis dēpreſſione. Sit Deo Optimo Maximo per omne æuum gloria, illum propero venerari, & amare, ipſi cohærere, & gratias agere in curriculo noſtræ meditationis. Quare finem epiſtolæ, ſed non amandi Dei pono. Vale.

Digitized by Google

ADDITIONES.

Exemplo Beatæ Virginis autem, fidemque præstantis Archangelo Interpreti diuini placiti, didicit in obscuro tramite cœlestium contemplationum audienda esse iudicia, monitaque eorum, qui Dei vices supplendo, reconditas, & hominum oculis rarò peruias veritates elucidant; illosque tuta via procedere, qui eiusmodi ductum, lumenque sequuntur. Quocirca sponsa volens carere arbitrio suo, hîc obedientiam, quam Directori deuouerat, ratam facit, ad verbum, ad nutum obtemperatura: quod sanè bonæ mentis, & cœlestis dictaminis solidum est argumentum. Suaues verò succos, quos de sibi porrecto fructu suxerat noctu, hausit tota die sequenti, idest ipso die festo Annunciationis, maiores tamen in synaxi, vbi fructus ipse reuerà præsens succos effundebat suauiores. Ibi signanter sponsus locutus de tribus illis vocibus insculptis cordi sponsæ, *Iesus Christus Nazarenus*, earum officia expleuit. Vt Iesus animam seruæ suæ seruandam suscepit patrocinio suo, vt Christus inunxit balsamo sui spiritus, vt Nazarenus ornauit floribus virtutum.

Vt autem cætera acta connectamus, quanti momenti fuit litterarum noua accommodatio! Quemadmodum enim sponsus antea conflauerat in arma, necnon in flores, tam eas litteras, quæ sunt nominis sponsæ, quàm suas; déque armis, ac floribus mixtos manipulos contexuerat, eadem nunc arte in coronas alligauit arrepta occasione à voce *Nazarenus*. Seriem ita accipito. Sponsus non ampliùs gerens partes Domini, aut Regis, sed summi, ac præpotentis Dei, infusa Diuinitatis suæ virtute in cunctos animæ sensus per fidem, profundissimamque humilitatem, nouo modo, ac potestate possessionem iniuit sibi subditæ sponsæ, mirificéque celebrabat glorias nominis sui inscripti in corde eiusdem, necnon pretium aurei characteris, sic affatus: *Aurum metallorum pretium est, & lux; at ego Diuinitate mea rerum omnium lux sum, & aurum. Vide num te non ampliſſima, penituſque ſingulari prærogatiua honeſtauerim, cùm te pro modulo tuo compotem Diuinitatis meæ effecerim. Verumtamen aliquid pro te meditor illuſtrius. Ego, tu noſti, ego ſum flos campi; ego nomen gero refertum floribus, ex his corollas contexere molior, imponendas litteris, quas digito*

meo

Digitized by Google

meo sculpsi in corde tuo; vt hoc modo sim arma, florsque tui, sim litteræ, sim corona, sim stemma, sim denique omne tuum. Dixit, & instar nymphæ carpentis selectos floſculos de pleno Calatho, vt in vaga ſerta connectat, corollas conſtruxit de ſuis floribus, per vnumquemque inſertum florem exprimendo donum alicuius virtutis, quo propria manu ſponſam locupletaret; inde ſuperimponens litteris, ſeu armis ſerta compoſita, ſic effatus eſt.

Ita coronari decet virtutum alta fastigia, non incunabula; non enim humili loco pedum, sed in summis verticibus capitum deferuntur coronæ. Sapiant gesta tua aliquid virile, sapiant aliquid insolitum, & gradu emineant heroico, vt coronentur. Militibus gregarius, & abiectis non decernuntur coronæ; sed si quis heros maximè ardua ediderit facinora. Poſteà tacuit; at verba hæc ingentes animos addidere ſponſæ, & ardorem perfectiſſimæ virtutis. Tamen admirans diluuia tantæ benignitatis, quaſi torrente voluptatis correpta, de ſede mentis ſuæ excuſſa eſt, & ſtuporibus tota die ſubmerſa.

Inter ſacra colloquia eius diei, nonnunquam ſponſus rogabat parari ſibi corda amantia, tacitè præmonens ſponſam ſtudij, ac operæ nauandæ imbuendis nouitiis amore Dei; nam cadente ſole, duæ virgines ſecedentes à ſæculi pompis, Monaſterio ſeſe, & vitæ cœnobiticæ deuouerunt. Sed in meditatione veſpertina ſponſus finxit ſe ad vnicum ſponſæ ſuæ corculum inhiare, neglectis cæteris, poſtulabatque illud ſibi quaſi tributo deferri, adhibita ſapientis petitione; *Fili præbe mihi cor tuum.* Subſidebat profectò cor ſponſæ vniuerſi ſponſi imperiis, nec erat quod ipſi refragraretur: attamen hoc loco abſtinuit ſponſus vti iure dominationis ſuæ, voluitque ipſam ſuapte ſponte, ex animo, liberè, & per elicitum arbitrij ſui actum commodare vſum cordis ſui. Quid verò? an multa prece opus fuit pro dono commodando? Neuter in hac conuentione lentior fuit, non illa offerendo, nec iſte acceptando. Acceptato munere ſponſus cor ſibi, ſeque cordi copulauit, nuncupans illud officinam ſuarum deliciarum, adducto elogio Sapientis; *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Ad hæc repetuntur mutuæ cordium traditiones, indubia amantium teſtimonia, nunquam tamen abſque fœnore ſponſæ. Noctu pulſo ſomno, Creator diei, ac noctis inſedit cordi, diutiſſimè egit cum vigili ſponſa, amabilem, delectabilemque principatum in ea exercens. Ad extremum tamen

noctis

noctis dedit sponsæ quiescere in corde suo, dum vicissim idem quiesceret in corde sponsæ.

Postera die per suspendium, & infortunatam mortem Iudæ, sponsus intentus fuit demonstrare sponsæ, quàm damnosum sit Deum relinquere; passaque est languores diuini amoris.

Sed ego diem insequentem multis præfero, quoniam elucet in ea, quàm ingeniosus sit amor, & quàm nouas benefaciendi artes omni die meditetur in ornatum sponsæ.

Expendebantur in oratione eius diei criminationes illatæ Christo coram Iudicibus, ad tria capita reducendæ, nempe quod sese vulgò iactaret esse Christum, esse Filium Dei, & Regem Iudæorum: stabatque sponsa in procinctu cum sociis, pietatis succum meditando expressura; sed ipso in exordio sponsus Regia cum Maiestate conuolans ad cor dilectæ suæ, illam à re proposita abductam cohibuit, potiùs Regni sui experimenta daturus. Hic itaque primùm cœpit prædicare præcellentias Regni sui in hoc corde, vt quod esset regnum iustitiæ, regnum pacis, & gaudij, in quo tanquam in quodam microcosmo, quæcumque sunt regiæ authoritatis, ac dignitatis, plenè, liberè, ac magnificè expleret, teneretque omnes facultates, & motus animi subiugatos nutibus suis, atque dirigeret nullo rebellante. Sic efferens Regni, regiminisque sui glorias, & quadam velut ambitione gestiens in solium conscendit, sedit-que, habenas Imperij sui capessens, & exercens despoticè, quem penes se solum esse dicebat eius cordis principatum. Vtque sponsa vim huius dominationis certiùs experiretur, copiosissimè irrorauit illius præcordia stillicidiis suæ dulcedinis, & penetrabili vitute suæ præsentiæ.

Verùm quoniam tanti regis amplitudini humilior, & angusta nimis est quælibet quantumuis spatiosa, & angusta habitatio, sponsus cœpit de loci, id est de cordis angustia conqueri, sic affatus; *Coangustata nimis est regio corculi istius, & tantæ Maiestati longissimè dispar: dilatetur oportet, vt quæ sunt summi, libertique domini insignia, & officia, honorificentiùs in eo peragantur.* Dixit, cordis ambitum dilatauit, regiam amplissimam constituxit, & ibidem, qua par est dignitate, Rex, Deusque glorianter resedit; quæ dum agerentur, sponsa sentiebat extendi sphæram cordis sui, & de exigua domuncula, in aulam regiam

commutari. Cœlestis verò sponsus suauissima sui præsentia regiam repleuit; cunctaque palatij penetralia, nec vilus remansit angulus domus diuina suauitate non oppletus.

Delabatur iam stylus noster ad reliqua huius mysticæ actionis, & qua methodo, quo fine, quo fructu tota res fuerit administrata, attendamus. Rex sedens in solio Regni sui longa concione disceptabat de legitimo, sibique proprio titulo Regis, de illius causis æquissimis, & de omni iure dominatus sui super corde sponsæ: post multa summum sibi ius statuit in ratione nominis in eo descripti cum appositione sigilli sui, quæ rei acquisitæ, & perspicuæ ditionis argumenta sunt, nullatenus controuersa. Contestatus insuper se ab hoc iure, & possessione nullo vnquam tempore abiturum, neque quicquam ditionis suæ alteri cessurum. Et his peractis prolixam dissertationem de litteris nominum insecutus est. Ad tollendam præterea omnem controuersiam ditionis suæ, voluit conscribi super idipsum cor syngraphum regium, quod Gallis est *le Roy*. Vt insuper conuinceret Iudæos falsa criminatione inquinantes æquitatem titulorum suorum, & calumniantes, quod inaniter sese plebi venditaret vt Christum, vt Filium Dei, vt Regem, de nouo impressit in corde sponsæ hæc ipsa nomina, quibus authenticè probaretur, se reuerà esse Christum Filium Dei, ac Regem. Impressit autem tali cum symmetria, vt litteræ venerabilis nominis Iesu, quasi quædam corona totam peripheriam cordis circumambirent, & reliquæ, tum recentium, tum veterum vocabulorum litteræ, quatuor lineas efformarent in area eiusdem; ita tamen vt in medio iaceret littera D, ab aliis seiuncta, & dictio Gallica *Roy*, impleret ipsiusmet cordis cuspidem, hoc modo.



Quid

Quid hic non magnum, non mirabile, non iucundum, ac diuinum præſtitit Sponſus erga cor, nil minus characteribus inſignitum, quàm cœlum ſyderibus? Sponſa de tanta dignatione erubeſcens, tota erat in inſpectione cordis cœleſtibus ſtygmatibus nobilitati, ſecum quærens quid hoc eſſet, neſcia quid vltra de corde, deque anima ſua faceret, ac tandem cuncta in manum Regis commiſit. Rurſum igitur Rex benigniſſimus prætergreſſus, vt ita dicam, decentiam Maieſtatis ſuæ, ſymbola nominum aduentitiorum cordi ſeiunctim, & per litteras, vt antea de aliis, expoſuit; hinc manu tenens cor figuris cælatum, illinc aures, ſpiritumque ſponſæ ad ſe trahens, non ſecus ac à pædagogo traduntur pueris elementa linguæ, legendi ratio, & verborum ſignificata. Exorſus enim à littera F, docebat per eam denotari *Filius:* per D, *Dei:* per V, *viui.* Dein verbum verbo copulans exurgere docebat, *Filius Dei Viui.* Denique priora cum poſtremis vno tractu colligendo, enunciari.

Iesvs Christvs Filivs Dei Vivi, Nazarenvs.

Ne exiſtimes nudam fuiſſe, ac ſimplicem litterarum expoſitionem: grauida fuit myſteriis, ac promiſſis, doniſque ditiſſima. Nam primò ſub littera F, declarauit obſcurum, inexplicabile, & nullo intellectu exploratum, ſed neque plénè explorandum arcanum filiationis æternæ, qua Filius ab æterno Genitore, ſeipſum contemplante, generatur eadem in ſubſtantia, & eſſe; ſpoponditque hanc dignationem ſponſæ collaturum, vt pro modo ſuo diuinæ filiationis particeps fiat, cùm & ipſe propter eam filius hominis fieri non ſit dedignatus. Pro littera D, diuinum aſſerebat eſſe quid immenſum, quod nulla ſpecies effingat, nulla meta conſcribat, nulla vis intelligendi comprehendat, ſolo magiſterio, ac lumine fidei aliquatenus attingendum; ac propterea velle ſe cor iſtud ea fide viuiſcere, eo lumine clareſcere, quatenus idem ipſe, qui eſt fons luminis, colluſtrabit illud clarioribus radiis fidei. Super V, ſubiiciebat; *Viuentem hæc littera notat, eo quod ego ſim vita rerum omnium, & omnis vitæ origo. Huius ego cordis ero vigor, ero viuida vita, vt non vltra viuat quàm de Deo, quam pro Deo, & per Deum.* Quod attinet ad verbum Gallicum *Roy*, quod ipſa cuſpis cordis adæquatè complectebatur, ita diſſeruit. *Tribus litteris vox iſta occupat imum cor-*

dis; tres ego Rex animæ tuæ facultates, memoriam, intellectum, & voluntatem meam præsentia impleo, & libero regimine moderor. Tunc, vt imperij sui fines adhuc latiùs propagaret, iterum regionem cordis dilatauit. Quantò adhuc magis protendi spatia contracti cordis expetebat sponsa? Quàm in longinquum exporrigi, vt regnanti sponso laxior fieret, immò interminatus agendi campus? Non potuit autem non ægra succumbere, dum isthæc fierent forti, acrique impetu diuini brachij, grauia perpessa non minùs sensu, quàm intellectu, tanta cum violentia, vt illam nec diei reliquum, nec ingruentis noctis aduentus potuerit mitigare.

Successit nouo opere ornata dies altera, sed quemadmodum, quæ recensuimus de regia possessione, de cordis dilatatione, de recenter inscriptis, explanatisque nominibus, penitus inexpectata inciderant: eodem quoque modo, quæ superuenere synaxi, præter mentem, & præter spem extempore suborta sunt, quantumuis disparata ab anteactis. Cæterùm tota actio tanta fuit conspersa mentis facilitate, tranquillitate, & animi suauitate, vt nullo negotio assequi possimus, non humano ingenio, sed diuino illapsu factam. Est autem actio.

Sponsa præter morem leui quodam morbiculo præpedita aberat à matutino conuentu meditantium; at non procul ab ea adfuit amantissimus sponsus, qui se prima fronte siticulosum, & multa siccitate ardentem effingens, quod olim à muliere Samaritana (cuius eo die legebatur historia) idem, iisdemque verbis poposcit à sponsa; *Da mihi bibere. Ioan.4.* Quem potum porrexisset illa, in quam repentinus stupor irruerat, quæque genus dandæ potionis ignorabat? Ambiguitatem ergo petitionis sustollens sponsus, inquit; *Aquam amaram contritionis sitio; eam, vt modò exhibeas, flagito.* Protulit confestim illa de fonte cordis sui amarulentum contritionis actum; in eo siquidem emicat huius magisterij sana disciplina, quod quo sublimiores futuræ sunt mentis eleuationes, eo rigidior præcedat animæ purificatio, deueniens ad minutulos vsque delictorum atomos, siue per sacramenta, seu per amariorem contritionem, siue per alios actus christianæ humilitatis, vt ipsa facies conscientiæ omni sorde detersa fiat aptior cœlestibus charismatibus.

Accedente itaque geniali hora sumendæ synaxis, sponsus in limine

Digitized by Google

limine ingressus sui, sparso igne per oris concaua, præsentiam suæ Diuinitatis testatam voluit; sed ne fortè sponsa in ponderanda re sensili diutiùs immoraretur, cunctas eius cogitationes ad se corripuit. Ante omnia iniuit nouam cordis possessionem, castos renouans diuinæ vnitionis amplexus. Inde familiares tractatus resumens contendit, nolle se ab ea vinci liberalitate: quis enim audeat beneficiis cum Deo certare? *Tu*, inquit, *calicem aquæ frigidæ sitienti mihi porrexisti, ego tibi rependam fontem aquæ salientis è centro cordis tui in vitam æternam. Aperiam plenissimam scaturiginem aquarum, queis affluenter irrigetur viridarium meum, & arbores fertili liquore fœcundentur.* Obstupuit illa, & mente capta est ad verbum viridarij, & ad irriguum liquorem arborum, nullatenus discernens, quid isthæc augurentur. At ecce nodum soluit sponsus subiiciens; *Cor istud viridarij loco mihi est, voluptatis, ac deliciarum viridarium, in quo plantaria speciosa de paradiso calorum dissecta deposui, litteras nempè nominis, cognominisque mei, quas mox arborescere volo, sicuti priùs herbescere, ac florescere feci.* Vix finem fandi fecit, cùm sponsa surgere vidit de solo viridarij, seu cordis sui pro litteris arbores virentes, proceras, & aspectu iucundissimas, quas diuinus ille opifex dirigebat in ordines compositos, interiacentibus ad ambulandum viis. Querebatur tamen de area arctiori, capiendis tot arboribus non satis laxa; dicebatque, areolam potiùs esse breuem, & compressam, quàm aream; ideóque elongandos terminos illius, & campum latiùs explanandum, quo vniuersis sinus amplior pateat, & cuique arbori suus commodior sit locus. Dictum facto ferè præuenit. In agrum ingentem diffusus est ambitus cordis, & laxis ordinibus, iustaque symmetria cuncta arbusta disposita. Stabant lepido circuitu arbores, quinque litterarum nominis Iesvs, figuram præferentes, & extremas pomarij crepidines in modum coronæ ambientes: visebantur in plano recta, longaque linea arbores aliæ de reliquis litteris efformatæ, medio, & æquali ambulacrorum interuallo distinctæ. In quamcumque partem spectaret sponsa, occurrebat viror ramorum, arborum proceritas, admirandus ordo, & incomparanda venustas. Hoc loco sponsus ridenti oculo contemplatus pulchritudinem viridarij sui, & plantarum amœnitatem, earum quoque conspectu sponsam recreabat, ac demum intulit; *Conijce immoderatam meæ boni-*

tatis abundatiam, qui in tam exiguo, humilique loculo delicias meas posuerim. Contice vastissimum pelagus misericordiæ meæ, quæ tam grandes torrentes bonorum in angustissimo corculo tuo deriuat. Illa tot aucta bonis, tot aucta fauoribus in profundissima sensa sui deprimitur, subterranea loca, tenebrasque petit, quibus ruborem, indignitatemque suam operiat; & quo maiora fiunt spatia cordis, eo ipsa minor iudicio apparet suo. Si tu illam quapiam indagando quæras, vix alicubi reperies. Totam rapuit arborum admiratio, totam absumpsit stupor diuinæ bonitatis, & sacer quidam horror Supremæ Maiestatis prostrauit; in nihilum redegit mentis humilitas, amor totam ignibus decoxit, deperdita est tota diuinis in amplexibus, denique in Deum periit tota.

Insequamur nos reliqua, & lætæ visionis mysticum scopum audiamus. Sic ritè, placidoque ordine digestis arboribus, sponsus herili potestate iussit aquam de fonte, qui medio in viridario prostabat, id est à littera D, seiunctim ab aliis litteris prominente, instar eleuatæ marginis emanare, sursum exilire, dein ad plenam viridarij irrigationem diffluere. Prorumpentem turgidis venis aquam, & ad singulas pomarij partes profluentem, summa quidem cum oblectatione cernebat sponsa, longè tamen maiori sentiebat profusionem gratiæ, dulcedinisque diuinæ, per intima, perque extima præcordia animæ suæ penetrantem; non enim superficie tenus humor ille cœlestis tellurem hanc alluebat. Ebibit totis sponsa medullis viuificum rorem, & largo mari melliflui liquoris arbusta natabant. Oh dulces latices ætherei fluminis! oh suauissimos haustus roris angelici!

Pergamus iam cum sponso ab aspectu, & irrigatione plantarum, ad eductionem frugum; non enim pulchris, & iucundis, sed proficuis gaudet sacra contemplatio. Commendabat ille in primis dignitatem, diuitias, ac feracitatem pomarij sui, eo quod arbores non tam irroratæ, quàm inebriatæ forent aquis vitalibus, & maturis iam fœtibus graueſcerent. Quid plura? Sponsa ipso in coniectu oculi pendentia vidit vndequaque matura, atque splendentia poma, quibus se lubenter vesci affirmabat sponsus: *Tulia*, inquiens, *tu mihi liberali, & nunquam torpente manu deferas; nam quæ in plantario cordis tui arbusta inseui, quaque lætis, ac fœcundantibus aquis luculenter humecto, abundè suaues progignent*

gignent fructus, qui cordi, palatoque meo vnicè sapiant. Verùm quia in discutiendis consiliis Dei hebes, atque cæcutiens est humani ingenij acies, sponsa quidem faciem pomorum intuebatur, sed non mystica viscera. At qui tam multa de arboribus, earumque fructibus fuerat prolocutus, idem tenebras sermonis sui ita dilucidauit: *Hoc loco litteræ meæ stant pro arboribus., eademque litteræ stant pro fructibus. Arbores sunt habitus bonarum virtutum, poma, id est opera generantes: fructus sunt actus virtutum, ab ipsis habitibus, tanquam fœtus generati, & per litteras adumbrati. Hæc poma, hos fructus à te exigo: redde posthac multò præstantiores, vberiores, ac magè maturos, quàm hactenus, cùm radices arborum tuarum nouo profluuio gratiæ abundantioris alluantur, & madeant.* Vt autem explicatiùs declararet, cœpit cuique litteræ à prima ad postremam vsque affingere denominationem fructus capiendi, vel edendi, ritu eodem, quo nuper ipsismet litteris arma apposuerat. Nomina fructuum, seu virtutum fuerunt expressa Gallico idiomate, interdum dissonante à Latino, habenturque relata ante exordium epistolæ sequentis, nudè quidem, & vno verbo tenus, sed priùs à sponso amplo sermone dilatata. Initium epistolæ, quam præcedit expositio, notula est; *Quam expetisti notulam transmitto.* Nempe in qua declarantur fructus virtutum inuoluti sub cortice litterarum, hoc modo.

I, Pro fœtu habet repetitos actus Humilitatis. E, Spiritus simplicitatem, seu paupertatem spiritus. S, Sapientiam animi. V, vnitionem mentis ad Deum. S, Sanctimoniam castitatis. C, parit opera charitatis. H, obedientiam. R, redditionem gratiarum. I, iucunditatem mentis in Deo. S, spem salutis in meritis Saluatoris. T, thesaurum, idest amorem paupertatis. V, mansuetudinem, & humilitatem in via Christi. S, stabilem fiduciam in Deo. N, docet naui se committere diuinæ prouidentiæ. A, adorare, & admirari eum, qui dignus est semper amari. Z, zelo salutis animarum, & regularum ardere. A, agilem esse, ac feruentem in operatione recti. R, regno Regis Regum sponte substare. E, esse sponsam fidelem sponso fideli. N, nullatenus degenerare à patria nobilitate. V, Vitam animæ esse castigationem amoris proprij. S, satiari animam rerum contemptu. F, quærendam esse participationem filiationis, atque hæreditatis Filij Dei. D, fidem viuam. V, vitam animæ consistere

Digitized by Google

consistere in fide, & vnitione ad Deum. Rex, Deum esse Regem, quem regnare oportet in memoria, intellectu, & voluntate hominis.

Quis credat istæc omnia inchoata primo momento temporis post sumptam Eucharistiam, eodem ferè puncto fuisse absoluta? Nam post pusillum vrgentibus negotiis domesticis auocata de communi conuentu secessit. Fatendum tamen est, non in solo choro perfunctam fuisse contemplatione sua; quod residuum fuit diei, dissimile non fuit ab horis matutinis, ita vt per diem à sensibus excessisse videretur. Priùs verò quàm sponsa loco diuideretur, sponsus volens procul expungere omnem superbiæ occasionem, sensumque vanitatis, opposuit discipulæ natiuam paupertatem, docuitque manu tangere, quàm esset minus nihilo. Si quibus verò potiretur bonis, bona, donaque esse diuinæ clementiæ, cui idcircò vniuersas arborum suarum fruges, vti à Deo acceptas, referre deberet: inussitque hæc monitio tam euidens eius veritatis argumentum in animo sponsæ, vt nullatenus ratione, caperet quomodo tam illustria facta in hac tabula inani, in hoc puluisculo per digitum Dei fierent. Passa est magnos sensus dolorum, nec patiendi finem dedit dies illa, tantam vim intulerat vis matutinæ actionis. Per diem idem sponsus in hanc sponsionem erupit: *Ego tot thesauros, & tot annorum meorum montes in te congeram, vt & ipsa felix dicaris, & alios possis felicitare*: sicut alio loco dixerat; *Multitudinem, amplitudinemque donorum in te meorum sola dierum vltima manifestabit.* Cui sponsa ceruicem in terram demittens, qua magè potuit humili, suppressaque voce respondit; *Nulla mihi vnquam satis felix illucesceet dies, donec de te plenissimè frui dederis in cœlis, vbi te offendendi exulat omnis locus, & hora.* Beata Mater sponsi, dum caneretur in choro versiculus ille cantici sui, *Quia fecit mihi magna qui potens est*; commendauit magnoperè innumera beneficia in eam collata à sponso propter inscriptum cordi ipsius nomen sanctum Filij sui, quod est tot beneficiorum radix, & causa, iussitque gratiam adeò memorandi facti, & recordationem illustrium operationum perenniter stare in memori, & grato pectore.

Digitized by Google

Epistola diei 30. Martij.

QVam expetisti notulam, tansmitto,& vnà simul cor illius, quæ tua est, ni verius dicam, cor illius, cui tota sum, & in eò tua. Si mihi plusculum otij suppeteret, aliquid enarrarem de suauissimis delinimentis, & inuentionibus diuini amoris, ad amorem suum allicientis corda hominum. Colligam me in pauca, vnde multa comprehendes. Hoc mane Rex noster inuitauit hanc Nanam ad epulum suum, quod in monte omnibus apparauerat, speciatim autem electis suis. Tres mensas strauit in triclinio, pro tripartitis sectatoribus suis; duas esculentis, vnam instruxit poculentis. Prætereo primas, vt statim veniam ad tertiam, in qua erant lac, quo à Filio lactantur animæ; mel, quo aluntur à Spiritu sancto; vinum, quo à Patre inebriantur. Symbola sunt Charitatis Patris, pacis & vnctionis à Spiritu sancto, & sapientiæ ac puritatis Filij, de cuius venerabilissimo corde anima tanquam amoris infantula, quiescens inter brachia nutritij sui lactatur. Audio iam signa officij aduocantis infantulam, parendum est. Offeras tu corculum meum Regi cordium, & vale. In Dominica quarta Quadragesimæ.

Additiones.

Paulò latiùs explicanda sunt, quæ continet epistola de conuiuio, & ferculis conuiuij. Cùm se dicit inuitatam à Rege, coniice fuisse abstractam à suo themate, & in promptu abreptam ad aliud. Res ita se habuere. Stabant in triclinio dispertitæ mensæ tres, suis quæque ferculis instructæ pro dispari merito discumbentium. Infimæ assidere datur colentibus Christum, qui tamen vitam adhuc vitiis labefactatam, pollutamque criminibus ducunt; erantque eis pro esca contritio, sacramentum pœnitentiæ, & constans propositum vitæ sanioris. Alteri accumbunt, qui sanctiorem quidem, ac religiosiorem viuendi rationem sectantur; non tamen sat abdicatis corporis oblectamentis, nec plane subactis animi passionibus, aut non omninò disruptis laqueis rerum terrenarum: quibus ad alimoniam erant praxes virtutum, frequens Dominici Corporis pabulum,

& assiduum orandi Dei studium. Tertia strata erat lacte, melle, & vino, sed huic accessus non est, nisi mundis corde; neque verò cupiam indultum erat vesci his dapibus, præterquam expurgatis omni labecula cuiuscumque vitij.

Mensis ita constitutis, & paratis, Rex architriclinum agens, quærebat à Nana, cuinam è tribus eligeret assidere? Illa quantumuis in altum euecta, nunquam tamen supra se animo elata, nec ab aspectu sui nihili auulsa, respondit: *Indignior plus nimio sum, quàm vt cuiuis mensæ accumbam. Nana sum, Nanam substerne mensis; vt pauperula catella subiacebo lubentiùs, immeritæ tangere, ne dicam gustare, miculas cadentes de tam oppiparo conuiuio.* Atque hoc modo mensæ substrata iacebat. Responso minimè acquieuit Rex architriclinus, sed euangelico verbo vsus; *Ascende*, inquit, *superiùs, vbi exposita patent lac, mel, & vinum*; & his dictis sedere coegit in supremo loco nobilioris mensæ, vbi tot, tantisque dulciariis farsit imbecillum ventriculum Nanulæ, vt cùm exuperantes amoris suauitates non contineret, pleno stomacho vndique regurgitaret.

Ista prælibatio diuinæ suauitatis primo sub diluculo prænuntia fuit eius, quam sponsus in epulo Eucharistico opulentiùs propinauit laxis faucibus potandam, conuenientibus quoque aliis Personis Sanctissimæ Triadis. Tunc enim singulæ proprium symbolum alendæ Nanæ in conuiuium attulere, Filius lac sapientiæ, Spiritus mel dulcissimæ inunctionis, Pater potentissimum vinum charitatis. Vt faciliùs concipias quid factum sit in hoc sacro conuiuio, in mentem reuoca illos tres missus, quos sponsus dicebat à se sumptos *Cantic.* 5. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte*: & item quæ ibi sequuntur; *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi*: nam ea omnia in hoc conuiuio commemorata fuere, cùm vnaquæque Persona assumpto sibi vno ex præfatis verbis, missum porrigeret, quo Nana pasceretur. Filius ministrans corpus suum in Eucharistia; *Comede*, aiebat, *amica mea*: Spiritus; *Bibe mellis mei dulcedinem*: Pater; *Inebriare charissima potenti vino amoris mei.* Post hæc iterum vno omnes ore dilectam coniunctim inuitabant, *Comede, bibe, & inebriare*: disiunctim verò Filius; *Lacte inebriare meo puro*: Spiritus; *Melle meo dulci*: Pater; *Vino meo forti.* Tertiò iterum eadem recinentes, coniunctim dixerunt; *Inebriare triplici amore nostro:*

stro : diuisim Filius; *Amore meo, lacte puriori* : Spiritus; *Amore meo erga proximum, melle dulciori* : Pater; *Amore meo, vino inter aduersa fortiori.* Quod autem aure interna sponsa excipiebat, idipsum effectu in tota anima percipiebat. Denique sponsus, vt iam multo vino amoris ebriam in pleno gurgite suæ bonitatis suffocaret, in sinu, & in penetralibus cordis sui semianimem sepeliuit, ibique diuinis vberibus firmiter appensæ per totum diem non tam sugere, quàm largissimè potare dedit nectareos succos suæ Diuinitatis. Vnde solebat illam iocosè cognominare amoris prolem, & diuini lactis alumnam.

Breuibus complector quæ dies altera inuexit, sponso noua semper consilia, & opera excogitante. Primo mane sponsa prosternebatur orans ante faciem sponsi: is celeriter impetiuit gratam sibi sedem cordis, in quo velut in amatissimo throno quieuit. Mox, & extempore in liquidum balsmum dilapsus, totam amplitudinem throni sui balsamo ad intestina quæque pertingente respersit. Sponsa in multam diem, ac potiùs in vltimum vsque diei, balsamo madere, balsamum sudare videbatur, tandem colliquescere cum Deo suo, atque in eo magis, quàm in seipsa subsistere. Quod autem hic de balsamo legitur, non rarò antea quoque contigerat. Etenim quotiescumque Pater, ac Spiritus sanctus tempore synaxis conuenientes, aliquid valdè insigne cum Filio perpetrant, tunc præter igneum calorem, quem diximus sæpius ore sponsæ perceptum, experitur os odorato balsamo inunctum, exhalansque gratissimam suaueolentiam. De illo tamen, tanquam de re leuioris momenti verba facere distulit, floccifaciens eiusmodi sapidos gustus.

APRILIS.

Epistola diei secundæ.

VErba tecum non multa faciam: si aliquid otij nanciscar, pleniùs scribam; paro enim me nunc confirmare vota religiosa inter flagella sponsi mei, deprecans expoliari me ipsa, & columnæ secum colligari, vt lætè pariter secum adeam, perferamque amanter cunctas huius vitæ molestias. Heri dedit parumper meipsam mihi, relinquens arbitriis agendi meis. At

Ecce iam præsentio venientem, ac repetentem vices suas hac ipsa hora, quæ est ante lucem. Habeas me commendatissimam orationibus tuis, vt omni parte Dei voluntatibus subiiciar, quia in eo sunt omnia mihi. Calamum sisto, proficiscens ad meditanda diuina. Vale.

ADDITIONES.

Primi dies huius mensis magna ex parte dati fuere recolendis cruciatibus Christi patientis, provt ipse patiens discipulam secum dolentem erudiebat. Paucis plura perstringam. Aliquando Magister à grauitate suppliciorum intulit grauitatem humanorum flagitiorum; à flagitio namque supplicium, & supplicij mensura. Idcircò monebat longissimè amandandum esse omne peccati genus, abhorrendum, necnon lacrymis indeficientibus expiandum. Quo dicto abundè lacrymas ab oculis discipulæ extorsit. Aliàs ad columnam ligatus, iamiam flagris excipiendus, prolixum sermonem habuit de vinculis amoris, quibus se fortiùs obstrictum dicebat, quàm ferreis catenis; atque adeò animum ad ardentiores pariter amores suscitabat. Item aliàs vt eandem ad intensiùs redamandum incenderet, ostentabat, se nil minùs extitisse prodigum sanguinis, ac vitæ, quàm amoris. Vbi interrogante sponsa; *Quid tam dura, quid tam dira pateris?* Responsum fuit; *Qui amat, patitur.* Iterum verò, ac tertiò interroganti; *Quid tam indigna, atque infanda pateris?* Semper respondetur; *Qui amat, patitur: quod patiatur amans, machinatur amor. Ergo*, subiecit sponsa, *impertire mihi quod patiar tecum, & pro te; alioquin sine labore, sine dolore viuere, mors mihi est, aut vitam ferre morte seuiorem.* Tunc mœrore intolerando attritam Magister iussit dolere de Dei offensis, hominum scelera detestari, eiurare, & vindicibus lacrymis vlcisci.

Afficiebatur autem hæc serua Dei singulari studio, & cura contemplandi Redemptorem suum fatiscentem sub denso verbere virgarum, & effluentem riuos diuini cruoris. Sed priusquàm in id tormenti, atque meditationis genus manum admoueam, opere pretium erit in frontem huius narrationis aduocare quod Cassianus *in libello de spiritu fornicationis, cap.* 13. Monacis consulebat. Primam nempe cordis custodiam pro seruanda castimonia in eo sitam esse, vt excludatur, aut saltem quantociùs

tociùs de animi receſſibus extrudatur omnis memoria, aut ſpecies fœminei ſexus, putà matris, ſororum, ſeu certè fœminarum ſanctarum, ne illex malorum occaſione ſexus ſemel admiſſi, ſenſim, ac ſubtiliter diutiùs immorantem ad malum deuoluat, aut ſaltem noxias cogitationes inferat menti. Quod Caſſianus maribus de ſexu fœmineo, hoc idem de virili erga fœminas ſtatuendum eſt: itaque ſponſa accingebat ſe ad meditanda ſponſi flagella; metuebat tamen ex denudati corporis aſpectu imaginem aliquam minus ſanctam, hærebatque anceps, hinc deſiderio compulſa, illinc metu repulſa. Audi quid ſponſus propugnator caſtimoniæ, gloria virginum, continentium robur, & caſti cordis delicium egerit, tum pro excutienda formidine, tum pro ſubmouenda ſpecie cuiuſvis ſimulachri parum decentis. Circumcinxit ſe totum radiis coruſcantibus, amictus, vt canebat Pſaltes, lumine ſicut veſtimento. Nil magis ſplendeſcere, nil erat viſere maius: cœleſte iubar emicans toto corpore fulgorem fulgoribus ſolis æſtiui intuliſſet. Dein pauentem ſponſam his verbis adorſus eſt; *Ne expaueſcas, parens ego ſum caſti concilij, tutela pudicitiæ, ſanctimoniæ cuſtos, exhorrens inhoneſta, vltorque intemperatiæ, inuercundi verbi, aut cogitatus nunquam author, nunquam fautor. Diſce hoc experimento.* Statimque direxit intra pectus, & cor huiuſce virginis aliquot radios prodeuntes de ſplendenti facie ſua, quibus quicquid in anima reſideret mali germinis, abſumeretur. Senſit illa momento eodem plurimùm adiectum fuiſſe dono caſtitatis, & iam nullam rei inhoneſtæ ſuggeſtionem aliquid in ſe loci vendicare. Doni adaucti certiſſimo argumento fuit, quod quamuis in vniuerſo iſto congreſſu multa ſuper virtute caſtitatis, multa quoque ſuper oppoſito vitio dictarentur à Magiſtro; nulla tamen, vel tenuis vmbra immodeſti ſenſus occurrerit; quaſi omnis vigor impudicitatis deuictus, extinctuſque iaceret. Qua de re vltra modum obſtupuit ſponſa, admirans eximiam efficacitatem collati doni. Poſtremò ſponſus perfunctus Magiſterio ſuo, inſectari cœpit intemperantiam mortalium, quam in cauſa affirmabat eſſe, cur modò caſtiſſimum, ſanctiſſimumque corpus ſuum flagris diſcindatur, cruore multo diffluat, & in fruſtula diſcerpatur.

Diutiùs intuendo flagellorum, & columnæ ſpectaculo immoratum

moratum est. Dumque sponsus manibus tergo reuinctis perstat ad columnam, iussit dilectam ad plantas sibi subsidere, ibique permanere, quasi sub arbore pretiosis, delicatulisque pomis onusta, de qua quæcumque vellet, carperet, ederetque ad satietatem. Dicto citiùs ad iubentis pedes prope columnam dilecta sternitur, & ecce de repente suggerente sponso in memoriam veniunt verba illa *Cant. 2. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios: sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Si quæras, quinam sunt fructus percepti de hac arbore, proculdubio respondebit; *Quotquot fructus Saluator mundi pœnis crudelibus adeptus est, adepta sum; lauacro sanguinis ipsius abstersa sunt crimina mea, reconciliationem impetraui cum Deo, euasi insidias, compedesque sathanæ, habeo certissimum pignus amoris diuini, exemplar amantis, patrocinium sponsi, spem potiundi regni cælorum, & iusdem momenti alia emerita stipendia Dominicæ Passionis.*

Propter quæ sponsus iure merito blandè obiectabat sponsæ: *Viden' vt promissa litterarum mearum lautè expleuerim? Viden' quàm splendidè earumdem præconia sustineam? Desine vlteriùs de mea fide ambigere, inanes non sero sermones, verba non facio, sed acta.* Tunc orationem de symbolis litterarum ex ordine repetens, à Nomine Iesu auspicatus est, probando dilectam olim à se redemptam pretio sanguinis, nunc per ipsum nomen *Iesus*, seruari exemptam ab hostium inuasionibus. Similiter locutus de aliis nominibus, vnde sponsa excepit aurea documenta virtutum, & sensa exquisitæ voluptatis, simul quoque passa ingentes animi commotiones.

Tertiò adhuc sponsus reduxit sponsam in eandem flagellati corporis inspectionem, & ostendens plagas inflictas, dixit: *Quotquot cernis in plagoso corpore scissuras, tot tibi enumera portas, per quas ad secretiora cordis mei transitus patefecit; non illis dumtaxat tribus præcipuis animæ tuæ facultatibus, de quibus nuper, sed cunctis aliis, quotquot in te extant.* Ad hæc verba sponsa sese, omniaque sua collegit, collectam sponsus abripuit in intima cordis sui, continuitque diutissimè.

Præter hæc aliquamdiu sermocinatus est de crudeli expoliatione vestimentorum suorum, & pro iis petiit cor sponsæ mutandum sibi in vestem, qua omni tempore cooperiatur: significans

nificans animam, & corſponſæ debere ſibi omni tempore cohærere tanquam veſtem corpori ſuo connexam, pollicitus eius beneficij loco tegendam fore duplici veſte ſuæ protectionis, nequando tantiſper ab amando Deo frigeſcat: & reipſa pallio, ſeu ſcuto patrocinij eam ab omni incurſu hoſtili occultabat, ſed ſimul multa præcipiebat de nunquam intermittenda mentis eleuatione ad Deum, hiſce verbis; *Nunquam, ne puncto quidem temporis in miſeras curas temporales fruſtra à me diffluas: ſi quando id feceris, ſi inter agenda animum, aut amorem à me tuum declines, ſcito tantundem tormenti mihi irrogari, quantum à diris tortoribus perpeſſus ſum; dum cruentata cum veſte, cutem quoque ipſam, & fruſta carnis meæ diſcerperent. Ne quæſo tam amaros dolores amanti referas: pia potius officia Samaritani reddas langueſcenti. Ego ſalutaris Samaritanus vulnera tua peſſima curaui pretioſiſſimo vnguento cruoris exſecti de venis meis: tu bona Samaritana vulneribus viciſſim meis oleum, ac vinum exhibeto: oleum, inquam, amoris dulcis; vinum amoris fortis.*

Poſtera die ſynaxis erat, & reuiuiſcentis Lazari legenda hiſtoria; quæ dum legeretur in Miſſa, ſponſus inexpectata præmeditatus, locum in anima ſponſæ pro aduentu ſuo parabat. Nil ipſa deditæ operæ contulit, nihil præſentiſcens rei futuræ; ſed cum primùm buccellam ſacratiſſimi panis ore percepiſſet, fauces illius ſpirare balſamum odoratiſſimum viſæ ſunt. Obſtupuit de pane ſuaueolentiam: verùm ne dum balſamo intendit, auriculam cordis ſubtraheret Magiſtro loquenti, impenſiùs obnixa eſt ſenſus omnes odori obturare, ne plus ſenſui, quàm ſponſo tribueret.

Porrò in aream collocutionis inductum fuit, quod olim apud ſanctam Martham *Ioannis* 11. *Ego ſum reſurrectio, & vita; credis hoc?* Non id tamen obiter, & generatim actum eſt, ſed appoſitè ad dilectam, & ad rem præſentem, dicente ſponſo; *Ego ſum reſurrectio tua, ego vita tua, credis hoc?* Propoſitam verò ſententiam ita rationibus fulciebat: *Ego te de faucibus mortis extraxi: ergo reſurrectio tua ſum. Ego vita tua, quia anima ſum animæ tuæ. Nonne corpus tuum per animam ſuam viuit, & ea deficiente deficiet? At ego animæ tuæ anima ſum: igitur per me viuis, & ego ſum vitæ tuæ vita. Ego in te viuo, viuamque ſemper.* Exinde regrediens ad nouum examen litterarum nominis, cognominiſque ſui; *Intuere*, inquit, *quid de me in corde tuo delineatum geris. Numquid non legis F. D. V. per*

quæ

Digitized by Google

quæ dicor Filius Dei Viui? Nec ideò viuus dicor solummodò, quia in me, & de me viuo, vitaque mea ipse ego sum; sed quia quicquid factum est in me, vita est, & quidquid est viuentium, per me vita potitur, speciatim autem, quia vita tua ego sum. Credis hoc?

Intereà dum hæc ita à sponso pertractantur, sponsa sentiebat fieri in mente sua maxima fidei incrementa. At ille vlteriùs insistens in perscrutandis significatis litterarum, sermonem transtulit ad ipsam virtutem fidei, menti reuocando symbolum litteræ D. *Reminiscere*, inquit, *per hanc litteram D, indicari donum fidei, quod antea tibi promiseram. Iamiam stabo promissis. Priùs tamen aduerte, litteram D, præponi litteræ V, per quam dixeram designari vitam: nam fides principium quidem est, & radix vitæ spiritualis; non tamen tota vita, sed bona ex parte vita. Si vis vita perfecta viuere, elemento D, coniunge elementum V: crede, & vnire Deo. Speciosa fides est, cui vnitio amoris, & subiectio voluntatis suffragantur: Sicut anima corpori, & corpus vnitum animæ vitam perficiunt; sic perfecta viues, si dono fidei amorem, & obedientiam copulaueris. Est & quod obserues in littera V: sursum namque aperta est, deorsum clausa, quasi superna tantummodò suspiciat, & hiantibus labris expetat; inferiora verò despiciat, atque repudiet. Sit iste typus vitæ, fideique tuæ, superna suspice, cœlestia semper meditare, ad æterna perpetuò tende, terrena pedibus conculcato.*

Volens deinde instituere discipulam suam recta regula fidei, migrauit ad litteram O, quæ reperitur media in vocabulo Gallico *Roy*, posito in extrema cuspide cordis; rursumque ante oculos illius posuit antiquam interpretationem harum trium litterarum; nimirum per eas denotari memoriam, intellectum, & voluntatem, in quibus velut in tripartito regno subsistere dixerat rationem dominij sui. Nunc itaque addidit: *O, intellectum notat, qui est oculus animæ, in quo subiectatur vis fidei, per quam stat dominatus meus in anima tua. Attentiùs velim consideres formam huius litteræ; quaquaversum inspexeris, vallatam offendes quasi circumducta sepe, lucemque videbis non aliunde, quàm de sursum trahere. Huic conformetur oculus humanæ mentis ad concipienda arcana fidei. Vide ne lumina fidei à natura, vel ab humanis rationibus implores, frustra inde accersis; à lateribus nullam lucem accipit O, desursum omnem. Ita non ab humano sensu, nec à rebus circumstantibus lumen fidei est, Numen illud æternum, cui omnia subsunt, de lucido solio suo per Spiritum illuminantem,*

nantem, & per Eccleſiam excipientem, radios veritatis æternæ diſpergit terris, quos humanæ mentis intuitus hauriat, ſpeculetur, & certiſſimè credat. Talia effatus, pollicitis facto reſpondit, & promiſſum donum fidei magnoperè adauxit: vndè ſponſa experta eſt eluxiſſe ſibi clariorem, firmioremque ſplendorem eius doni.

Epiſtola diei 6. Aprilis.

INcuriæ, & oſcitationis à te arguerer, Reuerende Pater, ſi diem hanc, quæ Dominicæ tragœdiæ ſcenam aperit, ſilens præterirem; idque maximè, cùm indulgentia tua, & ope orationum tuarum plus ſolito indigeam. Fateor, reiici magis, quàm auſcultari digna ſum, ſed maior quoque in me eſt de tua pietate, quàm de meis meritis fiducia. Valeat quæſo apud te, quam præſenti epiſtola defero ſupplicem petitionem, nec illam inter vulgares deponas; fac experiar fuiſſe apud te efficaciſſimam. Et vt citò me expediam, ſcito nil mihi hoc tempore eſſe optatius, quàm vt pretioſo ſanguine Agni Immaculati abſtergantur omnes maculæ animæ meæ; atque vt cunctæ tum animi, tum corporis facultates, quæ in me extant, intingantur, immò obſignentur characteribus eiuſdem pretioſiſſimi ſanguinis, ne poſthac mihi contingat aliud quicquam ſenſu percipere, aut cogitatione verſare, quàm flagella, ſpinas, clauos, lanceam, crucem, & mortem, & ante omnia, amorem afflicti Regis mei. At ecce dum hæc ſcribo propè horam meditationis, iam ſubintelligo muſſitantem in auribus meis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis arguet te de peccato? Dixerim ego potiùs, quis non amet, quis non colat, quis non ſequatur hunc amatorem puritatis, qui à peccatis emundat corda hominum? Nunc tertia dies eſt, quum maximo animi dolore eumdem intuebar flagellis diſſectum, toto corpore plagoſum, & humi ſtratum proprio in cruore natare. Cœpit tunc ille præ ſua inopia miſerabiliter rogare, exporrigi ſibi tunicam, qua contegeretur; & eodem tempore de panniculo cordis mei, neſcio qua arte, confecit ſibi nouum genus indumenti introrſum candidi, extrorſum rubri, quo operiretur; albo ſignans innocentiam, puritatemque intentionis; rubro charitatem, quibus vult à nobis obuolui. Heri mane ipſummet inſpi-

ciebam crudeliter coronatum ſpineo diademate, & ex animo concupiebam aculeos illos tranſmitti in ceruicem meam : nam triſtiùs ferebam expertem me eſſe ſpinárum, dum ille pro me toto capite transfoditur ſolus. Quid coniicies ab eo adinuentum? De corde meo quaſi pileum fabricauit, acuminibus ſpinarum ſuperpoſuit, eoque vndique perfoſſo me doloris ſui amabilis participem fecit. Tu velim tibi hoc loco perſuadeas, Nanam inter hæc fuiſſe verecundia contuſam, nec potuiſſe, non dicam referre gratias, ſed ne quidem cogitare de referendis. Serò eiuſdem diei alia ratione vſus eſt. Velut fractus ludibriis, & cruciatibus, ad ſolamen hoſpitij mei recurrit, & propè oſtium rogabat; *Aperi mihi amica mea, filia mea, ſoror mea; velox aperi mihi, caput meum plenum eſt guttis dolorum, & rore noctis. Cant.* 5. Pater, ne me exiſtimes extitiſſe ſocordem, aut tardigradam. Illicò patuit hoſtium, cuius ipſe claues manu ſua gerit. Ingreſſus rectà inuolauit cor meum, ſuper cuius latere dextro caput ſpinis hiſpidum ſine mora reclinauit, & fixis in eo tribus, vel fortè quatuor ſpinis, cruentum vulnus aperuit, dicens; *Sit hæc phlebotomia cordis tui, hæ ſpinæ ſint pro ſcalpro ad eliciendum vitioſum ſanguinem ſuperbiæ, amoris proprij, & ſi quid impuri, atque corrupti humoris latet in eo. Quod ego cum chirurgis facio, ex abundantia cordis mei facio.*

Tum dato oſculo pacis, voluit vt infimum miſelluli cordis mei ſuper corde ſuo beatiſſimo recumberet, inquiens; *Cor pro corde, puluinulum pro puluinulo: tu capiti meo ſpinis dilacerato puluinar in corde tuo commodaſti, æquum eſt, vt cordi tuo ſpinis pariter perforato puluinar ego in corde meo accommodem:* & hac mercede vicem ſuam impleuit. Quis illum non amet? Quis non veneretur? Vale.

ADDITIONES.

Hac eadem die ſexta, dum Sacerdos ad Aram legeret ex Euangelio *Ioannis* 8. ea verba Chriſti Domini; *Ego dæmonium non habeo:* ipſe idem repetens ipſiſſima verba ſua, clarè demonſtrauit ſponſæ per datæ fidei donum, ſe eſſe de Deo Deum, de Deo perfectiſſimo Deum perfectiſſimum, Patri conſubſtantialem, poteſtate æqualem, bonitate parem, quamuis humana carne obnubilatum, ac proinde nil in ſe loci habere cuiuſvis peccati genus. Quod præter fidei fundamentum euidenti expoſitione

Digitized by Google

expoſitione comprobabat hoc pacto: *Si me vt Deum æſtimes, non ſubeſt delicto Deus, recti, & bonarum actionum author, regulaque prima: ſi hominem, ſacramentum hoc magnum eſt, vnitam cum Deo carnem ſuſtinet Deus ipſe, abigitque procul omnem peccati, atque peccandi infirmitatem, per communicatam carni ſapientiam, virtutem, ac bonitatem.* Itaque robur diuinum in homine reſidens, longè auertit cuiuſvis delicti acceſſum, ne dicam habitationem; non aliter quàm Dagon in gradu ſuo minimè ſtetit coram Arca Domini, 1. *Reg.* 5. nec ſplendor lucis ſocietatem patitur tenebrarum, 2. *Cor.* 6. Pleriſque inſuper aliis ratiocinationibus Theologicis arguebat, ſe nullo modo peccati cuiuſpiam eſſe poſſe affinem. Inter hæc ſponſa dictis habet fidem, & colluſtrata maiori luce fidei, manifeſtam Dei, ac hominis innocentiam venerabunda colit. His acceſſere in ſynaxi locupletiſſima teſtimonia à Patre, & à Spiritu ſancto. Pater illud idem adduxit, quod olim in Transfiguratione, *Matth.* 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Spiritus protulit elogium ſumptum ab Iſaia *cap.* 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, perinde ac in templo ſuo.*

Luculentius tamen de ſeipſo teſtimonium reddidit ſponſus ipſe dicta ſua comprobans, non ratione tantùm, ſed & facto (ſciebat enim cœleſtia rebus melius, quàm verbis repræſentari:) nam & incredibiles nimis diuitias ſuæ Diuinitatis oculis ſponſæ viſendas expandit, & indicibilia humanæ naturæ ornamenta numeratò recenſuit. Cúmque longos iis de rebus ſermones traxiſſet; *En omnia*, inquit, *in theſauro litterario cordis tui tenes repoſita: reuolue animo, & audi; habent quoque ſuas linguas litteræ, habent voces, quibus propalent opes meæ Diuinitatis, & glorias humanitatis.* Tunc exorſus à prima linea, de capite vſque ad calcem litterarum titulos, attributa, dignitates, officiaque ſigillatim connumerauit, partim iuxta interpretationes ſuperiùs relatas, partim commiſcens veteribus nouas, illas non ſtrictim excurrendo, ſed amplè, atque eruditè proſecutus, rerum cauſas, & modos euentilando, communicata præterea ſponſæ fulgentiori fidei claritate.

Sanè mihi aliquid miraculo maius videtur, toties eaſdem litteras in varias rerum figuras, eaſque non inanes, ſed ad ſpiritualem intelligentiam, atque progreſſum, ex improuiſo in-

Digitized by Google

uerti. Hinc colligere licet apertiſſimas notas, diuinam eſſe, non humanam, aut diabolicam locutionem. Sanam doctrinam non ſuppeditat mala fides ſathanæ, adeò exquiſitam non excudit in promptu fœminea ſimplicitas. Quare meritò ſponſa authorem indigitat in epiſtola, cum ait; *muſſitantem ad aurem cordis ſubintelligo ſponſum.*

In eadem epiſtola quædam memorantur de ſpinoſo capite ſponſi, recumbente ſuper corde ſponſæ. Iis adde, quod dum ſponſa animum ſuum paſceret aſpectu capitis pungentibus ſpinis horridi, in ictu oculi viſum eſt ſplendeſcere floribus, ipſumque diadema permixtis ſpinis floreſcere. Repentinam coronæ ſpeciem, & inaſſuetum capitis ornamentum ſponſa ſuſpexit admirans, cui ille; *Conſertos in diademate flores, & cum floribus ſpinas ne mireris; capiti, cognominique meo flores debentur; nonne in corde tuo Nazarenus inſcribor? Si Nazarenus, ergo floridus, & floribus adornans. Permixtis ſpinis horreſcere vides floream coronam; Iericontina quippe roſa ſum, ſpecioſa quidem, ſed de ſpinis exurgens, & de plantario roſarum Ierico in hunc hortulum traducta, vbi vireſco, & roſas germino. Videto ne vllo tempore lumina tua retorqueas à contemplando ſchemate capitis mei, ſpinis, roſiſque coronati.* Sic illa obtutum ſiſtebat in contemplatione huius ſpectaculi; poſt puſillum tamen ſponſus inſtaurans ſermonem, ait; *Sed iam congruum eſt, vt roſa iſtius rarum fragrantiam ſentias; odorifera valde eſt, cæleſti ſuauitate omnia complens.* Vix tacuit, cùm repente cœleſtis emanauit odor, longè, lateque ſpargens data cœlitus odoramenta, vnde ſuffuſi ſenſus ſponſæ, noua, & hactenus ignota ſuaueolentia ſuffumigati fuere.

Pars maxima ſequentis diei inſumpta fuit repetendis, ponderandiſque conuitiis in ſponſum congeſtis poſt coronationem, ſponſo ad digitum adnumerante omnia, ludificationes, derifiones, ſcommata, exſibilationes, verbera, arrogatæ Deitatis calumniam, & ficti Regni inſomnium. Sponſa tot conuitiorum pudens, collacrymanſque ſponſo tot maledictis onuſto, cuncta auſcultabat arrectis auribus, oculis, & animo. Vnico vtrique ſolatio fuit corculum ſponſæ inuiſere, & pro detracto ſibi à Iudæis Regno, profiteri in eo nomen, iuſque regium, liberè quæ vellet imperitando. Quanto ad hæc incaluit amore pectus? Quanto feruore opus cordis? Gratioſa Regem ſuſcepit, imperio

perio ſeruiuit, votis paruit, cum ægro ægra fuit, conſorſque ludibriorum; maiora perpeti promptior, ſi ſic ſtet in animo Regis.

Igitur intuens ſponſum tot ſuppliciis laceſſitum, tot ſimul opprobriis, atque doloribus confectum, pœnarum conſortium iterum petiit, aut ſaltem ipſa tormentorum inſtrumenta memoriæ ſibi perenniter inhærere. De hac poſtulatione, de hac ſiti; *Amo te plurimùm*, reſpondit ſponſus: *quod optas, peropto. Sed quid à me quæris vltra poſſidere quæ poſſides? Reuiſe, & euolue ſtygmata nominis mei depicta in corde tuo, & quod quæris, ſponte oculis obueniet. Ibi figuræ litterarum ad viuum reddent omnem apparatum ſupplicitorum, & inſtrumenta necis meæ. Quid enim aliud eſt I, oblongum, quàm effigies columnæ, ad quam virgas, flagella, ſcuticas tuli? Quid SS, multiplicata, quam tortiles funes, & vincula ferrea captiuitatis meæ? C, capitis coronam refert. T, lanceam, qua cum latere cor mihi transfoſſum, apertumque fuit, ideò trahens cor nuncupata, quoniam illud aperiendo, aliquo modo traxiſſe cenſenda eſt.* Sponſa de litteris ſic accommodatis ad inſtrumenta Paſſionis cœpit addubitare, ſtetit vlteriora declinans, & perpendens quid boni, quidve mali ſubeſſe poſſet, ſuſpicata poſſe latere hamum vanæ curioſitatis ſub eſca acutæ cogitationis, magis quàm ſolidum cibum doctrinæ fructuoſæ. Idcircò inde ſeſe ſubducens, totis neruis, totaque animi contentione ſoli Deo pertinaciter incubuit; cui ea repulſa non diſplicuit, collaudauitque ſe potiùs inſpectari, quàm inſtrumenta ſuæ necis.

Sic de die in diem ſponſa ex præcepto ſponſi gradatim progrediebatur ad ruminanda acta Dominicæ Paſſionis, nil minùs dolorum comes, quàm itineris. Prima ergo luce diei craſtinæ ſcena meditantibus exhibebat, quod olim Pilatus funeſto in theatro exhibuerat coram inhumana, & feris atrociore plebe; deformatam videlicet Redemptoris faciem, & horridum corporis ſpectrum, proclamans; *Ecce Homo:* id eſt, ecce malorum omnium ſimulachrum. Auribus tamen ſponſæ, non, *Ecce Homo*; ſed, *Ecce Deus*, inſonuit, dicente ſponſo; *Ecce quid pro te fecerit, ecce quid pro te perpeſſus fuerit Deus.* Compendioque omnem cruciamentorum cumulum recenſuit. Sponſa intelligere non potuit ſiccis oculis, aut frigido pectore ſiniſtros caſus, plagas lethales, & extrema fata Dei ſui; ſuccenſam in corde ſenſit

flammam duplicem ; doloris nimirum , & amoris. Ignem de pectoris fornace expirabant calentia ſuſpiria , & quicquid in ea fuit , ignis fuit. Speciem ſenſibilem videre ſibi viſa eſt nullam , ſed intimam tantummodò vocem in ſecreto mentis audire.

Poſt ſynaxim , dum præſentem ſponſi vultum ſpecularetur, vice quoque ſua functus eſt Pater prophetico inuitatu , ſic allocutus ; *Audi filia , & vide. Vide , inquam , vnicum ſpecimen rectitudinis , & iuſtitiæ ; vide ſpeculum vitæ tuæ ; vide quem oculo mentis ſemper debes videre. Statue tibi hoc exemplar quod imiteris ; ſectare hanc viam , in qua pedes tutò , & ſine diſcrimine ponas.* Subiecitque alia quamplurima ſanctitatis hortamenta , quibus vitæ ſuæ delineamenta conformare ſatageret , extimulans in primis ſponſam ad dura ſuſtinenda , vt amorem ſponſi patientis patiendo reciprocaret. Paulò poſt , dum pro Veſperis cantaretur initium *Pſal. 44. In domum Domini ibimus:* ſponſa ingemiſcens longo iam tempore dilatam habitationem aulæ cœleſtis , & diu prorogatum ſponſi conſortium ; *Ecquando* , orabat , *ecquando bone Deus pandentur mihi atria tua ? Quando perfruar aſpectu vultus tui in domo tua ? Velis iubeas quantociùs id fieri.* Reſponſum accepit: *Hoc de arbitriis tuis pendet ; ingredere , ex voluntate vtere domo mea, vtere cœlo meo. An obliuiſceris cor tuum eſſe mihi pro domo , & pro cœlo ? Illucte ad votum receptas , & eris hoſpita domus mæ ; ſicut enim cor meum pro hoſpitio tibi eſt , ita cor tuum domicilium mihi eſt.*

O terque, quaterque beatam animam , cui militat æther, cui tam ſuaues aſpirant afflatus cœleſtium zephirorum , cui fluunt tot diuinorum chariſmatum imbres , & ſanctarum deliciarum riui perpetui ! Magè tamen beatam , quia bono , ſanctoque vſui tibi ſunt iſthæc omnia : inde enim tibi perpurgantur affectus , inde radices virtutum figuntur altiùs , inde maturiores enaſcuntur fructus , inde tibi mens ſplendeſcit illuſtriùs , amor ardentiùs incaleſcit , feruentior fit zelus , profunda iam ſatis humilitas cordis tui longè it profundior , & pius ſolito miteſcit lenitas animi tui. Denique inde tota virtutum ſoboles lacte illo angelico alita ſuccreſcit lætior. Vna dumtaxat re ſollicitior, atque importuna nimis videbatur , in quæritandis nempe corporis afflictionibus, cui nunquam ſatis erant, ſiue iam indultæ; ſiue ſponte aſſumptæ. Parciùs tamen eiuſmodi macerationes con-

cede

Digitized by

cedebantur, ne contra rationem Instituti, vti dictum est libro primo, aliquid austerius suprà communem consuetudinem inveheretur in Congregationem, quo imbecilliores viribus plus alieni exempli æmulatione læderentur, quàm proficerent. Quod cùm illa animaduerteret, studium impensius conuertens aduersus genium naturæ, satagebat vim maiorem inferre animæ passionibus, nondum planè edomitas ad internecionem vsque effringere; odioséne, an amanter secum ageretur, nihili facere; bene, an malè valeat, ne cogitare quidem; noxas seueriùs castigare, leuiores amplificare, quo vilior, & noxia nimis in oculis omnium haberetur, & eiusdem rationis alia humano ingenio asperiora, quàm sit carnis mactatio. Nullumque erat illi gratius officij genus, quàm si Director ferrum, & ignem adhiberet amputandis surculis arrogantiæ, sique in reprehendenda ea non de elephante culicem, sed de culice faceret elephantem.

Epistola diei 10. *Aprilis.*

OBsecro te, Reuerende Pater, diligenter age negotium perfectæ reconciliationis meæ ad Deum, vt cum Magdalena audire merear illa benignissima verba; *Vade in pace.* Hoc mane strata iacebam ad pedes Saluatoris mei, vehementi dolore attrita de crebris relapsibus meis, & plorans misericordiam eius inclamabam: misericordiam intellige magnam, quia magna sunt crimina mea. Propemodùm audiui læta dici mihi; *Remittuntur tibi peccata tua, secundùm fidem, amoremque tuum.* Dumque ita substernerer pedibus sponsi, pro sua clementia permisit, vt lacrymis compunctionis lauarem pedes suos, oscularer vnitione animæ meæ, & tergerem per fidelem attentionem. Sed præterea docuit eosdem tergere, atque vngere alio modo. Iterum, atque iterum obtestor te, faueas mihi apud Deum precibus tuis: si feceris, spero fore, vt coniuncta viuam cum eo, nunquam ad vomitum reditura. Velim statuas hoc esse desideriorum meorum maximum. Vale.

Digitized by Google

ADDITIONES.

Summo mane ſurgentis diei ipſemet ſponſus ſponſam incuſabat diuagatæ mentis, ſiſtitque ream coram ſuo tribunali, Actor, & Iudex. Illa non ſe culpa, aut reatu purgare, ſed ſontem, & graui mulcta dignam proclamare. Ad pedes tamen Iudicis ſacrilegio veniam implorabat, æmulata Mariam Magdalenam, de qua erat hodie lectio Euangelij. Roganti facilè condonatum eſt; & vt cum Magdalena, vadat in pace iuſſum eſt. Inſtabat nihilominùs pro venia precibus, & lacrymis Iudicem fatigans, qui quaſi faſtidio habens improbitatem deprecantis, eam cum ſtomacho reiecit à pedibus ſuis illis verbis; *Vade in pace.* Tunc ſponſa; *Quò etenim vadam, dulciſſime ſponſe? Quò vis abeam? Tecum mihi omne bonum, apud te vita vtor, moriar ſecedens.* Receſſum tamen adhuc vrgebat ſponſus. At confeſtim expandens viſcera diuini pectoris, cor amantiſſimum dolenti oſtendit, dixitque; *Huc te, huc te ire oportet; amoue te de pedibus meis, & huc properans conſcende.* Ex tempore raptam ad ſe attraxit, & in domicilio cordis ſui abſcondit, ſponſa non ſatis aduertente, neque faciem loci, neque celeritatem raptus.

Ex occaſione autem vnctionis, & deterſionis pedum, de qua in epiſtola, ſponſus alium tradidit modum, dicens modum vngendi pedes ſuos contineri tribus illis monitis, quæ Auctor huius Ordinis Viſitationis ſumpſerat ex Regula Sancti Auguſtini ad Moniales, & tranſtulerat in conſtitutiones huiuſmet Ordinis *cap.* 25.

Nempe, Præpoſita conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmas, patiens ſit ad omnes. De quibus differens oſtendit, pia officia illis præſtita, ſibi eſſe præſtita, quia membra ſunt, licet infirma, corporis ſui: In ſynaxi actus fuere conſueti, & nonnulla blàndimenta.

Verùm nonnihil de viuaciſſimis illis ſenſis imminutum eſt hiſce poſtremis diebus; numero punctum deerat aliquod. Cauſas indaganti ſponſæ occurrit nulla, quamuis in ea indagine operæ mit imùm poneret, nec allici ſenſu affectaret, vni Deo aſpiràns, vnicéque appetens noſſe ipſum velle Dei, & pertinaci conatu ſequi. Tunc quæſitum eſt ab ea, vtrum oblata occaſione reipſa hilariter, ac ſtudiosè exequeretur imperia, conſiliáve-

Digitized by Google

conſiliáve ſponſi? Et reſpondit; *Totis viribus connitor actu exequi, nec inutiles ſino abire caſus. Qui ſi deſint, opportuniores exquiro. Verùm is eſt ſponſi mei ductus, ea cura ſingularis, vt loco, & tempore, neque animo deficere opus, neque operi animum patiatur.*

Redeamus iam cum ſponſa ad ſponſum pœnis anhelantem. Illa quidem in promptu habebat ſeriem tormentorum, quæ in numerum, & in ordinem meditando redigeret. At in ipſo limine ſponſus reduxit ſub illius cogitationem, quod antiquitus obiecerat Pilato, *Ioan.* 19. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Attamen ne verbulum fecit de poteſtate Pilati, ſed ex occaſione poteſtatis deſuper datæ, nouos, & inopinatos tractatus inſtituit, fuſéque proſecutus eſt de ditione ſibi diuinitus collata, & quaſi hæreditaria, ſuper corde dilectæ ſponſæ; & verbis addens authoritatem operis, ibidem voluit iure ſuo vti, prodens inſignia ditionis, leges ferens, & cuncta imperiis ſuis ſubiecta tenens, quæ ſponſa ſubmiſsè capeſſit, iuribus nil detrahens, neque diffugiens leges.

Epiſtola diei 13. *Aprilis, quæ erat Dominica Palmarum.*

AMantiſſime Pater, rectè, honeſtéque fieri nequit, quin feſtiuo hoc die benedictionem à te mihi impetrendam curem, atque vnà ſimul officio erga te meo faciam ſatis. Vt te amore, vt præcipua obſeruantia præ cæteris colam, multis præcepit ſponſus, iure quidem merito; neque enim illorum quiſpiam me miſellam de vinculis, æneiſque catenis peccatorum eripuit, ac tu. Tu animam hanc, tu puſillum ſpiritum mentis meæ, ideſt, iumenta hæc duo vitiis illigata ſoluiſti, ſoluta ad Chriſtum manu duxiſti, pallio charitatis operuiſti, & contexiſti paludamento curæ tuæ, vt ad eum magè decora, grataque peruenirent. Eia ergo, dilectiſſime Pater, inchoati operis gratiam perfice, & ad propoſitam metam rem omnem perducito, bina hæc iumenta ſarcinis, & iugo apta Domino Deo in ſacrificium defer. Vtatur ille ad placitum, quando eis opus habuerit, ad honorem, gloriámve ſuam. Credas velim, nihil mihi magis in optatis eſſe, nihil magis animo ſtatutum, quàm vt me totam fidei, ductuique diuino committam, à cuius

nutibus ne latum quidem vnguem recedam. Ille bonitatis ſuæ copiam abundantiorem faciens, nulla non die, nulla non hora ſeruulam ſuam viſitat, ſolatur, diuina præſentia fouet, roboratque, non veritus etiam de theſauris ſuis dicere, *Ecce cunctæ res meæ apud te ſunt, apud me tuæ: id enim præſtat amor.* At ecce præ foribus adeſt ſponſus, tempus eſt parari hoſpiti locum, obuiam ire, & decenter excipere Regem iſtum, qui venit mitis, ac manſuetus inuiſere pauperculam, ignobilem, & anguſtiſſimam ciuitatulam ſuam. Heu me! quantus hîc aderit campus lacrymarum? Quantoperè ingemiſcet dolens de gratiis ſibi à ſponſa aut non redditis, aut malè redditis? Ope tua egeo, optime Pater, vt hodie benè ſit illi apud me, & abſtergantur lacrymæ de genis eius. In animo habeo, ſi ſic approbet Deus, lumina per integrum diem, ne momento vno ab eo deflectere. Cæterùm longè à me auertat ingratum, impium, & crudele exemplum eorum qui Creatorem ſuum ieiunum ab vrbe dimiſere, non oblata buccella panis, aut calice frigidæ. Epulum paulò melius parare paro: quod epulanti porrigam, ſuppeditabit Deus. Vale.

ADDITIONES.

Quod de futuris gemitibus, & lacrymis ſponſi ſuper ciuitatula ſua, hoc eſt, ſuper hac anima, præuidetur, de Lucæ Euangelio *cap.* 19. ſumptum eſt, vbi dicitur, quod Ieſus appropinquans, & videns ciuitatem Ieruſalem, fleuit ſuper eam. Fleuit autem etiam hoc loco ſuper ciuitatula ſua, ſed ante obiecit illi cauſam fletus, exprobrans quod olim ad Ieruſalem; *Si cognouiſſes & tu. Si cognouiſſes*, inquiens, *quæ, & quanta ſint tibi à Deo Optimo Maximo data commoda, ſi benefactorum pretia, ſi largientis animum, ſi amorem, quæ omnia certiſſima ſunt pignora diuinæ erga te clementiæ, & manifeſta miſericordiæ argumenta.* Specialiter autem eandem culpauit quadruplici ex capite. Primò quòd genio naturæ ſibi per omnia blandientis plus iuſto nonnunquam obſequeretur. Secundò, quòd ſponſo vbique præſenti ipſa non vſque præſens adeſſet, cùm ardenter amantium hoc ſit, inuicem ſibi præſentes eſſe, quantumvis longè abſentes. Reliquorum non benè memini, erant tamen non diſſimilis rationis, & de iis quæ ſummam lucem præferunt pergentibus ad ſumma ſanctitatis.

ſanctitatis. Ad eam exprobrationem ſponſa accerrimè peccati doluit, puduitque. Exortus verò in corde cum dolore pudor, commotos fluctus lacrymarum ad oculos voluebat, totaque pectora merſa fuerunt aquis, vndis non miteſcentibus intra biduum: fuitque iſte calix non frigidæ, ſed calentis aquæ, quem toto biduo propinauit ſponſo, dum ſcrutandis, expiandiſque offenſis vacaret.

Expleto biduo mœroris reditur ad hilaritatem pacis. Sponſus placatus pacem redintegrat, pacem promulgat Pater, pacem firmat Spiritus Sanctus; reſonant omnia pacem, & iam non ad feralia crucis, ſed ad Paſchales dapes progreſſum eſt: ſponſa enim paritura præcepto Eccleſiæ de annuatim ſumendo Euchariſtico, ad illud hac ipſa die ſe comparabat: ſponſus verò priùs inquiſiuit de loco conuiuij, de pompa loci, atque de menſa, aggreſſus ſponſam ea interrogatione, quæ extat apud Marc. *cap.* 14. *Vbi eſt refectio, vbi paſcha manducem?* Simul connectens verba *Lucæ.* 22. *Deſiderio enim deſideraui hoc paſcha manducare apud te, & tecum.* Illa vt venerat in præſentem actionem indiga rerum omnium, quid facto opus ſit ignorabat. Tunc apertè ſponſus; *Triclinio locus ſit cor tuum: arctior quidem ſedes eſt, & ornatu tenuior, quàm requirat dignitas, atque maieſtas hoſpitis; ſed arte, manuque noſtra latius protendetur, conſterneturque magnificentiſſimis emblematibus, vt ſit comparandum illi, in quo paſcha quondam feci cum diſcipulis meis, quod erat grande, ſtratum, & paratum. Marc.* 14.

His dictis acceſſit Pater, & cum eo Spiritus ſanctus, & diſpertitis officiis pro ſorte quiſque ſua operam contulit ornando cœnaculo, ac celebrando Paſchati. Priores partes ſubiit Pater ſic affatus; *Curæ omnipotentiæ meæ eſt, grandia atque magnifica facere: vt, virtuteque mea grandeſcant huius corculi paruitates, laxentur preſſa cœnaculi ſpatia.* Dixit, & ſub hora mirandum in modum ſponſa experta eſt extendi animum ſuum ad ſublimiora virtutum, fiducia in Deum vires cœpit pereximias, & magnanimitas cordis iam ſatis locuples, multò ſplendidiùs locupletata eſt. Secundas aſſumpſit Sponſus, aulæ nimirum, & menſæ parandæonus. Ipſæ vndique emundauit locum puluiſculis peccatorum, & innocentia ſua deterſit ab anima minutulas quaſque reliquias culparum, inquiens; *Agnus ipſe ſum ſine macula, peccata*

mundi ſuſtollo, & puritate, ſanctitateque mea animas diuinis obſequiis dignè apparo. Sic quod loquendo efficere pollicitus eſt, incunctanter reipſa effecit. Poſtremas expleuit Spiritus Sanctus, miniſterio ſcilicet ſpectabilium ornamentorum, quibus cœnaculum luculentiùs eluceret. Itaque animam Nanæ ſuæ pretioſiſſimis donariis Numinis ſui circumquaque obtendit, eodem propè modo, ac ſolent regij parietes appenſis tapetibus, picturis, aureis quoque, vel argenteis figuris diſtingui, atque exornari.

Triclinio ſtrato, non ſtatim aſſidere menſæ datum eſt: Rex priùs ſtatuit conditiones diſcumbentium, appoſitaſque leges præſcripſit accedentibus, deductas à ritu, quem Moyſes Iudæis, *Exod.* 12. tradiderat ad ritè veſcendum Agno Paſchali. Breui ego circuitu complectar, quæ Magiſter longo tractu mandauit ſponſæ, dum peragendo ſacro intereſſet, & Sacerdos acta Dominicæ Paſſionis ad Aram percurreret. Primam legem his complexus eſt; *Vt dignè epulo Paſchali adſtes, in gradu perſta, feſtinanti ſimilis. In gradu autem ſtabis, ſi Dei tui dictis auſcultans, ſi præſto fueris ad opus; ſi pede agilis: celeres manus, facileſque pedes poſcit opus Dei. Quare vbi tibi ſpirarit aura cœli, illuc manibus, pedibuſque procurrito. Id vt paratior peragas, impertiar ego tibi cor docile, cor tenellæ filiolæ, Patrem æquè verentis, ac amantis.* Hoc eſt quod præceperat Moyſes: *Comedetis feſtinanter, eſt enim phaſe, ideſt tranſitus Domini.*

Secunda. *Baculum in manu teneas, crucem meam apprehende, innitere meritis paſſionis meæ, & fortem baculum geſtabis.* Exod. *Tenentes baculos in manibus?*

Tertia. *Accinctos renes habeto, baltheo ſcilicet integerrimæ caſtimoniæ.* Sponſa, cui minimè erat obſcurum, eam virtutem non ſponte, non arte, nec ſtudio, induſtriáve humana homini obuenire, ſed eſſe ſpeciale Dei donum, ſpecialemque gratiam, & victoriam; ſponſa, inquam, multa, ardentique deprecatione expoſtulauit ſibi concedi perfectam mentis, & corporis ſanctimoniam. Exod. *Renes veſtros accingetis.*

Quarta. *In hoc conuiuio adhibeto lactucas agreſtes, & amaras. Pœniteatte obſeraſſe interdum aures diuinis afflatibus, & ſtetiſſe iudicio, commodiſque tuis, potiùs quàm Dei arbitriis. Si me amas, poſthac præter Deum audies, amabiſque neminem.* Ad iſthæc verba ſemiſopitus ſpiritus

ſpiritus mœroris, ac pœnitentiæ ſuſcitatus eſt, & ora nullo ciente, ſpontaneis ſparſa ſunt fletibus. At qui paulò ante tot lacrymas dederat ſuper ciuitatula ſua, nunc earumdem, crucis quoque, ac toleratæ mortis pretia expiationi ſponſæ impendit, ſuppleuitque quicquid vltionis, & pœnarum ab ea poſſet deſiderari. Exod. *Edent cum lactucis agreſtibus.*

Quinta. *Caueatur à fermento in hac menſa: ſola placent azyma.* Quid tu putas fermentum? Cuipiam rei affici extra vnum Deum, fermentum eſt: hoc virus eſt, quo tota maſſa bonorum operum corrumpitur. Exod. *Edent azymos panes.*

Sexta. Denique extrema ſermonis clauſit ea conditione: *Nauſeat menſa iſta quicquid apponitur coctum languore torpentis aquæ. Tu nihil vnquam huc apportes non aſſum in camino, & ignibus diuini amoris.* Ex ſono eius vocis, quaſi de quadam vehementiſſima inſufflatione altiores ſurrexere ignes amoris, & erumpentibus de camino flammis, menſa, conclaue, totaque domus conflagrarunt. Quid actum ſit de ſponſa inter voraces flammas, non ſatis ſibi innotuit, auidè tantùm horam cœleſtis cibi eſuriebat. Exod. *Edent carnes nocte illa aſſas igni.* Item: *Non comedetis quid coctum aqua, ſed tantùm aſſum igni.*

In ipſa igitur hora conuiuij, illato ſuper menſam Agno Paſchali, eoque venerabundè ſumpto, ad opus ſuum rediere Diuinæ Perſonæ. Pater, qui ad commodiorem comeſtionem Paſchæ triclinium amplificauerat, nunc merito Paſſionis Filij ſui pompa ſplendidiore ornauit, iterumque adoptauit ſeruam ſuam in electam filiam, firmauit quoque gratiam adoptionis magnis pignoribus. Sponſus detulit in rem ſponſæ præmia, atque trophæa conquiſita in agone eiuſdem Paſſionis. Spiritus ſpopondit habiturum ſeſe rationes eius priuatas ſingulari in cura, ac patrocinio, & collaturum quicquid poterit inſeruire augendæ eius ſanctitati. Sicque nouis auxiliis, & donis cumulata ſenſit maximoperè in ſe viruiſſe feruorem amoris diuini, copiam gratiæ, & gloriam virtutum. Erubuit tamen de excellentia donorum, de tantæ beneuolentiæ ſignificationibus, & de tali honoris præeminentia. Sed Superûm votis cedendum eſt, quicquid è contra velis.

Per omnes dies hebdomadæ pœnoſæ adſtitit aſſecla Redemptori, Magiſtroque ſuo, qui ipſi oſtentabat prodigium amoris

sui erga hominum genus, & innumeras species, atque intolerandam asperitatem suppliciorum suorum ; obtulit quoque amari calicis compotationem ; cruci secum affixit , crucem in monticulo cordis eius erexit , iussitque iacere ad radices crucis suæ, breui tamen tempore ; nam mox intromisit illam in penetralia cordis sui per scissuram lateris, & ibidem demonstrauit spectatrici viscera misericordiæ suæ, & exuperantias diuinæ bonitatis. Quid sponsa inter isthæc omnia? Nil nisi sequi omne velle Magistri.

Extrema iam die hebdomadæ venit in partem quoque magisterij afflicta Mater Christi , quæ cùm multa prætulisset de multiformi sæuitia cruciatuum Filij , & de fructibus inde promendis, tandem ad sepulchrum descendit , & primùm de reuellendo à cruce sacratissimo corpore Christi disseruit hoc modo : *Hoc genus officij , non muliebre , sed virile brachium poscit : quid enim est Christum de cruce deponere , quàm remouere peccantem hominem ab vsu peccandi ? Siquidem Filius meus nullum hominum reputat non membrum connexum corpori suo, aut sibi non concorporatum. At certo certius est , peccatum animarum carnificem , in malam crucem agere eum, qui peccat, crucique clauo plusquam trabali miserum affigere.* Qui igitur membrum Christi à peccato diuellit, Christum à cruce diuellit. Verùm isthæc operosa actio est , cui non animo solùm, sed magno, virili, & audaci animo opus est, qualem Nicodemus, qualemque Ioseph us exhibuere, audacter postulato, & depositò corpore Iesu. Cúmque tunc temporis sponsa esset Præposita Monasterij , cui imminet errantes corrigere, & ad bonam frugem reducere , hoc officij opus perquàm ardenter ipsi à Beata Virgine iniunctum fuit, & tempestiuè quidem : nam mox oborta opportunitate adhibendæ correctionis , generosè adhibuit, reprehensionem exacuens iusta verbi authoritate, & acrimonia, nil tamen læsa consueta animi tranquillitate. Ex illo autem die permultùm creuit in ea indignatio aduersus leues quascumque diuini Numinis offensiunculas, creuit horrendum odium , & diriſſima detestatio omnium peccatorum. Post hæc eadem Beata Virgo conferens sepulchrum cum corde sponsæ , petiit ab ea conditiones eiusdem sepulchri , his verbis ; *Vt in tumulo cordis tui aptè condas corpus sponsi, sit sepulchrum puritate nouum , sit excisum scalpro mortificationis , & ostio appositum habeat grande saxum inuictæ perseuerantiæ.* Aliquot noctes

istius

istius hebdomadæ, si non penitus insomnes, saltem per multas horas transiere vigiles.

Epistola diei Paschatis, vigesimæ Aprilis.

SAcratissimi temporis dignitas, & nostri officij reuerentia non bene patiuntur hanc diem esse sine nostris litteris, quibus significaremus tibi probatissimum fuisse apud vnamquamque nostrûm hesternum votum tuum, quo dixisti velle te, nos omnes hac die rediuiuas cum sponso resurgere: in idem consentimus, speramusque id beneficij consecuturas suffragante prece, ac benedictione tua. Ita commune votum approbet Deus. His adnectam verbulum vnum, aut alterum de corde quod tu bene nosti; in manibus meis non est, Redemptor possessionem illius totis his diebus elapsis præoccupauit. Occupauit autem repetitione cruciatuum suorum, & amabili sensu dolorum. Accessit quoque Genitricis eius pietas, quæ heri eadem narratione, & expositione culparum mearum, quæ Filium suum in tam funesta demiserunt, cor meum tota die compleuit amaritudine. Verumtamen posteà facta est purgatio earumdem culparum, ipsa excusauit, veniam petiit, veniam consecuta est, ac planè reconciliauit Trinitati. Tanta est diuinæ clementiæ facilitas, tanta Genitricis Dei gratia, ac potestas. Hoc mane sponsus, quasi victor de inferis regressus, rectà ad cor meum properauit, tanquam ad lymbum, in quo captiua iacebat anima mea: statim cognoscibilem se dedit fulgore splendoris sui, & expulsis de loco tenebris, quæ videbantur aduersari operationibus suis, sedem sibi primùm vendicauit in ipso medio cordis, ibique fixit thronum suum, radiatus vt sol in medio cælo: luci verò calorem quoque copulans, voluntatem meam vehementissimo amore succendit illis verbis; *Ego sum Agnus Dei occisus, dignus accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem: ego in hoc corde sedeo, velut in throno meo, hic vt Deus volo coli, vt Dominus obtemperari, vt Rex seruari leges meas, vt Sponsus fideliter amari.* Subinde maturè, & ex arbitrio suo locum apparauit sibi redituro in synaxi, vbi cùm adesset, operatus est opera suæ potentiæ, purificans, sanctificans,

cans, transformans, & deificans animam sibi sacramento vnitam. Nihil mihi relictum est, quod præstarem in tota actione, præfuit, rexitque omnia, qui me tenebat legibus suis obligatam. Ego in cunctis succubui voluntatibus eius. Vale.

ADDITIONES.

Hæc scripto, verbo autem retulit sequentia. *Huius bidui alternas vices interposita pactione sponsus mecum partitus est; hesternas sibi, hodiernas mihi.* Quid hoc sibi vellet, sponsa sic exposuit; *Heri sponsus amplificatis iuribus dominij sui super hanc ancillulam suam, ità ratiocinatus est: Ego animam meam saluti tuæ deuoui, ego seruitutem tyrannicam à capite tuo detraxi, ego te multo sanguine, acceptisque vulneribus pluribus mihi comparaui, cùm guttula vna pretium tui longissimè excederet. An non ergo herus, & arbiter ego tuus? Annon mei iuris, & omninò mea es? Statimque thronum insigne suæ possessionis in corde substrato erexit, ibique positus Dominum, Regem, ac Deum agebat latus, & tenens omnes facultates meas, ac si aliquid speciosius imperio suo additum fuisset. Ego rursus nomen meum illi dedi ad omnia. Hodie verò meæ sunt vices; nam hac luce matutina beneuolè commodans se mihi, totum in rem, & in mea arbitria se tradidit. Exposuit oculis animæ meæ inæstimabilem pulchritudinem suam, obtulit thesauros bonis omnibus instructissimos, & dixit; Muneri, vsuique tuo sunt isthæc omnia, vtere progenio, tibi eroganda coaceruaui. Proposuit autem præcipuè quatuor dotes Corporis glorioſi, ſpecimen tamen ſolius claritatis dedit, dum adhuc recumberet, vt modò dicebam, in ſuo excelſo throno, cui pro baſi erat cor meum. Rutilare ſimul omnia ſpectabam, cor, thronum, & ſponſum: ſilens ego præcipuas agendi partes oculis deferebam, ſuſpicientibus vultum illum micantem ſuper ſydera, cui interdum dicebam de cordis intimo; Speciosus forma præ filiis hominum, electus mihi ex millibus. Ille autem ad me: Euge, quem ſpectas, apprehende, tibi retine, ad te dono attinet. Et alludens ad proximè futuram ſynaxim aiebat; Retine nunc præſentia ſpirituali, mox complexura reali.*

Vt verò decentiùs, & pro maieſtate reciperetur in ſynaxi, primùm abſterſit neſcio quid obſcurum oculis ſponſæ, ſed ſuis minùs gratum. Deinde animam omni parte perfudit, vt quondam corda Apoſtolorum, oleo pacis, ac tranquillitatis. Denique momentò aperiens ſibi in corde ſponſæ regiam prægrandem, eam iubare ſolis pro tapetiis irradiauit, memor matutinæ diſputationis

Digitized by Google

diſputationis de dote claritatis, dicebatque digno hoſpite dignum hoſpitium, peramplum amplitudine donorum, & coruſcum magno lumine gratiæ. Sponſa ne huc illuc mentem à ſponſo diuideret, vix, & per tranſennam aſpectum inuertit ad ſplendorem, ſoli ſponſo intenta. Sumpta iam ſynaxi ſponſus illicò dilectam in ſeipſum transformauit. Tum expliçatis opibus ditiſſimi theſauri ſui, liberaliter illam hortabatur, vt inde quod vellet, acciperet, inquiens: *Opta quod magè lubet, quicquid theſauri mei in deſiderium venerit, manu carpe; in donum tibi repoſita ſunt vniuerſa.* Cui illa; *Quid deſiderem? Quid optem? Quid carpam? Te vnum deſidero, te quæro, te ſolum amo, extra te nihil. Terreſtria mihi ſordent, cæleſtia æqui non ſunt pretij, aut dilectionis.* Sic hora illa, & totius diei reliquiæ inter ſponſi delicias inſumptæ ſunt.

Poſtera die Beatiſſima Virgo Maria munus inſtituendæ ſuſcepit, longa oratione recenſens mirificas animæ ſuæ lætitias ex Filij rediuiui aſpectu, ac blandimentis. *Oh quàm bonum, & optabile eſt*, aiebat, *Ieſum ad crucem ſectari, malaque ingraueſcentia ſecum ferre, quandoquidem ſoleant tam ſuaues fructus parere, & præteritos dolores tam diuite mercede reſtaurare. Tu verò deploraſti mecum iniqua fata Filij mei, mearumque curarum amaritudinem mecum deguſtaſti; æquum, eſt vt mecum gaudia, & conſolationes reſurrectionis delibes.* Quod oratio loquentis efferebat, hoc audientis experientia ſentiebat.

Altera ſubinde die ſponſa languebat prope ſepulchrum, ſponſum ſuſpirans: ſponſus vt ibi diù ſponſa langueſceret, non eſt paſſus, conſpectui celeriter oblatus, non quidem corporea forma, ſed per intimum modum præſentiæ, loquelæque ſpiritualis, ſicque prior affatus eſt; *Quid quæris viuentem cum mortuis? In cælis quærito, illic enim regnat.* Cúmque ſecundò percontaretur; *Quem quæris mulier?* Illa; *Te quæro*, inquit, *te ſuſpiro: rogo habeam te cum Magdalena Magiſtrum.* Tunc ſponſus; *Si ego Magiſter, dicentem, docentemque auſcultato. Sileant in te omnia, audiar, & loquar ego ſolus.* Vbi illa vox aures ſponſæ tetigit, repentè pendentibus ab ore Magiſtri cunctis viribus animæ, factum eſt in cœlo mentis ſilentium magnum, non diſſimile ab eo, quo Angelici ſpiritus taciti, & abſque ſtrepitu doctrinas æternæ ſapientiæ, & diuina imperia excipiunt, neruis om-

nibus extentis ad ea implenda. Magiſter itaque ſermocinationem longè producens, ſuadebat diſcipulæ audienti ad pedes eas potiſſimùm virtutes, quibus homo maximè proficit, & perficitur ad ſanctitatem; commendabat, coniunctimque ſeruari iubebat reiectionem omnium terrenorum, mentis nuditatem, promptè, ac fideliter obſequi placitis Dei, paſſiones malas radicitùs extirpare, ſollicitè curare omnes partes officij ſui; amorem ardentiſſimum erga ſponſum, robur ſuſtinentiæ in aduerſis, & eiuſdem meriti alia permulta, quæ hominem locant in faſtigio perfectionis. Denique vno puncto clauſit omnia; *In bono ſtabilis perſeuera, per pertinacem enim perſeuerantiam Magdalena Magiſtrum meruit inuentum.* Diſcipula aurem, & aſſenſum dictis præbebat, propter quod alia idemtidem die ſponſus gloriabatur datam ſibi omnem poteſtatem in cœlo, & in terra ſponſæ; per terram corpus, corporeoſque ſenſus; per cœlum rationalem, ſupremamque animæ portionem ſubintelligens: nec tam gloriabatur de data, quàm de exercita poteſtate; quia ſponſa omninò addicta eius nutibus, citiſſimè ad omnem operam præſto erat. Verba verò illa *Ioannis* 20. *Noli me tangere*; quibus Magdalenam à contactu pedum auerterat, hoc loco vertit in humilitatis, religioſæque verecundiæ diſciplinam, ſic locutus; *Minùs digna es, quàm vt me, vel ſummo digiti tangas, verumtamen ne quid deſit conſolationi tuæ, non ego à te, ſed tu à me attingêris.* Quod in ſynaxi eius diei præſtitum eſt, necnon oſtenſa via inueniendi ipſum, ſi nimirum amanter, ac feruenter perquiratur. In alia ſynaxi, non tantùm oſculis pedum, vt quondam iis fœminis, ſed & caſtis amplexibus ſe dedit, ſenſibili præſentia mentem, os balſamo, cor ſuauitate cœleſti, & animam ſe toto replens, ita vt illa nihil ampliùs videret ſui, cùm eſſent omnia plena Deo.

Ex apparitione Chriſti ad Beatum Petrum ſponſa duo monita accepit. Primum, ne vltra metam recti de reminiſcentia peccatorum excruciaretur, cùm per ſanguinem, ac mortem Redemptoris abolita fuerint, in cuius rei fidem pacis oſculum dedit, iunxitque ſibi ipſi. Alterum, quod tamen ad fouendam mentis humilitatem moderata peccatorum reminiſcentia permultùm proſit. Cui dicto cõſonat regale illud teſtimonium *Pſal.* 31. *Pro hac* (impietate) *orabit ad te omnis Sanctus in tempore*

Digitized by Google

tempore opportuno : quia si opportunè iuuat , importunè nocet.

Epistola diei 27. Aprilis.

PLura de statu , consiliisque cordis mei ad te scribere velim, sed breuiorem me facit inopia temporis; vbi primùm veneris ad nos , rationem omnem impensiùs reddam. Intereà noueris illud in mea ditione non esse ; captiuum est apud Dominum , & velut dissectum à me , cæterisque membris meis. Sit illi semper liberum esse cum Deo , & Deum ipsum benedicere. Vale.

ADDITIONES.

Dominica in Albis. Quod pluribus in locis obseruauimus, contingere multa de improuiso , & extra rem propositam inter meditandum , hac præsertim die euenit , neque enim præsentis erat negotij , neque vnquam sponsæ in mentem venerat, quod sponsus pro apparatu Cœnæ Eucharisticæ appposuit ex Ioan. *cap.* 20. de insufflatione sua in discipulos , & de inuisibili donatione Spiritus sancti ; etenim insufflauit in eam adiunctis verbis; *Accipe Spiritum sanctum : insufflatione mea pulnerem priùs pello peccatorum , emundoque animam , cui succedat Spiritus sanctus. Sit ille lumen , consiliumque tuum, sapientia quoque tua , directio , & fortitudo, & si quid aliud est, quo egeas.* Quid multa ? Verborum fructus fuit ditior in synaxi post iteratam à sponso insufflationem , & post accessum Patris, à quo , & à se procedere dicebat Spiritum , atque Eucharistiæ per concomitantiam adesse. In tam augusto congressu sensit sponsa se in nihilum abiisse, absorptam à Diuina Maiestate , obstupescens maximè de præmatura mentione missionis Spiritus Sancti , cùm adhuc longè abesset eius cogitationis opportunitas. Sed dictis sponsi audiendum fuit , & imitanda Ezechielis animantia , quæ vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Cæterùm , quod mane audierat de Spiritu sancto , hoc idem post synaxim , à prandio , & per singula diei momenta auribus sponsæ insonabat; *Accipe spiritum meum , ipse erit tibi directio , fortitudo , consilium , sapientiaque tua ; si quod præter hæc expetas de cœlis subsidium , haud grauatè ministrabit ipse.* Quid

hoc pollicito excelsius? Quid maius hac spe? De hoc præsidio, ductuque Diuini Numinis cogitationem, voluntatemque omnem præuenientis, sapienterque agenda disponentis, testabatur sponsa, asserendo sibi nihil operæ faciundæ relinqui, sed efficacem illum spiritum præcurrere omnem suam industriam, intercipere cunctas animi vires, inclinareque eas provt magis placeret, adhibito pariter eodem dicto, de quo superiùs; *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terrra*: se verò frustra mentem fatigare adnitendo contrà, aut aliò conuertendo: tempori enim, & impulsionibus Superûm inseruiat, necessum est. His superaddebat, violentam illam vim molesta violentia carere, esseque prætextam grato, tranquillo, & pacifico influxu, tantaque dulcedine condîtam, vt facilè crederet, se inter agmina beatorum æternis gaudiis,& pace Cœlitûm frui.

Postremis diebus huiusce mensis Magister erudiebat auditricem suam eruendis variis documentis ex apparitione facta duobus Discipulis prodeuntibus de Ierusalem in Emmaus, quamuis neque huius temporis, neque propositæ id esset meditationis. Primo omnium graui lege prohibuit, ne aliquando audeat abscedere à ciuitate Ierusalem, quæ sonat visionem pacis. Porrò Ierusalem esse dicebat, diuinum cor sponsi, & æternis Patris sinum, in quo iubetur statuere sibi proprios, perpetuosque lares, & pedem de illorum foribus nunquam efferre. Cúmque inter colloquendum incidisset mentio pacis, instillatæ fuere in præcordia discipulæ tam placidæ vndæ Pacis cœlestis, vt se æstimaret natare in pleno pelago olei, & balsami: tactam verò magno desiderio, & anhelantem ad Ierusalem supernam, Magister, vt quondam discipulos peregrinantes, de causa tristitiæ interrogauit, cui illa induens personam peregrinantis; *Heu me*, respondit, *quare incolatus meus in his plagis prolongatus est? Cur tamdiu habito terras, cùm incola cælorum fieri exardescat anima mea*? Deinde progressus ad interpretationem, non scripturarum, vt egerat incedens cum discipulis, sed ad interpretationem eius vnius vocis, quæ legitur in eodem Euangelio, ostentabat sponsæ singularem affectum erga eam, cùm quicquid pro ea toleraſſet, instar nihili æstimaret, commonens interim idem ab ea reposci, vt nimirum præteritorum operum facilè obliuiscatur, & ad ea quæ supersunt, generosè conuolet,

conuolet, donec virtus omnibus numeris perficiatur; tradidit-que hoc loco insignia puncta humilitatis exercendæ. Ac ne recederet à consueto more redarguendi errata sponsæ, qui discipulis iter agentibus exprobrauerat stultitiam, & tarditatem cordis, idem discipulæ obiectauit cordis diuagationes, vsus illis verbis: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem?* Ideſt, qui sunt sermones, cogitationesve animi tui, dum in hac vita peregrinaris à facie Dei tui? Et colligens quasi in fasciculos sermones leues, & inanes, verba otiosa, & friuolas cogitationes sponsæ seuerè exprobrauit, iniunxitque, vt posthac explosis aliis, de se solo instituat quotidiana colloquia. Postremò declarauit, quo pacto, qua vi cogendus esset, vt apud ipsam sumat cœnam. Pro pane, in cuius fractione agnitus fuerat à suis hospitibus, petiit cor sponsæ contritione confractum; & eo per actum contritionis dissecto, ingentes flammarum globos succendit, quibus illa sensit etiam ipsum corpus aduri. Per hoc adduxit exemplum eius ardoris, quo corda discipulorum æstuabant in via, dum loquentem Seruatorem audirent. An ego possim tot diuinæ bonitatis flammas, tot largitiones calamo deferre? Arenas priùs littoris maris, & pluuiarum guttas certè in numerum redegerim.

MAIVS.

KAlendæ Maiæ fauſtiſſimæ fuerunt in festo Apostolorum Iacobi, & Philippi, & dato dono fidei. Nam quod paucos ante dies sponsus de hoc dono spoponderat, hac die facto exsoluit. Ansam dedit Euangelium lectum in Missa *Ioannis* 14. in quo Christus metum depellens è cordibus discipulorum, aiebat: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet: creditis in Deum, & in me credite.* Quibus superaddendo lumina sapientiæ suæ patefecit plurima, nil minùs augusta, quàm obscura arcana Trinitatis Venerandæ. Ad ea perstringuntur oculi discipulæ rerum fulgore, aures hebescunt ad inaudita, & mens capta spectaculi maiestate comminuitur admiratione; solo radio fidei clarescunt omnia. Quamuis autem lumine fidei cerneret quæ verissima de Deo sunt, ne tamen lingua propalaret, impediuit rerum magnitudo. Hoc aliquantò maius videbitur, si perpendas conueniſſe in hoc magisterium cæteras quoque Personas Sanctiſſi-

mæ Trinitatis, & earum quamlibet præcepta tradidiſſe, tum ad maiorem claritatem, firmitatemque doctrinæ, tum pro moribus ad normam fidei componendis. Verum quidem eſt in ea ſchola primas docendi ſponſo tanquam hyppodidaſcalo fuiſſe conceſſas, immò & eius gratiâ illas illuminationes aduenisſe.

Pater explicabat æternam, & incomprehenſibilem generationem Filij in eadem ſubſtantia, ſibi per omnia æqualis, nec vlla re minoris. Filius emanationem originis ſuæ à Patre, & proceſſionem Spiritus ſancti à Patre, & à Filio. Spiritus Sanctus amorem, quem ſe eſſe dicebat vnitiuum Patris ad Filium, & Filij ad Patrem. In primis demonſtrabat, ita omnes, & in tam perfecta, eminentique concordia, atque identitate eſſentiæ ſubſiſtere, vt tres vnum ſint; & tamen non obſiſtente eadem identitate eſſentiæ, exiſtere tres veras, ac diſtinctas perſonas. Spectaculi fulgor, myſteriique alta profunditas rationem omnem auditricis offuſcabat, nec permittebat alio actu fungi, quàm fidei, admirationis, & venerationis. Quoniam verò tam eleuatæ veritates captum humanæ intelligentiæ nimis ſuperexcedunt, caduntque ſub ſolo lumine fidei, quælibet Perſona completo ſermone ſuo quæritabat; *Crediſne hoc?* Sed quæſtioni donum fidei copulabat, quo illa crederet. Quare citiſſimè, & certiſſima de veritate reſpondebat: *Credo Domine.* Remanſitque per totum diem ita præſens ſenſus huius illuminationis, vt nihil ei ante oculos obuerſaretur, quàm repræſentatio dictorum myſteriorum.

Quod attinet ad regulam morum, Pater ita arguebat: *Si in me credis, nunquam de corde tuo abeat filialis obedientia, nunquam filialis fiducia: abitriis meis arbitria, deſideriaque tua, & quicquid eſt in te aliud, immò & caput ipſum deuoueto, fidito curas tuas omnes protectioni meæ, & in cunctis ſubdere meæ prouidentiæ. Ego in te iura patria poſſideo, ego paternos ſpiritus pro te gero, ego ſum robore fortis, & omnia pollens. Filia obediens nunquam à Patre immunerata recedes.* Vno momento promiſſum, ac præſtitum eſt idem. Filius monebat; *Vt in me ritè, ac fructuosè credas, ſecteris oportet acta vitæ meæ, ac virtutum exempla, quæ mortalibus inter mortales degens paſſim reliqui. Si id diligenter agas, ſapientiæ meæ radios facilis impetrabis, & ego plena manu tibi concedam quæſtus laborum meorum.* Non illam loquentis

loquentis decepit oblatio, cui actutùm ſucceſſit rei oblatæ donatio. Spiritus autem ſanctus benignitatem, manſuetudinem, placiditatem, & amorem Dei commendauit; ſed quod commendauit, coniunctim dedit.

Poſt hæc eadem Beatiſſima Trinitas ad perfectiorem reparationem animæ ſponſæ imaginem ſuæ Diuinitatis renouauit. Finge tibi animo mollem ceram impoſito ſigillo premi, imbibi effigie aliqua, eamque ad viuum referre. Hoc modo recuſa eſt in mente diſcipulæ imago Diuinitatis, quam illa excepit, reddiditque multò ſpecioſiorem, quàm foret antea. Quare hic erat ſermo magiſtri; *Hanc nos animam aliàs formauimus typo Diuinitatis ſignatam; anima quippe vna eſt, ſed memoria, intellectu, & voluntate, quaſi tribus rebus diſtinctis munita, eo ferè modo, quo nos ſumus vnâ eſſentia, vnus Deus; tribus tamen perſonis diſtincti. Nunc verò purificatis tribus illis facultatibus, & anima ad nos in vnum aſſumpta, recèns reformauimus.* In hoc opere Pater memoriam impreſſione ſui reſtaurauit, Filius intellectum, Spiritus voluntatem; quæ iterum viuaciori cum efficacitate in ſynaxi renouata, perfectaque fuere.

Hac ipſa prima die menſis ſponſa in animo habebat de more firmare vota religioſa poſt ſynaxim; attamen quia non erat amplius iuris ſui, & velit nolit, cogebatur inſequi placita Magiſtri, eiuſdem voluntatibus ſe, ſuaque omnia dedit. Optatis occurrit ille, & religioſam ſponſionem pro ſponſa firmauit. Eoque proferente, quod legitur in Euangelio illius diei ex Ioan. *cap.* 4. *Ego ſum via, veritas, & vita*; ſtatim occurrerunt aliæ duæ Perſonæ Trinitatis, quarum vnaquæque aſciuit ſibi vnum è tribus prædictis epithetis, quod vni trium votorum aſcripſit, hac ratione: Pater; *Ego ſum tibi via per obedientiam.* Filius; *Ego per nudam paupertatem ſum tibi nuda veritas.* Spiritus; *Et ego per caſtitatem vita.* Propoſitum ſuum vnuſquiſque hoc modo probauit. Pater; *Vt ſpopondiſti obtempera, & rectam viam inueniſti; ego enim benè obtemperantem dirigam per ſemitas iuſtitiæ meæ, quibus ſtruitur via tutiſſima ad æternam ſalutem.* Filius; *Ego per diſciplinam paupertatis animum tuum diuerto à ſtudio fallacium diuitiarum, ſpolioque terrenis, atque caducis commoditatibus, ne illarum fuco excæcata veris opibus cœli defrauderis. Per eandem diſciplinam paupertatis doceo ſtudere iis bonis, quæ altiſſimis fulta radicibus poſſeſſores ſuos æternis beant fælicitatibus.*

felicitatibus. Doceo mihi vni cohærere , qui bonorum omnium ſum verè diues , expers fallaciæ , ac veriſſimè Deus immutabilis. Igitur ſum, eroque tibi ſincera veritas. Spiritus ; *Annon per caſtitatem in te velut in meo templo hoſpitor, in te viuo, in te grandia operor? Ergo vi caſtitatis vita tua ſum.* Quis hîc æquo ſtylo referat, quæ virtutum incrementa ſponſa receperit? Quis digna reponat in pagina amoris delicias, diuina blandimenta, & ardoris flammas? Cor ſacris æſtuauit caloribus, anima liquefacta eſt ſuauitate, & fauces perfuſæ cœleſti fragrantia balſami. Quodque agentis Numinis notum eſt argumentum, impetus, atque efficientia agentis fortiter ſuperauit omnes contrarios conatus ſponſæ recipientis. Denique pro animæ refrigerio ſemimortua recondita fuit in amabili corde ſponſi, & in ſinu Dei.

Atque hæc ſit præſentis narrationis de ore ſeruæ Dei exceptæ periodus; nam Directore alibi dudum diſtento non licuit plura eo tempore ab ore referentis audire. Litteris conſcribi timor vetabat, ne forte perirent in via, aut inciderent in manus alienas. Adde quod actorum bonitas iam ſatis perſpicua, nihil de fide, & ſinceritate ambigendum relinquebat: quare obmitti iam ſolitas collocutiones, ac ſcriptiones fas erat. Non ſilebo tamen magnas illas cordis inflammationes, ac ſenſa ſpiritualia per id temporis non ita continuatè, nec peræquè viguiſſe: nonnihil etiam de quotidianis blanditiis, de familiari, teneroque riſu ſponſi detractum; deſiderata prætereà aliquando fuit præſentia Magiſtri, luminaque contemplationis, quibus deficientibus proprij ingenij vires meditando exerendæ fuere, vt voluntas in actus ſuos exiliret. Verumtamen contigere omnia per breues dumtaxat dies, & abſque vlla iactura amoris conſtantis, cùm cito citius cuncta redirent ad priſtinos vſus, præcipuè recurrente religione feſtorum, & quiete annui ſeceſſus; vt ita neque perpetuò præſentis ſponſi blanditiis frueretur, neque diu ingemiſceret abſentem. Stetit ſemper in ſuo gradu robuſta virtus, perſeuerauit cultus pietatis, ſtudium humilitatis, aſſiduitas orationis. Nil viſa eſt declinare à zelo regularum, aut ab accurata ſollicitudine miniſterij ſui, vel à corporis, & animæ caſtigationibus.

Per ea temporum ſpatia præbuere argumenta locupletiſſima contemplationibus characteres inſcripti cordibus vtriuſque, adhibitis

adhibitis interpretationibus hactenus non auditis, & documentis ad progreſſus ſpirituales: ita vt ſine ſtupore audiri nequirent multiplices, & quotidiani tractatus ſponſi ſuper myſteriis earumdem litterarum. Sponſa inter multa aſſeuerabat fores pectoris ſui tam arcta, fortique ſera intercludi, per ibi extenſa nomina, vt aditus præcluderentur rebus vniuerſis, præter ſponſum, qui clauem ipſius cordis manu geſtabat: eſſe verò quot litteras, tot clauos prævalidos, quibus confixa tenebantur cordis ferramenta. Tu ne æſtimes nudos, ac ſimplices clauos; quilibet clauorum ſignabat aliam, aut aliam virtutem, ſeriem illarum deducebat ſponſa ea venuſtate, ea induſtria, atque ratione, quam calamus non attingit.

Epiſtola diei 8. *Iunij, in die Pentecoſtes.*

DIei dignitas, Reuerende Pater, compellit me tecum duo verba facere, quibus fructum benedictionis tuæ mihi, ſodalibuſque meis promerear. Ecce adſtantem præſentio Spiritum, quem heſterna die poſt abſolutionem ſacramentalem ſuſcitaſti. Quandoquidem tua benedictio nobis tantopere eſt fructuoſa, quæſo nobis illam denuò impendas. Velim etiam ores pro me, ne mihi contingat impedimentum aliquod opponere Numini, ſeu venienti, ſeu præſenti. Vale.

Epiſtola diei 19. *Iunij, in Solemnitate Corporis Chriſti.*

ETſi pro explorato habeo, me hac die oblatam iri Deo à te, vt fiam illi in ſacrificium acceptabile; nihilominus præter omnem animi tui moleſtiam id à te hac chartula depoſco. Nihil in me quidem eſſe arbitror ea gratia dignum, pro eius tamen benignitate ſpero fore, vt hoſtiam iunctam, nixamque Filio ſuo ſponſo meo, minimè reiiciat. Iam ſibi parat locum, quem vult ornatum humilitate, puritate, & benigna charitate. In hoc exordio ſolemnitatis corporis chriſti exultant iam præcordia mea lætitia inenarrabili; dabitur namque tranquillius potiri præſentia Regis mei, & plus ſolito, atque attentiùs excubare contemplatioui amoris ſui, necnon feruen-

tiùs eum colere multiplicatis de meipsa sacrificiis. Vnum à te peto, vt pacem mihi ab eo exores. Noui me persæpè stomachum illi mouisse rudi meo, ac tepido, seu potiùs frigidissimo accessu ad eum. Hæc vt ad te perscriberem, suasit metus Dei offensi de meis negligentiis. Vale.

Epistola diei 21. Junij.

IAm aliquamdiu langueſcit anima mea appetentia ſacri Panis ſuperſubſtantialis. Eſuriem hanc intulere verba ſponſi mei, nempè; *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos: bibite, comedite, & inebriamini amici: nullum in me eſt potius deſiderium, quàm vt meipſum mortalibus communicem; delicia enim mea eſſe cum filiis hominum.* Hanc ego famem mitigare ſtudeo communione ſpirituali, ad realem non me accingo, niſi poſt licentiam tuam. Tu olim eam humanitatem mecum feciſti, vt ſi quando laborauerim appetitu eius cibi, fidenter conſulerem te. Idipſum ergo hæc mea litterula tibi notum facit, quod patior hanc famem. Optare audeo, petere audeo, accedere de me non audeo. Sint conſilij, ſint iudicij tui omnia. Quodcumque tibi venerit in mentem, ſubmiſſiùs agam. Vale.

ADDITIONES.

Accidit vt decurrente autumno huius anni, ſerua Dei bona cum venia Præſulis ſui Pariſios adierit ad diſquirendum apud peritos de bona fide, aut de perfidia harum communicationum, quas tamen emanare à Numine cæleſti arbitrabatur: liquet enim eiuſmodi reuelationes intertextas viſis, vocibuſque obſcuris, non rarò eſſe ſuſpectas latentis fallaciæ, immò & inſidiarum damnatas; atque adeò in malam quoque ſuſpicionem trahi eas, quæ fraudis omninò ſunt vacuæ. Anna igitur Margarita nondum ſatis fidei ponens in antehac ſibi datis reſponſis, cenſuram exquiſitiorem optauit, nihilque ad hanc rem ſecurius, ac valentius eſſe duxit, repetito vaticinio Præſulis ſibi à Deo conſtituti; de quo prolocuti ſumus libro 1. Hic adhibitis in conſilium Præpoſitis Monaſteriorum Pariſienſium, Maria Iacobilla Favre, & Helena Angelica L'Huillier, voluit coram

Digitized by

coram hoc congreſſu res ipſas, rerum ordinem, rationeſque omnes recitari. Ab oraculis Mariæ Iacobillæ pendebant eius regionis Moniales, eo quod eſſet imitandæ ſanctitatis fœmina, mentis altiſſimæ, & dudum exploratæ ſapientiæ, non ignara quoque myſticæ contemplationis. Helena Angelica vna erat ex illis, quas manus Inſtitutoris Ordinis formauerat in iis, quæ religioſæ ſunt vitæ; ingenio acris, ſenſu cauta, ſciens rerum cœleſtium, & ſplendida pietate celebris.

Ante hos iudices ſerua Dei cauſam agens ſuam, ſimplici textura, & ordine, non tam expoſuit, quàm ſubiecit oculis varia ſui cordis ſymptomata, cœleſtia lumina, impulſus, afflatus, illapſus, ſponſi colloquia, inſtructiones, oblectamenta, accepta quoque ab hominibus conſilia, geſta omnia, & quicquid ſpectaret genus illud ſuæ contemplationis, ac vitæ. Illi cuncta minutatim per puncta penſitantes, nil latere doli, aut genij naturalis, ſed omnia ſanctè, religiosè, & auctore Deo fieri cenſuere, & ab ea omnem ſuſpicionem fraudis ſegregarunt.

Tantummodò hortati ſunt, vt omnia Deo, non alij cuicumque ſpiritui acceptà referat, Deum ipſum ſequatur, ſolerter regimini monaſterij inſiſtat. Reuixit ad ea verba, & ſepoſita omni opinatione propria, iudicum ſententiæ adhæſit penitus, hilariſque ad ſuum cœnobium regreſſa eſt. Id verò in cauſa fuit, cur ab aſſuetis ſcrutiniis, à reddendis rationibus, & à litteris ea de re crebrò conſcribendis in poſterum ceſſatum ſit.

M. DC. XXXII.

COgimur ergo neruum narrationis noſtræ deſumere à paucis epiſtolis, & ſcriptis huius ſeruæ Dei, & ab iis potiſſimùm, quibus repetebat acta annui ſeceſſus; quarum prima ſub die 18. Iunij 1632. recenſet acta ſeceſſus anni præteriti, hoc modo.

Epiſtola diei 18. *Iunij* 1632.

COmparabam me longiori mora ad ſcribendum de diuinis operationibus, donec id mihi per otium commodum da-

retur; tandem expectanti obuenit. Quid verò primo loco dicam.

Pro opera, quam beneuolè, æquè ac proficuè Sororibus noſtris commodaſti, merita tibi præmia præſtet animarum noſtrarum Deus, eximiis incendiis amoris ſui inflammet te, & quod ante omnia peropto (ſi in gloriam ſuam) diutiſſimè te nobis concedat. Heu me! Si aliquando ille te aliò à nobis traducat, dubio procul in vltionem peccatorum noſtrorum id fiet. Infauſtum omen auertat Deus. Nam quamuis nos deceat cunctis eius arbitriis ex animo ſubeſſe; ego tamen in triſtem hanc cogitationem ſine vehementiſſimo mœrore venire nequeo, vtpotè indiga ſpiritualis tui magiſterij ſupra cæteras condiſcipulas meas.

Iam verò quoniam me latet, quandonam futurus ſit occurſus noſtri congreſſus, quæ coram referenda ſeruabam, quàm potero pauciſſimis verbis ſubiiciam. Vt primùm per ſacrum pœnitentiæ lauacrum exterſæ mihi fuere labes peccatorum, ſacramenti efficacitatem contigit aliquando ſenſiſſe. Reluxit enim in anima cum priſca puritate priſtinus candor. Iubar erat nihilo inferius ſplendore pellucidæ gemmæ radios circumquaque vibrantis, cuius eximium nitorem dum contemplarer, admiratione correpta ſine viribus corrui. Nitorem tantum, & gloriam omnem Dei beneficentiæ acceptam tribui.

Hinc vt ornatior adſtarem epulo Dominico, ad ſublimiora prouecta fui, candori nimirum accedente flammeo charitatis ardore. Æterna illa bonitas tot, tamque acutis ſagittis ægram confixit, vt an eſſet vita ſuperſtes, mihi non planè conſtaret. Telis ſiquidem confoſſa ſuccubui totis viribus elangueſcens: penè dicam è viuis exceſſeram; aſpice admirandum caſum: quocumque me verterem, occurrebat languor: ex amore languor, ex dolore languor; & quod mirabilius eſt, qui è dolore procedit languor, ſupra modum dulcis, atque amabilis eſt; ſauciat enim, & mulcet, creſcitque perdura voluptas: at qui ab amore languor eſt, intenſiſſimum inferens erat dolorem; mulcet namque, ſed ſauciat, creſcitque à dulcedine dolor. Suſtine adhuc verbum iſtud: languens morior, eo quod non tota morior; peropto namque prorſus emori, vt emortua poſſim perfectiùs, & ſine obiçe diligere eum, qui nunquam ſatis poteſt à quopiam diligi.

De

De hoc ſtatu in adhuc eleuatiorem ſublatus fuit ſpiritus. Tres Deitatis Perſonæ mira comitate, & quanta poteſt eſſe maxima beneuolentia miſellulam, & de tanta gratiarum affluentia ſtupentem excipiunt, complectuntur, ac intimo ſibi amore agglutinant. Pater ſibi in filiam optat, & Filio in ſponſam, commendans hoc ſacrum connubium, quoniam ſibi placitum. Connubium non auerſatur Filius, tum propter Patris commendationem, tum quia huius pauperculæ dilectione ſponte ardet. Spiritui ſancto committitur animæ poſſeſſio, & vt vinculo amoris perpetui fidem illius arctiſſimè Deo ſtringat; quod ille, & potenti virtute, & grato perquam intimi amoris affectu præſtitit; atque per grande miraculum hæc emptitia fit filia Patri, ſponſa Filio, & Spiritui hoſpitium. Tum ſecluſis inde rebus omnibus, ſoli in ea regnantes conſiderunt. Quin etiam, ne cuipiam alij ad eam ingreſſus pateſcat, cunctos aditus domus (incredibile dictu) præcludunt. Pater clauem voluntatis meæ pugno ſtringit, Filius pro ſera eſt, & Spiritus ſtat ad cuſtodiam præ foribus.

Cæterùm excreſcunt in dies cœleſtia, dulciaque nimis blandimenta. Nam poſtera die conuiuio nuptiarum adeſſe compulſa ſum. Pauperiem erubeſcens ego meam lateſcebam in angulo, non oculos, non caput auſa attollere, exterrita nobilitate, ac celſitudine conuiuarum. Verùm à menſa remotam non ſuſtinuit ſponſus; vt accedam inuitat, de menſa ſurgit, & ad trementem venit, manuducturus eam. Quid ego hic iuſtè facerem? Annuebam tamen: ipſe vultus ſat ingenuè internam prodebat erubeſcentiam.

Tantùm arriſit Patri modeſtum, verumque mentis iudicium, ſincera veritatis pronunciatione editum, vt loco ſuo exiliens ad inuitam nouo cum inuitamento deſcenderit: cui idemtidem ego; *Ad me miſellam? Vt tam ſublimè conſcendam? Magnitudo conſeſſus arcet vilitatem meam. Sedeant in tam honorifico, gloriosoque accubitu fideles, illuſtreſque ſponſæ tuæ, quas inſignia, propriaque merita eleuant. Quid illuc aſpirem ego, quam malo fato meo repellunt mala merita, animique innatæ fœditates?* Vix tacui, cùm aduolante pariter Spiritu ſancto, in altiſſimum, ignotumque locùm elata fui. Hîc nihil mei diſcernere licuit, vbinam locorum eſſem, quocum eſſem penitus ignorabam: quicquid eram, totum erat intimum

Deo, totum à Deo in diuinum esse absorptum, sublata mihi facultate quicquam agendi ex me: attractioni dumtaxat, & obsessioni dulciter acquiescere permissa sum. Et hæc quidem mentis occupatio ad quinque, vel etiam sex dies continuos protensa est.

Postridie iterum castissimus ille sponsus sponsam ad lectulum nuptialem, idest in sinum Patris perduxit; & post intimam animorum coniunctionem, in seipsum totam transformauit, vt iam non ampliùs ipsa, sed sponsus in ea viuat, adhibitis interea sanctis, castis, amabilibus, & copiosis blandimentis, quibus ego ferendis sanè non eram satis.

Accessere præter hæc diebus aliis alia non rara diuini consortij officia, vnitiones frequentes, continui illapsus Numinis, suspendia facultatum animæ, & eiusmodi alia, quæ verbis, vel atramento exponere, nec ego valeo, nec alius quispiam. Non illi fuere leues attractus animam superficie tenus lambentes, sed potentissimæ, & acutissimæ impressiones longioris tractus, & quæ profundiores animæ sinus penetrarunt: impetu primo sensum à sensibus abstraxere meis, & animam ab anima eripuere; neque enim mihi insciæ quid eo tempore essem, fas erat aut videre, aut ratiocinari, aut aliud quid operari, nisi quod me sensu, ac motu carentem, quasi per obscuram vmbram sentiebam.

Res ita exploratæ varios peperere animi affectus, manet enim in mente firmissimum propositum, non viuere mei, salutisve meæ memorem, sed Dei, & in Deo, cuius arbitratui cuncta mea supponam; nempe de salute, deque omni re mea nimium pro bonitate, benignitateque sua solliciti. Sit illi æterna gloria, laus, & honor de iis omnibus, quæ in hac despectissima fæminula, in hoc granulo sui esse, in hoc nihilo benignè operatur. Vale.

Epistola diei 4. Octobris.

VT breuem hanc litterulam ad te scriberem, roganti mihi facultatem fecit Dominus meus Iesus. Scribo autem, tum vt libellum de quinque Plagis Dilecti mei à te accipiam, tum vt crastinis in sacrificiis commendatam habeas mulierculam hanc, qua

qua nusquam est sub cœlorum conuexo vilior, nec per vniuersæ telluris gyros magè Deo ingrata. Est nihilominus quod in hac re admireris. Inexhausta Dei largitas in dies magis, ac magis ingratam onerat bonis suis, vt quantò benefactis sum obligatior, tantò expressior appareat ingrata mens mea, & impotentia rependendi; quod mihi in causa est, vt occultando pudori meo maiores tenebras, licet frustra, perquiram. Sanè nisi persuasum haberem beneficiorum immemores summè odiosos, atque inuisos esse diuinæ liberalitati, ab his conscribendis me compescerem. Nunc autem animi grati monumentum hoc ad te transmitto, ne officio desim in eum, qui nuperrimè tam magnificè de me meruit. Etenim ex eo die, quo me criminibus expurgatam in gratiam sponsi mei reposuisti, expandit ille mihi gazas omnes thesauri sui, protulit, & effusissimè in ornatum captiuæ sponsæ congessit. Non illis capiendis nox, non altera suffecit dies, & continendis minor fuit omnis animæ amplitudo. Audi quo nunc elogio sponsus verberet frequens aures cordis mei; *Sponsa, pete ostiola plagarum mearum, introfer pedes, penetra recessus vltimos, latebris illis tam profundè absconditor, vt inde gressum referre nulla vnquam hora valeas.* Protinus ego ad ianuam lateris cucurri, ibique condita recumbo. Illic nos per dies æternos sepultos, & benè custoditos contegat ille, qui sacri nos amoris nexu colligauit. Vale.

Additiones.

In decliuio huius mensis sponsa coniecit se in solitudinem ad maturiùs speculanda cœlestia, & exponenda gesta anteacta vitæ. Nil de præteritis blanditiis, promissis, ac donis sponsi defuit: noctes quoque collocutionibus sponsi datæ, pro maiori parte insomnes excessere. Contigit etiam præfatum Archiepiscopum Senonensem Monteargo iter facere, & indagasse omnem vitæ statum discipulæ, siue quæ interiùs inter mentis contemplationes laterent, siue quæ exteriùs subiecta sunt oculis: cúmque accuratè cuncta ponderasset, nihilque reiiciendum, aut reprobandum censeret, genus vitæ, atque diuinæ communicationis collaudauit, lætusque abiit.

Epistola diei 5. Nouembris.

TOrqueor, dilectissime Pater, torqueor dura fame cibi Eucharistici. Quo concremata viscera cordis refrigerem, pabulum, aut lenimen aliud non inuenio; quo, inquam, viscera cordis refrigem, non vtique cordis illius, quod tibi iamdudum notissimum est, nam hoc sede sua abstractum est; sed alterius eodem loco subrogati, cui proprium, aureumque nomen est, *Cunctorum Rex cordium.* Cor istud diuinitus in me insitum præfert, adhibetque pectori meo faces igniuomas, quæ nullatenus sedari queunt. Quonam modo mihi exsuperet vita, non bene concipio. Æstuo amore vehementi, & adhuc vehementiori æstu succendor amandi Dei, cuius ad amorem quantumcumque accedat amor noster, nunquam tamen ad debitam amoris metam accedit. Perspiciebat sponsus, vt coniicio, ex tepiditate mea, corculum captiuæ suæ longè impar esse amando dignè Deo, vtque amore amaret æquiori, mira benignitate, & diuino opificio cor suum miseræ captiuæ commodauit, & cum illo igneam vim amoris in eam transfudit. Credas velim, Pater optime, non inaniter loquor, quod verissimum est dicam. Cor suum obtulit ille mihi, & vt susciperem, omninò præcepit; alioquin nisi explicitè, atque expressissimè præcepisset, quo animo illud tetigissem ego, cui nunquam venisset in mentem tanti ausus cogitatio, ne dicam audacia tanta? Admouissem ego manum ad pectus illius, in quem lumina ipsa voluere contremisco? Nunc autem inserto præcordiis meis corde non meo, coarctor acerrimis impulsionibus, impressionibusque amoris ardentissimi; sentioque tam strictè intercipi omnes vires animæ meæ, vt mecum actum putem de hac vita. Vix sponte respirare permittor; omnem motum, omnem actum moderatur is, qui pro anima mihi, & pro vita est. Experior autem sensim in me deficere, ac depetire quicquid mei est, & omnia in diuinos amores reuiuiscere. ô vtinam euanescat quicquid humanum gero, penitusque tota in rem diuinam transeam? Quæso te significes vno verbo mihi quid senseris de à me postulato cibo Eucharistico. Quod senseris, sentiam & ego; nam sensus tuus omnis, absoluta mihi Dei sententia est.

Si bene intellexi, ſubindicaſti heſterna die, non ſatis tibi probatum ſurdaſtræ antidota apponi. Rogo te certiorem facias, an res ita reuerà ſit; nam vereor ex repugnantia diſplicentiam chirurgo, cuius authoritate id mihi indictum fuit. Ego verò tuos nutus cunctis iuſſionibus chirurgi præferam. Tu enim mihi dux, & pater es amantiſſimus. Vale.

ADDITIONES.

Quod hîc exaratum legis de permutatione cordium, ſenſus fuit, & impetus ita violenti, vt per aliquot dies, neque relaxatione vlla vteretur, neque ſomno ſufficienti, neque ſeipſa. Nil rerum omnium, non ipſa ſibi in mentem veniebat præter Deum; ſi quando dormitaret, dormiens Deum, aut ſponſum ſomniabat. Quare grauiſſimo quodam pondere, ac vi præpotenti diuinæ præſentiæ preſſa, quæ ſenſum omnem, intelligentiam, voluntatem, ac vitam ipſam opprimebat, neſcia quid conſilij caperet, Directoris ad opem recurrit. Verùm ſicut illa diuinos affatus, illapſus, blanditias, & recepta dona nequiuit verbo proferre, ſic non iſte atramento. *Operor*, aiebat ſponſa, *iam non ego, ſed qui in me operatur ſponſus, qui me hoc pacto monebat: Cor tuum amando Deo non ſatis eſt, non illi ſat virtum ſuppetit, in ſuppetias venit meum; ſine vt meum pro tuo fungatur officio amandi dignè Deum. Caterùm ſimul ac lumina in ſponſum coniicio, in ipſo coniectu ita charis me coarctat amplexibus, vt vix ad ea, quæ ſunt domeſtici regiminis redire liceat. Virum verò nocte antecedente dormierim, certò aſſeuerare non auſim; cùm enim per ſæpius interrupta interualla breuiuſculi ſoporis, eadem contemplationis, & amoris ſenſa mentem meam occupauerint, nequiui ſat liquidò diſcernere vigilantíne, an ſopitæ aduenerint.* Adde quod necdum bene euigilatæ cor non minori ardore æſtuabat, quàm in plena vigilia, adeò vt ſeu vigilantem, ſiue ſopitam conſideremus, nil ab inuicem diſcrepare videatur. Hæc tamen omnia, quamuis vires corporis valde debilitarent, non præpediebant tamen, quin concinenis in choro Dei laudibus ſummo mane adſtaret, curandoque Monaſterio inuigilaret, licet cum aliquantulo conamine; incoactè ad pedes ſponſi cum Magdalena properans, coactè cum Martha ad extrema rediens pro explendo munere iniuncti officij.

M. DC. XXXIII.

Epiſtola diei 29. Martij.

QVod antehac ſemper fauſtum , felixque mihi fuit omen tuæ benedictionis , ſit denuò ad pedes tuos proſtratæ cœleſtis gratiæ collatio. Venio intima cordis penetralia , necnon omnem ſeriem eorum , quæ mihi in hoc bimeſtri euenerunt, referare chariſſimo Patri. Quid autem dicere queam , præter id quod eſt contra me aſperum ? Nam quod à me in poſtrema concione tua exegeras ſtudium excolendæ chriſtianæ humilitatis , diligentiæ , atque prudentiæ , immemor , & excors non adhibui. Heu me ? Deliquiſſe vltrò profiteor , grauiter plecti non ſolùm mereor , ſed ſponte repoſco. Ex eo enim neglectu prodiiſſe reperi nonnullam verbi amaritudinem ad ſocias , & pietatis frigus inter diuina, me quoque fouiſſe vitioſa germina naturæ. Quo factum eſſe credo , vt ſponſus qui errata mea carpere conſueuit , interdum ridentem frontem ſuam obnubilauerit , ſuauem quoque ſui vſum ab oculis ſubduxerit , & nonnunquam ſterileſcere animam meam paſſus ſit , ita vt alienata corde , & mutata ſpiritu , mihi penè viderer. Receſſus iſtiuſmodi , & offenſarum mearum originem radicitùs perſcrutata ſum : proceſſiſſe potiſſimùm arbitror ab ingruenti negotiorum mole, & ab animi ſollicitudine ad res externas. Inde enim orta eſt quædam inexcogitantia rerum ſpiritualium , quædam præterea mentis præcipitatio , rara animaduerſio eorum , quæ egi , & rarior eorum , quæ agere debueram : ſine qua animaduerſione tantùm abeſt , vt aliqua fiat ad virtutem parandam progreſſio , quin potiùs fiat non parua iam paratæ iactura. De vniuerſis malè actis dolui , ne vnum quidem verbum, quod pro me dicerem , inueni ; culpam agnoui , culpam ſponte confeſſa ſum , addita etiam corporali mulcta. Denique veniam deprecata , veniam miſericorditer obtinui.

Erat tunc tempus quadrageſimale , quo Dominicæ Paſſionis acta meditatione proſequebar. Tenerrimis amoris iaculis , & acutis mœſtitiæ telis commota fui. Liquefiebat mira teneritudine amoris mihi cor , vnáque tabeſcebat acerrimo dolore cruciatuum

ciatuum ſponſi, quos intulere potiſſimùm peccata mea, coniuncta flagitiis iniquorum, & aucta offenſis iuſtorum, qui Diuinæ Maieſtati negligenter deſeruiunt. Profectò iacebam proſtrata præ maxima acerbitate doloris, & vita ipſa nullatenus mihi grata remanebat, niſi vt cum ſponſo meo cruciarer; nihilque iucundius mihi, quàm aut pati, aut mori. Monebat ſponſus, magno me pretio ſanguinis comparatam, rebus legitimè adiunctam eſſe ſuis; ac ideò tantillum detrahere eiuſdem Imperiis, nefas eſſe, & piaculum inexpiabile: addebatque, vt pro tanto pietatis officio ſibi in omnibus ſubiaceam, vel ad aras immolanda.

Ergo vt ad rem noſtram redeamus, accepta erratorum meorum venia, Pater in gratiam Filij iterum ſub ſua tecta clementer admiſit prodigam, vagamque filiam: Filius blandè, comiterque amplexatus, meritis ſacroſanctæ vitæ ſuæ ditauit, & pro ſua ſingulari beneuolentia hortabatur Paracletum, vt donis quoque ſuis pauperculam locupletaret. Tot pondera beneficiorum non ferebat infirmitas mea, ſuccubui non ſine erubeſcentia, & memet in latebras confuſionis dedi, quibus etiamnum cooperior, licet tremulam ſuffulciat indeficiens in Seruatorem meum fidentia. Ipſe etenim continenter pectori ſuo caſtam ſponſam caſto iungit amore, tædas ardentiſſimæ dilectionis cordi meo ſupponens: me à latere ſuo ſeiungi tranſuerſo digito non fert, ſed ſemper inter brachia ſua tranquillè quieſcere iubet. Oh! tandem in oceano Deitatis tota, & in æternum ſubmergar, ne poſthac vllo modo reſpirem, quàm Deum, quàm per Deum, & pro Deo. Oh! det ille mihi noſſe verè quid ipſa ſim, ſeu verius, quid non ſim, merum nempe nihilum, aut quid nihilo inferius. Vale.

Epiſtola diei 21. *Aprilis.*

VTinam in propugnaculis plagarum ſuarum nos omnes, quod ſolet, in amicos tueatur Saluator noſter: tu verò, Pater optime, ne vnquam deſiſtas maximis votis deprecari, vt puellæ, quæ tibi notiſſima eſt, ſit omni tempore propitius, ac fauens. Benè illi eſt, ſecunda valetudine vtitur, & conſtante capitis firmitate, niſi quod plerumque vbi maiori vigilantia

opus est, sopore ingraueſcit: cuius rei ratio in promptu est; nam horas deditas quieti, & destinatas somno is præuenit, & ad cœlestes amores, illecebraſque corripit, cui mos est prægrandia operari, si non interturbetur. Etiam nouissimè, ideſt duabus postremis noctibus, ex inopinato mirifica, & adeò magnifica præstitit, vt iis exponendis verba non ſuccurrant. Illud enim in primis mirabile est, isthæc contingere, cùm de iis nulla præit in animo cogitatio, vel expectatio; ex tanta tranquillitate proximas procellas auguratur puella; ſed iubeat, & faxit quod vult Dei ſapientia. Tu interim habeas apud Deum commendatam, quam Deus curæ tuæ commendauit.

Rogatu tuo denunciata ſunt Antiſtiti expreſſis litteris, quæ occurrerent, quippe reformidabat ille mali aliquid ex eo quod propè non adeſſet, quem puella conſuleret, aut cui arcana cordis ſui declararet; nam palam fieri præter te nemini, iuſſerat. Vale.

Epiſtola diei 16. Maij.

QVid mihi acciderit, aut malè commiſiſſe, aut malè omiſiſſe, non ſatis diiudico (Pater Reuerende.) A diebus quindecim ſponſum neque præſentem ſentio, neque ſuauis, ſerenuſque eius aſpectus illuxit. Indagandæ tantæ elongationis cauſæ triduum ſolitaria inſumpſi, nec planè vidi. Damni ſuſpectas habeo deuolutas ſupra conſuetudinem in me curas rerum domeſticarum. Quid dico, ſupra conſuetudinem, cùm in conſuetudinem quotidianam, & continuam verſæ ſint, mentem à ſecreto, & ab amabili Dei conſortio auellentes, & à mente Deum? Solis ſecum interim actibus fidei agere permittor, & fermè oblita videor largiſſimæ beneuolentiæ ſponſi mei. Hodierna tamen luce, vbi buccellam panis Euchariſtici ſumpſi, obtenebratam ille memoriam mihi noua radiatione colluſtrauit, ſeriem acceptorum bonorum ſummatim, & per cumulos connumerans. Quantùm miſera erubui? Quàm celer, & ſilens in mea genua procubui, & me totam illi rurſum deuoui?

Memini, ingenuè fateor, memini cùm ſuperioribus diebus ille

ille me suis foueret deliciis, tanta redundasse dulcedine, vt vix vnquam pari; tam eximios, etsi semper nimios, excessus lætitiæ, ac iubilationis passa sum, vt sponsum huiusmodi verbis alloquerer; *Quid verò, optime Deus? Quorsum tam immodicè aggeris, auges, coagmentas tot, tantaque dona gratiarum, in hanc infirmam, ac vilissimam seruulam tuam. Præmonitiones auguror esse proximæ tribulationis. At ecce me: tu mihi cruces, ego me crucibus appara: fige, refige iuxta arbitratum tuum: lubeat tibi, sat est: quicquid placuerit tibi, mihi erit lubentissimum.* En Pater mi, quid eius temporis in memoria, quid in voluntate recumberet. Addam & hoc, nam probè recordor. Qua me postrema visitationis suæ gratia nuper consolatus fuerat, tam lato, plenoque suauitatis flumine obruerat, vt obortam animo lætitiam, ne in partem inferiorem diffluueret, cohibere nequiuerim. Pars ista deterior aspersa supereffluentibus vndis voluptatis, modo quoque suo exultabat, tripudiabat, triumphabat; sed ego furunculam metuens, ne plus iusta portione surriperet, gaudium intimo in animæ sinu, quantum, poteram comprimere conabar.

Nunc autem, quantum distamus ab illa? Vndique nubilum, vndique ingratum, vndique æneum mihi cœlum; ne stilla quidem vna intingor. Documento sanè, & emolumento magno mihi, si rectè censeo. Hinc enim apertissimè arguo inopiam, ac nuditatem meam, digito tango quàm sim inermis, stolida, & vecors. Bene tamen, & amicè adhuc agitur mecum, quod de domo paterna non pellor, neque ipsa aufugio. Persto humilis, ac tranquilla; amota quacumque alia, omnem mihi pono voluptatem in nudis, ac frequentibus actibus fidei, ac Deum non offendisse, provt ex fragilitate, & pristino habitu ferè soleo.

Sit obsequij, sit pietatis tuæ impetrasse à Deo Optimo Maximo, vt brachio suo validissimo imbecillam suffulciat, errantem regat dextera, & renitentem digito grauiter tangat: per hæc enim in spem magnam vocor. Cæterùm quàm vellem, vt recurrente die Sanctissimæ Trinitatis memor sis mei inter diuina: celeberrimus mihi est, & præ cæteris colendus dies ille, quo mihi Deus optimus singulari prærogatiua vitæ religiosæ gratificatus est, manuducens in suum Annessiacense Gynecæum, sub Beatissimo eius Cœnobij Institutore, lapsis adhinc annis, ni fallor, quindecim. Vale.

Epistola diei 20. Octobris.

NE quid te Patrem meum vnicum de me lateat, breuiusculum exaraui indiculum eorum, quæ solitudinem meam consecuta sunt. Primos quosque dies expiationi offensarum mearum, Deo Duce, tribui, non minori fiducia de diuina clementia, quàm cum mei ipsius castigatione, & exprobratione. Acriter increpauit me sponsus, quod magè facilem ad mala naturæ, quàm ad amorem, obedientiamque suam animum præbuerim; quòd commotos perturbationum fluctus non velociter sedauerim; quòd à se mihi assignatam Rectricis Prouinciam, æqua cum moderatione, comitate, & charitate non gesserim. Bellum igitur ego aduersum isthæc mea delicta, & aduersum alia quæcumque vitia, ex proposito, atque ex animo in posterum indixi.

Quamuis autem diuina bonitas ductu suo præierit meditantem, nihilominus vt ipsa quoque motibus, gressibusque incederem meis, liberum fecit. Variis præter hæc illustrationibus, atque affectibus auscultantem præuenit; remissam incitauit ad amores feruentiores, ac generosiores; expungi de corde omnem diffidentiam iussit; commonstrauit quàm teneris visceribus inopem me dilexerit, pro qua tot se ludibriis, tormentis, ac denique crudelissimæ neci suppositerit, adiiciens quantum idcircò sibi debeam, & ab eius voluntate pendeam. Hæc paucula sunt, quæ compendiariò de mea solitudine tetigisse sufficit.

Ea peracta sponsus nouum patiendi propter se ardorem in me accendit, obtulitque opportunè idoneum opus; nam præter obdurescentem surditatem cœpit conterere testaceum hoc vasculum corporis mei peracuto dolore dentium, & magna capitis grauedine. Quàm hilaris, & festiua ego de faustissimo augurio exultaui? Rimosa domus rimas adaperiens non longè distare casum denunciat: vnde spiritus instar auiculæ rupta cauea auolantis, breui se sperat ad supremum, & tamdiu expetitum, expectatumque bonum migraturum. Quàm læti nuncij, Pater mi? Quàm nuncij læti! Obsecro te, impetres mihi, vt rogatu tuo sim Deo fidelis, morigera, & in cunctis subacta. Vale.

Die

Die 20. *Nouembris.*

DE acceptis à te responsis gratias ago, amantissime Pater; quod iubes, sensim insinuabo sodalibus meis. Cæterùm mihi valde molestum est, quod propter imminentia ministeria officij mei, non nisi furtiuis horis ad dormiendum magis, quàm ad scribendum accommodatis, calamo manum admouere liceat, atque ideò rariores posthac futuræ sint epistolæ ad te meæ. Sponso illis ipsis potissimùm horis diuina mecum pertractanti otia subtrahere malum est; miserandum verò corpus suis somni interuallis immoderatè frustare non expedit, ne succumbat. Contorquetur enim, obmurmurat, immò & de non mediocri iniustitia conqueritur, quoties sibi aliquid de iusto quietis leuamine adimitur, sicuti propemodùm ac cidit in proximè elapsis noctibus. Ego quidem mole negotiorum distenta, vigilias in multam noctem protraxeram, eratque diurnis laboribus defatigatum corpus, atque ideò tempestiua requie leniendum. Verùm quid inde mihi culpæ, si solida non quieuit nocte? aut quomodo soporatum dormitione leuarem, cùm temporum, rerumque omnium Dominus priùs sibi, amoribusque nostris, quàm genio somni indulgeri voluerit? Persuadeas namque tibi velim, sponsum ad omnem horam, ad omnem gressum, ad omnem actum propè adstare, instare, vrgere, vt incessanter oculos, & aures cordis ad ipsum conuertam. Sed ô rem amaram! Rerum agendarum obligationes meme aliò importunè nimis diuertunt, animumque in diuersa discindunt: duobus videor funiculis deuincta, altero animam ad superna fortiter erigente, altero ad infima grauiter corripiente. Ah bone Deus, ecquando, ecquando solutus spiritus euadet è carcere corporis istius, cuius pondere in ima demergitur? Immensas iterum gratias agimus pietati tuæ, quæ nos omnes luculenter edocuit, quibus regulis ritè, & fructuosè renouentur ad Deum vota nostra: bene cuncta seruabimus, si tua tu prece diuinam nobis opem conciliaueris. Vale.

M. DC. XXXIV.

M. DC. XXXIV.

Epistola diei 28. Maij.

AMantissime Pater, nunquamne cœlestis ille, & sacratissimus ignis æruginem omnem amoris proprij absumet? Nunquam gelu pectoris mei planè soluet, & animam quantum cupio diuinis facibus incendet? Ego quippe, malo meo, sentio durissimam glaciem negligentiæ meæ eius flammis adhuc opponi. Me miseram, & commiseratione digniſſimam? tædio inertiæ, & insciticæ meæ arescunt in me viscera mea. Age tu, Pater optime, miserearis filiæ tuæ, & vt hoc anno, qui mihi residuus ad regimen est, præteriti temporis culpas, atque indiligentias meas eluam, precibus à Deo clementissimo obtineas. Opem quoque diuinam precaberis, qua impositum munus sustineam, & quo decet ordine, regendo insequar.

Maximo nobis gaudio, ac iucunditati fuit aduentus, aspectusque Domini N. Scito illi plurimùm diuini amoris accessisse, promouerique ardenter ad cacumina virtutum. Si te inuiserit, nonnihil de nobis referat. Habet ingenij, pietatisque suæ opusculum quoddam insigne, quod luci, communique bono dare meditatur: dubio procul iudicio, eruditionique tuæ subiiciet. Quæso te, ne feras nuncupari puellæ, quam ipsemet præmeditatus est; fortiter dissuadeas. His titulis, his honoribus minimè illa vel gaudet, vel digna est: si tamen propositi sui nimium tenax de cœpta sententia dimoueri nequeat, non inde multùm angar. Deo sit omnis honor, mihi omnis inhonoratio. Vale.

Epistola diei sextæ Iulij.

ABsoluimus, amantissime Pater, dies cælestis indulgentiæ, & placationis, dies sacri Iubilæi. In iis ego, vt me magis purgarem apud Deum, semestrem recognitionem iniquitatum mearum recensui. Deformitates in me tam multas agnoui, vt meticulosa non auderem me in eius conspectum dare. Recurrebant in memoriam mihi incogitantia Dei, refrigeratus amor,

Digitized by Google

amor, deficiens humilitas, impatientia, lenior caſtigatio paſſionum, inſtabilis charitas in ſocias, correctio aſperior, præceps, & inconſiderata mentis volutatio, prolixa ſcriptio, & prolixior loquacitas, atque alia paris detrimenti peccata, quæ me, vt reor, grata conſuetudine, familiaribus collocutionibus, & vſu ſponſi, ſi non penitus excluſere, ſecluſere ſæpiſſimè. Licet enim vtplurimùm ad eius vnitionem trahar, non adeò tamen facilis, & vt ita dicam, ſpontanea eſt orantis contemplatio, nec præſentis Dei affabilitas. Illo reticente, ad argumenta, & ratiocinationes (heu me ad etiam frigidas!) recurrendum fuit, vt voluntas in opportunos actus inclinaretur, & pronior iret. Fatebar tamen, me à ſex menſibus tam importunè ſuperuenientibus oneribus officij mei fuiſſe grauatam, vt à dulciſſimo conſortio Domini mei Ieſu ſecedere interdum compellerer, quo vtique ſeceſſu nihil in hac vita mortali moleſtius, aut amarius patior; ſed num eorum, quæ mihi obuenient à Dei ſapientiſſima prouidentia, poterit aliquid ingratum reddi? Non vtique, quantumuis voluntati, rationibuſque meis repugnet. Auſim & hoc dicere, quamuis ſuauiſſimo illo pabulo Dominicæ conſuetudinis plerumque deſtituar; maximæ tamen mihi conſolationi, & fiduciæ eſſe, quòd licet offendicula quædam pertranſeuntia imprudenter admittam, nil tamen in voluntate fixis, vitiatiſque radicibus reſidere diſpicio, quo offenſus ſponſus abeat non rediturus, aut quo ipſa conturbatior abeam in deſperationem. Anima mea tranquillam ſemper, & pacatam vitam ducit, vel inter aduerſa. Spe in Deum potiori ſubleuor, ex quo Monaſterij domus damnoſo certè caſu à culmine ad radices euerſa eſt. Ibi enim maximoperè eluxit fideliſſima, paternaque Dei prouidentia erga inopes filias, famulaſque ſuas. Quid vltra de hac fiducia dicam? Nil quicquam penitus angit me, non deficientia auri, vel argenti, non loci anguſtiæ, non rei familiaris incommoda, aut quippiam aliud eorum, quæ ad victum, aut ad ædificiorum ſtructuram requiruntur: Opis, & operæ Dei hæc ſunt, cui ego pleniſſimè fido. Ne vllatenus dubitem, prohibent me pluscenties explorata non ab humana induſtria, ſed à diuina prouidentia recepta ſubſidia; illa namque non modò vt fidelis ſpeculatrix neceſſitatibus ſeruarum ſuarum inuigilat, ſed

insuper potentem, liberalemque dexteram subuentioni adiicit.

Quid verò loquar de recenti subtractione spiritualis consolationis? Immò verò oblector, & gaudeo magis: non enim mihi patuus incubabat metus, ne dulcedine illecta quærerem impensiùs, quæ mea sunt, ne illis plus iusto afficerer, ne abuterer, & Dei dona suffurarer, cùm illorum & immerens essem, & iis parum proficerem. Quare satius mihi est, facti rationibus minimè conquisitis, arcano Dei consilio stare; eo namque conueniunt voluntates meæ omnes, cunctaque desideria mea, vt nihil velim, nihil desiderem, præter id quod sibi ante omnia placitum statuerit Deus. Hac ego nunc vtor praxi, hoc quiesco ritu. Monendus tamen es, Pater mi amantissime, non prorsus esse abscissas blandas sponsi mei visitationes, sed paulò esse parciores, & per interpositos tantum dies, putà octo, vel etiam quindecim. Accipe quid mihi nuper acciderit. Hora erat somni, iacebam ego viribus animi, corporisque exhausta propter diurnos, nocturnosque labores: ecce soporem præcucurrit sponsus, & lepida me cogitatione præuenit, vltra horam vnam dulcissimo in sermone, & examine insumpsimus. Duo ille mihi suæ sapientiæ elogia explanauit, & pro duplici veritate sententiam dixit. Docebat enim Deum instar omnium esse animæ diligenti eum, & vicissim animam sic amantem Deo dilecto omnium quoque instar esse. Ea autem mentis perspicientia, & luminis claritate geminas illas sententias contuebar, vt sole clariores, & omni veritate firmiores viderentur: quodque magè miraberis, adeò præclarè fuerunt iubare illo reserenatæ quotquot in me sunt & interiores, & inferiores facultates, vt insolitam pacem, tranquillitatem, ac iubilationem protinus conceperint, pulsa corporis imbecillitate.

Præter hæc, dum sacri iubilæi exercitamenta percurreremus, Beatissima Trinitas beneuolentiam, ac beneficentiam suam de more testatam voluit, aliquoties misellam ad se attraxit, amplexata est, vniuit bonitati suæ, vetera promissa firmauit, castum connubium cum vnigenito suo strinxit. Verbum itidem æternum experimento docuit, quem cumulum cœlestium charismatum Præcursori suo in eius visitatione, & sanctificatione

Digitized by Google

tione contulerit. Hîc sisto scriptionem de me meam; hæc enim pauca sunt, quæ de statu meo in præsentiarum descripserim.

Sed heu me! quàm deplorandum, quàm funestum nuncium retrolapsis diebus accepi de longinquis, exterisque partibus! Ne te multis remorer, vno verbo refero. Peccatum est grauiter contra Deum. Proh dolor! exhorrescit mens, diffinditur mihi cor, labuntur viscera, crescitque eò magis angor in me cordis, quòd in cuius sinum dolorem, doloriscque causam tutò & decenter exponam, præter Deum habeo neminem: quin etiam flagitiis, & incuriæ meæ peccatum adscribi posse vereor, eo quod pro proximis meis Deum non satis assiduè sim deprecata. Amabò, pro delinquentis pœnitentia, pro venia, pro emendatione Superos mecum exora. Quantum verò ad me spectat, ex formidando casu colligo quid, quantumque illi debeam, qui me ab eo exitio seruauit. O si soluendo essem! At quo pacto soluendo sim, cùm non ære, sed animo, vitaque tota astricta sim illi, qui me in eo gradu collocauit, vnde etiam leuiores offensiunculas exulare congruit? Quid hic ego exilium memoro? an quia crudescit in dies mihi magis huius magni exilij procrastinatio? Nullatenus dubites luctusiorem mihi quotidie geri moram in his locis, vbi nil inuenitur nisi peccatum, calamitas, & afflictio spiritus. Bone Deus, nullamne vnquam figes metam peregrinationibus meis, & hinc ereptam in ea loca traduces, ad quæ toto mentis conamine suspiro? Donec suspiriis meis assentiaris, & desiderij anxietatem sedaueris, pane cibabor lacrymarum, & stratum meum de geminis fontibus oculorum meorum rigabo pro me ipsa, ac pro iis, qui te ad iracundiam prouocare non verentur. Oro te, Pater chariſſime, donum istud lacrymarum obtineas mihi. Et vale.

Epistola diei secundæ Nouembris.

QVæso te, si me amas (dilectissime Pater) quas nuperrimè coram, & ad aurem tradidisti boni, & æqui regiminis regulas, scripto consignes, & ad me perferendas cures. Plus tibi à me deberi fateor, quàm præstare possim; si id

Digitized by Google

beneficij addideris, beneficio omnium ſupremo erit; ſin minus, iratum te mihi arguam ex ſilentio, quamuis de te meliora ſperem.

Dum apud nos eſſes, debui, ſed memoria exciderat, gratam licentiam petere legendi libellum ſeruæ Dei Catharinæ Genuenſis, cuius ſanctitatem, & viuendi normam currenti anno, non tam admirari, quàm æmulari in animo mihi eſt. Aliquid illius cum bona venia Magiſtri noſtri anno ſuperiore percurri. Verùm cum aliàs intellexerim, eiuſmodi lectionem non omni parte tibi iri probatam, reieci, & pro noua, ſi placet, venia recurro. Hæret enim, æternumque hærebit ea animo ſententia mihi, nihil vnquam præter tuam voluntatem exequi.

De domeſticis quid noui ſubiiciam, non habeo; proſperè erga noſtras ſorores agitur, ad earum ſanctimoniam permultùm attulit viſitatio tua; ſi me exceperis, feſtinè omnes ad perfectionem properant: mihi enim edaces curæ rerum exteriorum internum robur ſpiritus, qui in tranquilla contemplatione cœleſtium paſcitur, corrodunt. An ego irrequieta in rebus agendis, requiem in terris expectem? In cœlis expeto, vbi veræ quietis ſedes eſt. Vale.

M. DC. XXXV.

Epiſtola diei ſextæ Auguſti.

HAc tranſeuntem Ordinis noſtri Principem, Matrem de Chantail, in Monaſterio hoſpitam vidimus, ſed non vltra diem. Ego quantum tulit vnius horulæ curriculum, priuatim ſecum contuli; præterita, & præſentia, ſiue bona, ſiue mala mea ſummatim, & per capita innui. Plura audire non licuit per otium, ſed ipſa longè quidem plura à te per litteras didiciſſe teſtabatur, quod ſanè non modico ſolatio vtrique fuit. Iniunxit illa mihi inter præcipua, vt quæ patior cœleſtia ſenſa non multi faciam, néve in eis librandis otia perdam, ſed ſimpliciter ante Dei conſpectum perſiſtam: quod & obſeruo, & obſeruare poſthac conabor. Reliqua, quæ mihi præcepit, aliquando, fauente Deo, verbo aptiùs, quàm ſcripto aperiam; ſi tamen iſtis

iſtis addidero, commonitam me fuiſſe delictorum meorum, & ineptitudinis meæ in cura ſoladium: commonita quidem fui, non pro criminum grauitate, ſed placidè, & pro genio Matris; ſciebat enim ferendis increpationibus me imbecilliorem eſſe. Cùm iſthuc ad te peruenerit, facilè capies, quid de nobis illa ſentiat; nam tibi ſenſa ſua omnia detegeret. Spero vos inuicem eſſe conuenturos, diſputaturoſque de vita mea, necnon decreturos quid in hac re ſit facto opus, quid vtilitati, quid damno ſit. Ego interim conſiliis, admonitionibuſque veſtris ex integro parére præſto ſum. Vale.

ADDITIONES.

Monita, de quibus fit mentio in hac epiſtola, leguntur ſcripta manu huius ſeruæ Dei his ferè verbis.

Pertinaci ſtudio, ac labore connitendum tibi eſt, ne qua „ parte diſcedatur à legibus religioſæ obedientiæ: coge omni „ puncto ſeruari ſimpliciter, ac generosè. Tu ipſa, ne te in „ eam familiaritatem dederis, quæ pariat contemptum. Eſto „ grauior inter ſorores, non ita ad verbum, aut ad cuiuſlibet „ arbitrium flexilis; foueas tamen ſemper ſpiritum modeſtiæ, „ atque ſimplicitatis: euita diligentiùs molles quaſdam, & „ pueriles illecebras, qualia ſunt, oſcula manuum frequentiora.

Fac procul, & ſemper exulent à Monaſterio leges humanæ prudentiæ. In leuioribus ne te anxia contorqueas ſciſcitando alieno conſilio, nec cuilibet ſubiicias te: age in iis de te ipſa, liberè inſequens ductum Spiritus Sancti.

Quicquid egeris, rectà ad Deum dirigito in ſpiritu humili, ſimplici, & non ficto: ſi qua tibi ſpeciatim communicet Deus Optimus Maximus, ne facilè aliis retegas. Paruipende guſtum, omnemque ſenſum internæ conſolationis, Deum præ oculis habens, magis quàm opera Dei. Sis coram eo velut vaſculum, parata ſubmiſsè recipere quicquid ille infuderit. Amputa nonnihil de verborum abundantia, & Deo omni tempore inhæreas. Ne charitatis prætextu domeſticis curam tuam ſubtrahas, datura extraneis; elemoſynam præuenit debiti ſolutio. Eſto fidelis, & in magnis, & in paruis.

Digitized by Google

Epistola diei 26. Nouembris.

COpia temporis, quo ad te scriberem de statu cordis tibi non ignoti, aut defuit, aut opportunè vti nescivi, donec cum Cœnobij nostri contubernalibus renouatæ sumus in spiritu, obfirmatis apud Deum religiosis promissis. Verùm vt illis omissis de me speciatim loquar, etsi multis in solitudine auxiliis cœlestibus fuerim suffulta, nihilominùs in easdem foueas negligentiæ meæ misera recidi, à pollicitis resiliui; spem, & exitum rerum mearum in diuina fide minùs collocaui, fidentior ipsa mihi; studio defui humilitatis, charitatis, ac lenitatis; mentem, ne ab æternis ad caduca (licet non ad indebita) cursitaret, valde non cohibui. Ab eo tempore, quo Matri, Magistræque nostræ reconditissimos quosque flexus, atque reflexus cordis mei, quàm potui clariori modo exposueram, illaque suaserat, vt floccifacerem, immò, & compescerem etiam fortia quæque sensa Dei. Obnixè contra ipsa pugnare studui, sed inde contorquetur animus mihi, coarctatur cor, & quasi catenatum stridet, clamitatque. Clamitet verò, ac strideat; quàm magni id refert? Obedire mandatum est; ideò tota contineor in speculanda, & expendenda vilitate mea. Tantùm abest, vt ad altiora surgam, quin etiam ab ipsis actibus amoris, quantum possim, abstineo, ne qua via præpotentibus aliis affectionibus aperiatur. Vis dicam quo me loco nunc temporis reponam? Vt catella laqueo religata in angulo ad posticum domus iaceo, indignior quàm vt mihi de mensa Domini pauculæ miculæ demittantur. Meditationi dum vaco, in vna, ac altera consideratione elaboro, vnde constitutos actus promam; promoque nunc frigidiores, nunc calidiores, iuxta supremi Numinis influxum. Attamen celare te nequeo, quod apud me exploratum habeo; candidè veritatem detegam. Nescio quid irrequietum in centro cordis patior. Num censendus sit amor proprius, aut quippiam aliud, ignoro. Quicquid illud sit, fremit, fræni, & vinculorum impatiens. Reuerà hoc quotidiani damni perspicuè experior permultùm mihi de pristina illa dulci, suauique pace cordis detractum esse. Quid verò isthuc sit, quáve de causa fiat, omninò me fugit; vt recognoscam,

Digitized by Google

cam, curioſiùs inquirere nolo. Paruiſſe mihi multò ſatius, & pretioſius eſt. Præfata Mater noſtra ſuſpicata quoque eſt non modò ſuauitates, verùm etiam ipſas internas collocutiones, quas ego à Deo ortum ducere exiſtimarim, eſſe phantaſiæ partus; idcircò quantum valui, aures illis occluſi, vix aperui ſemel, aut iterum, nam non bene memini.

Huic depreſſioni animæ meæ permultùm contulit propinqua admodum cuiuſdam iactura, vnde non mediocris mihi triſtitia. Rem tacitam habeo apud me, nec ſalua fide cuipiam reuelare fas eſt. In limine infortunij erat, à præcipitio tamen illum ſingularis Dei clementia ſeruauit. Vt omninò ad meliora redeat, adiutorem obſecra Deum, cuius ego inuictam patientiam non admirari nequeo, qui leges ſuas tam fœdè pedibus ſuorum proteri impunè ferat. Iam per menſem iſthæc me, & triſtitia, & admiratio tenent, dum tamen in cunctis probatiſſimam Dei veneror æquitatem. Sed eſt quod ſtupeam magis, quòd illa me non modò nequam, & flagitiis contaminatam, verùm etiam cœleſtium theſaurorum prædatricem inter viuentes tamdiu patiatur. At nunc nunc ipſo authore reſipiſco, ad ſanctitatem tota exurgo, ad internecionem vſque vitia ſternere connitor, vt iam non ego, ſed viuat in me Chriſtus.

Epiſtola diei 3. Decembris.

QVod poſtremis litteris ſuadebas vt æquo, patientique adhuc animo conſiliis Matris noſtræ acquieſcam, donec veritas omnis magis eluceſcat, lubentiſſimè amplector, & lubentiùs exequor: nihil enim vnquam mihi ante probatum fuerit, quàm iudicio veſtro comprobetur; nec egò tanti facio dulces illecebras ſponſi, vt iis carere mihi ſit aſperum. Scatere potiùs ſitio de præcordiis meis fontem lacrymarum; lacrymarum, inquam, expreſſarum de commiſeratione peccantium, de Deo per me offenſo, necnon de eiuſdem amandi, ac fruendi deſiderio. Quàm me cuperem ab vſu mortalium, & à turba negotiorum ſegregatam inter vaſtos ſolitudinum receſſus, & in terras inhoſpitas reiici, vt iis in locis ex animi voto, & ad ſatietatem imbribus mearum lacrymarum tota conſpergerer, & pene moribunda obruerer! Scias contabeſcere mihi cor præ

ſiti

ſiti cæleſtis manſionis, à quâ procul abeſt omnis occaſiuncula lædendi D.O.M.

Cæterùm, chariſſime Pater, rem mihi pergratam feceris, ſi quæ de me ſunt, cum Matre noſtra in præſenti ſileas: ſupprime quæſo ad menſem adhuc vniuerſa. Timeo ſuſpicionem mali, ne ſcilicet putet ſancta monita ſua non ita mihi cordi fuiſſe, ac ſunt, cùm ego & eius, & tua nihil minùs quàm cœleſtia dicta venerer. De his citiùs ad te reſcribam. Vale.

Epiſtola diei 31. Decembris.

ECce venerande Pater, ineuntis anni primordia. Vtinam ad maiorem Dei cultum, ac famulatum; nam niſi amando, & obſequendo feruentiùs Deo propinquus annus ceſſerit, optabilior profectò mihi eſt à Deo mors, quàm vita.

Hîc antequam de re quapiam ſermo fiat inter nos, patere, vt qua fide, obedientia, & obſeruantia tibi iam pridem aſtrinxi me, eamdem hoc anni exordio ratam faciam, nunquam fallere, nunquam fidem mutare parata. Quid enim? an non te mihi Ducem, & Præſidem viæ, me tibi clientulam dedit Diuina Maieſtas, iuſſitque vt conſiliis tuis non ſecus ac legibus ſuis obtemperarem?

Iam ad intenta accedo. Optatò ad nos venit Archipræſul noſter; cum eo ad longa colloquia deueni ſuper iis, quæ nuper ad te ſcripſeram, de mea videlicet cordis coarctatione, & de animi anguſtiis, in quas coniicior, dum pertinaciter obnitor contra ſuaues illos motus, & affectus, quos in me excitat vel Deus ipſe, vel alius quiſpiam ſpiritus meo ſuperior, ac potentior. Præſul pro ſumma ſua affabilitate diſſerentem placidè audiit; quæſtionem apud ſe retinuit verbo relaturus Matri noſtræ, quum illam Pariſiis conuenerit. Interea vt eſt cœleſtium theoriarum conſultiſſimus, docebat non eſſe obiicienda repagula magnificentiæ Diuini Numinis, neque fluxui gratiæ, ſed nec vllos limites immenſæ bonitati ipſius. Nimium etenim antecellit omnem hominum prudentiam incomparanda Dei ſapientia, & fortitudine ſua facilè cunctas mortalium deuincit imbecillitates. Porrò præproperam vocabat obedientiam, quæ Spiritus ſancti operationes diſturbat, & effectus beneficentiæ

Digitized by Google

neficentiæ eiuſdem euertit. Poſthæc ſinus omnes cordis mei auſcultanti denudaui, ne retenta cogitatiuncula vna. Recenſui reſtitutam poſt aliquot dies tranquillitatem, ac pacem animi, conceptam de diuina miſericordia ſpem; item quàm auidè percupiat Deus hominibus intermiſceri; non enim alia de cauſa ſeipſum hominibus communicauit, quàm vt hi ſecum communicent.

A diſceſſu autem Præſulis, quinto ſcilicet, vel ſexto ab hinc die, ecqua fuit pacis dulcedo, Reuerende Pater? Ecqua mihi mentis libertas, & ad Deum attentio? Omninò refugit corpedes, captiuitatemque omnem ſpiritus iſte meus, ſeu vt ſaniùs loquar, ſpiritus iſte ſupremo principatu poſſidens meum, imperij ferendi impos. Nec ego id iniuria fieri iudico, poſtquàm is iuſta mihi, indubitatiſſimaque iura ſua clarè demonſtrauit. Superant, crede mihi, ſuperant fidem hominis occulta Dei ad animam fidelem commercia, ſi non experimento didicerit. Ego ſanè miror in omnem maiorem modum, vt qui acceptis tot cœleſtibus ſubſidiis etiamnum ſim omni parte mala, nulla parte bona, tam frequens claudicem, immò & ceſpitem inter ſemitas perfectionis. O imbecillitatem! ô calamitatem deplorandam, paſſim errare, paſſim prolabi! Dolens doleo caſus meos, licet non tota vnquam Dei fiducia cadam, quia perfugio, ſuſtentationique mihi ſunt vetuſta, multaque nimis diuinæ clementiæ argumenta. Vtinam te quoque ſubueniente, quod in ſpe habeo, hoc impleatur, vt nimirum amanti me Deo, redamando perfectè reſpondeam, & per eius amorem, quod in me de meo nihilo deſtrui ſentio, in nihilum penitus deſtruatur. Vale.

Epiſtola Archiepiſcopi Senonenſis ad Annam Margaritam Clementem.

„HActenus nihil quicquam contuli de arcanis cordis tui cum „bona Matre de Chantail, quia nondum à me conuenta; „ſpondeo facturum, vbi primùm videro. Si benè memineris, „quo te primùm tempore allocutus ſum, accepique rationes „animæ tuæ, eiuſdem fui ſecum, & ſenſus, & iudicij. Quid „dicam modo? Nil aliud cures, niſi vt ſecurè viuas, & corde

„ pacifico, donec à nobis aliter intelligas. Porrò si sponsæ inter
„ castissimos, & minimè suspectos amores dicere licuit sponso,
„ *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*; puta tibi
„ æquius fore, si humiliter repudiaueris dubios, in quibus dæ-
„ mon, vel natura distinctim, aut coniunctim possunt fraudes
„ moliri, vnde magna caperes detrimenta. Precibus rem Deo
„ commendemus. Pluribus scribam alio tempore, si Deus dede-
„ rit. Vale.

Reperiuntur insuper nonnullæ eiusdem Præsulis præscriptiones ad hanc rem pertinentes, quas reor non ineptè hisce ipsis assui. Ait ergo:

„ INgenuè, ac tota animi, rationisque subiectione coniunge-
„ re Deo; nullum maius, aut operosius negotium habes. Con-
„ iungere autem non consortio deliciarum, sed fidelitate vo-
„ luntatis benè subactæ. Rationem verò habeas non emolumen-
„ ti, aut progressus tui, sed obsequij, & gloriæ Dei. Ne curio-
„ siùs, aut minutiùs singula perscruteris, quæ in te fiunt; vel si
„ mauis, quæ in te operatur Deus. Opus suum sæpenumero te-
„ git, nec cuipiam vult constare quid, cur, & quomodo fiat: sa-
„ tis sit fidisse te Deo. Cogita potiùs quid à te postulet, præci-
„ puè vbi premit alienæ salutis curatio. In hac cura obliuiscere
„ quæ tua sunt, quo pacto Christus oblitus sui tradidit semetip-
„ sum, vt seruaret hominem. Diuinè egeris, si hanc Christi ob-
„ liuionem, & venereris, & secteris.

Diuinas communicationes suscipe humilis, ac pauens. Diffide iis, quæ cadunt sub sensum, tanquam rebus parui mo-
„ menti, & obnoxiis illusioni, atque deceptioni: sanè sicut nec
„ illas penitus reiici decet, ita nec desiderari. Patere eas sim-
„ pliciter, frequens autem conferas de iis cum peritis: isthæc
„ humilis collatio contundit astus dæmonis, semper aliquid sini-
„ stri suis artibus machinantis.

Coniungamus hisce monitis acta solitudinis eiusdem anni 1635. & intelligamus non defeciisse officia diuinæ beneuolentiæ erga dilectam suam. Ait Igitur:

PRidie dedicationis Sancti Michaëlis Archangeli, in quo accesserat expectatissimus dies secessus mei, vocata fui ad solitudinem

tudinem verbis illius Antiphonæ, *Factum est silentium in cælo, &c.* Et pro bonitate sua Deus præuenit me ineffabili quodam modo, quem etsi senserim, aptè tamen describere non noui. Ego nolens discedere à consilio Matris, Institutricisque nostræ, acriter contendebam subducere me à spiritu, qui pristino vsu consueuit me dirigere, mecumque agere, sed vano conamine; certamen equidem meum æstimabam iustum, & fortasse tale fuerit; attamen certantes non paris eramus roboris; robustior ille spiritus vno ictu, vno momento prostrauit me, & frustra resistentem facilè deuicit, occupatis cunctis viribus, facultatibusque meis. Verum quidem est cum prostratione mea inuectam in me fuisse iucundissimam tranquillitatem mentis, & miram suauitatem pacis, in qua tanquam in suo empyreo regnare solet Deus: siquidem induxit tale silentium, vt quiescentibus, & quasi extinctis affectibus vniuersis, omnia in me vel demortua, vel sopita viderentur. Ita illa diuina bonitas cùm authoritate, & prædominio suo subditam, ac tranquillam teneret animam meam, iaculo suo prævalidum inflixit ictum amoris, quo ferè illa è corpore discessit. Vix vnam, ac alteram horam quietis concessit languenti, & tantum languorem non ferenti; nam vehemens ille dolor in totam sequentem diem productus est, ita vt imminere mihi exitum ex hac vita pro certo tenerem. Sensi me ea actione renouatam spiritu, sensi conflagrasse vehementiori igne amandi Dei, necnon desiderio potentiori patiendi pro eo acerbiora: concupiui etiam ardentiùs, vt is ab omnibus diligeretur.

Primi diei meditatio fuit de opere creationis; ibi me Creator in rem vndequaque suam asciuit, tum iure creationis, tum religione votorum, tum etiam propter vinculum amoris. Deinde per sacramentalem expiationem sensi redditam mihi bonam Dei gratiam, vidique sub specie duplicis, discoloriſque vestimenti restitutum nitorem animæ. Vestimentorum prius erat album, symbolum puritatis, atque innocentiæ, quo solet anima ab æterno Patre decorari ante sacrum connubium Filij sui; sicuti enim Patri placita est venustas Filij, ita & venustas sponsæ de sanguine Filij. Versa item vice Filius, data opera, sponsam intinxit sanguine suo, vt Patri magis placita fieret. Postmodùm cooperuit altera veste, nempe rubra charitatis; con-

tulitque pro nuptiis omne genus ornamentorum, ſplendorem nimirum omnium virtutum. Donauit digitos annulo diuinæ fidei; pedes ſuperinduit calceolis, ſeu ſtudio ſanctorum affectuum; lumbos circumcinxit zona ſanctimoniæ; humeros redimiuit torque aureo humilis obedientiæ; denudatam cupiditate rerum omnium, ipſo etiam guſtu, ac deſiderio guſtus ſpiritualis, fecit vndique collucere gemmis ditiſſimæ paupertatis; collo circumdedit monile triplicis ductus margaritarum nitidiſſimarum, quæ ſunt caſtæ cogitationes, ſimplicitas verbi, & eloquij veritas. Auribus affixit ſpecioſas, ſummique pretij inaures, & cum illis intentam auſcultationem verbis ſermonis ſui, ſiue ſit ex Scriptura ſacra, ſiue per internas cordis allocutiones; lacertulos cinxit brachialibus intertextis auro, & margaritis, ſuntque opera bona cum ſimplici intentione obſequendi Deo; appendit præter hæc capiti frontale gemmatum, quo mens omni tempore viuat memor præſentiæ Dei, & colligata aſpectui Maieſtatis ſuæ. Denique alligauit catenula aurea pectorale ſuper cor meum, cuius aſſiduo motu commonerer curæ, & dilectionis erga proximum: eſt enim iſtiuſmodi pectorale zelus gloriæ Dei, & ſalutis animarum.

Interfuit quoque pro tempore, & pro vice ſua Spiritus ſanctificans animam, & perquàm intimè iniungens cordi ſponſi inflammatam igne ardentiſſimæ charitatis. O ſpiritus puritatis, veni, & incende cor meum, abſume in me quicquid tibi diſplicet. Eſto cor cordis mei, & amoris mei amor.

Extant prætereà in eodem manuſcripto documenta quædam collecta de feceſſu eiuſdem anni 1635. ſibique propoſita in annum venturum, videlicet.

„ DIdici ab adoleſcente prodigo quamprimùm eſſe redeun-
„ dum in domum, & ad genua Patris poſt patratum crimen
„ aliquod, quia non deſpicit cor contritum, & humiliatum, facit-
„ que magis ſplendeſcere lucem miſericordiæ ſuæ, quò obſcu-
„ riores ſunt tenebræ peccatorum. Timor autem nulla re fortiùs
„ debellatur, quàm armis amoris Dei. Inuigila tibi ipſi, & per-
„ pende ſingulos actus vitæ tuæ, vt prouocata ad tribunal Iudicis
„ ſupremi, comedas potiùs fructum laborum tuorum, quàm ſup-

pliciis

„ pliciis deputeris æternis. Iudex enim, quantùm futurus est
„ formidabilis malis, tantùm se præstabit amabilem bonis. Vide
„ ne imaginem Dei in te aliquo modo labefactes. Condita es,
„ & aliquid Diuinitatis in te stat insitum, vt conditori tuo inte-
„ grè obsequaris, vt illum ames, & colas.

Arbor es in plantario Religionis rore cœlesti affluens, si quos
„ à te fructus expectat Deus, eos potissimùm expectat, quos spe-
„ ciatim parturiunt regulæ tuæ.

Vt cor rapias Deo, esto humilis, ille etenim, vt corda ho-
„ minum raperet, factus est humilis. Abscondere in Deo, sicut
„ Deus Diuinitatem suam sub humanitate abscondit. Humilitas
„ character est filiorum Dei; qui cuncta agit corde humili,
„ Deum honorat maximè; soli enim humiles Deum verè hono-
„ rant. Mansuetudinem Filius Dei venit verbo docere, & exem-
„ plo: castiga priùs in te passiones iracundiæ, atque tristitiæ, &
„ orans semper vnire Christo, & mansuetudine dulcesces. Si in-
„ tegrè euacuas cor tuum, cor Saluatoris reponetur pro tuo, &
„ sic habebis in te scaturiginem omnis dulcedinis, cuius insignia
„ sunt intima, & imperturbata animi tranquillitas, verbum sua-
„ ue, actiones pacificæ, & bene temperatæ. Pete, insta, vt ha-
„ beas cor humile; frequens etiam habeto in ore mellifluum
„ nomen Iesu: ipsum est balsamum cordis.

Petit à te Deus paupertatem cordis, ac spiritus; quære eam;
„ vt inuenias, cedendum est rationibus, voluntatibusque tuis,
„ tuncque illam obtinebis à Deo. Vis pauperrima fieri? ama
„ Deum solum: si tu bene expoliaueris te, vestiet ille virtuti-
„ bus. Quod anima Deo, talis animæ Deus; si tu illi nihilum
„ tuum dederis, ille tibi suum esse reddet: si tu afflatibus suis non
„ restiteris, ille non contemnet preces tuas.

Pete ab eo confidenter; plus ille dare, quàm tu petere pa-
„ ratus est: manus gerit donis pleniſſimas, quæ distribuat quæ-
„ rentibus eum, & gloriam ipsius. Vis requiescat in corde tuo
„ cor Saluatoris tui? esto humilis, & pura; exue te proprio arbi-
„ trio, & in eum coniice totam fiduciam tuam.

Digitized by Google

M. DC. XXXVI.

Epistola diei 24. Februarij.

Dilectissime Pater, opportuno mihi vsui venit Domini N. ad vos profectio, cui nuncias cordis mei litteras ad te tutò committerem: nam huius tenoris alteras ante Pascha conscripturam me diffido. Fore autem tibi grauia mea isthæc nuncia præsentio, cum me parum à consuetis erratis recessisse ostendent. Nam rursum procliuior iui in naturæ propensiones, imprudens extiti, verbosa, mente vaga, diuinæ præsentiæ immemor, & duriuscula aduersus contubernales meas, quæ sunt Christi Domini sponsæ. Tantulum tamen me profeciſſe etiam lætare; nam incessi cautior, & videor ipsa mihi neque tam frequenter, neque tam fœdè cespitasse, manuducente Deo, qui interim cespitantem non rarò increpauit, & probro lapsus omnes imputauit. Quid ego ad hæc pro me opponam, non habeo: fateor expedita sunt imbecillitatis meæ argumenta.

Ille tamen (quæ est eius infinita benignitas) non est dedignatus ream; fructus adhuc suæ præsentiæ impertitus est, & tanta dulcedine mentem inebriauit, vt nauseet ad vomitum quicquid non est Deus, aut Deum non sapit. Illabitur autem ita placidè, operaturque ita suauiter, ac potenter Dei præsentia, vt me penitus deperdendam opiner in vasto Oceano Diuinitatis suæ, cùm eò vergere omnia videam, vt segregata à memetipsa, in eum modo quodam ineffabili transfundar. Equidem plerumque infusas sponsi delicias subterfugere tento, sed neutrum subest potestati meæ. Præsidere sentio spiritui meo alium quempiam rectorem spiritum, qui cuncta consilio dirigit suo, & regia quadam authoritate catenis captat vniuersas animæ meæ vires, ipsamque contrà cogentem voluntatem sub obsequium, & imperium cogit suum. Quid ampliùs dicam? Si leuiter oculum, aut simplicem cogitationem in expendenda ludibria, impugnationes, & tormenta excruciati sponsi mei coniicio, immota hæreo: inaudita supplicia, sed magis inauditam dilectionem ipsius admirari dumtaxat licet, & aman

Digitized by Google

amantem amare. Cupido autem, vel patiendi, vel moriendi cum illo ea eſt, vt viuenti mihi nil moleſtius ſit, ac odioſius ipſa vita. Quidni in deſerta detrudor, iiſque locis immoror, vbi commodiùs in amabiles fletus tota diſſoluar, & in lacrymas triſtitiæ, propterea quod à tam pauculis diligatur, & à tam plurimis negligatur Deus? Fac, age Pater mi amantiſſime, vt precum tuarum pretio merear, quæ ille de me expetit ſeruitia pro dignitate præſtare, eò etenim ſpectant deſideria, cogitationeſque meæ vniuerſæ.

Si pluſculum otij ſuppeteret, nonnihil ad te referrem eorum, quæ aduerſum me (ſed magno mihi Dei beneficio) acciderunt à Patre, Patronoque noſtro ſpirituali. Ego nonnullis ſororum mala valetudine languentium aliqua dari ſolatia ſupra communem Monaſterij victum ſcripto petieram; ſubſcribere non placuit, quinimmò irreligioſum regimen, & nimis laxam ex meæ naturæ indole exprobrauit indulgentiam. Cauſam ego Deo commiſi; redargutionem, quamuis amori proprio inſuauem, læto, & volenti animo complexa ſum. An non aliquid etiam immeritum tolerare par eſt? Si hoc caſu culpa à me abeſt, in quammultis adeſt? Concede vt rem minimè ambiguam ad te deferam. Ex quo bonus iſte Pater, ac Patronus de nobis apud te conqueſtus eſt, animo valde frigeſcere perſpicitur, iuſtis ille, vt ſibi videtur, de cauſis; ſed qua parte in eum, vel in mandata eius ipſa peccauerim, ignoro. Quodcumque accidat, ego de baſi fiduciæ meæ non excutior; nam ſi deſint homines, aſſumet in refugium Deus. Vale.

Epiſtola diei ſextæ Iunij.

DE ſalutari, & bonis conſiliis plena epiſtola tua, Reuerende Pater, quàm poſſumus maximas agimus gratias, non minores poſthac fructus inde relaturæ: hos etenim à nobis expoſtulat bonorum omnium Author Deus.

Sexta iam hebdomada eſt (Pater mi) ex quo moleſtiis non paucis, iiſque non mediocribus concutior, partim ob rerum temporalium peturbationem, partim ob metuendum cuiuſdam animæ diſcrimen; imperturbata nihilominus, & ſemper erecta ſtat mea mentis in Deum fidentia. Sollicitudines arcem

cem cordis turmatim inuaſere, indeque pacem exturbare tentarunt, in caſſum tamen. Quati poteſt, excuti non poteſt fixa in Deo, & à Deo firmata bona fiducia. Rogo te titubanti animæ illi orationum tuarum fulcro ſuccurras, ne cadat, & vale.

Epiſtola diei ſextæ Iulij.

INcrepat me, Venerande Pater, longior mora differendi tecum de tacita, & occulta conſcientia mea; nil enim illius aliquandiu ſignificaui. Otia ſi fuiſſent, ſine huiuſmodi litteris feſta Pentecoſtes non abiiſſent; lapſu namque temporis de mente quoque mihi elabuntur multa, quæ tibi percuperem innoteſcere.

At ecce ipſa prima fronte terreor ab iniquitatum mearum copioſiſſima turba, & à bonarum actionum inopia mea. Parte vna inſurgunt contra me intemperies paſſionum non curata, deficientes à recta moderatione iracundiæ motus, ſermonis præcipitatio, aridiores correptiones prætextu alienæ emendationis. Parte verò alia pugnat torpor mentis, ſopor corporis, & diſperſio cogitationum inter preces diuinas; mens imparata, leuis attentio, & remiſſiores actus meditationum, ad quas quoniam languens acceſſi, fructu quoque vacua receſſi. Adde quod præſentem Deum non colui vſquequaque. Accidit interdum etiam, vt trahenti manus non dederim, neque loquenti aures, ſenſus ſubſecuta meos. Quid plura dicam? Cloaca ſum iniquitatum, cloàca malorum omnium refertiſſima. Pater huc multa breui contraxi, argue tu cætera numero carentia. Hæc ego memoria collegeram ante Pentecoſten, vt per pœnitentiam emundata elegantior in conſpectu Paracleti venirem, & ab eo abundantiora chariſmata reciperem. Spiritus quippe ille, qui ſuperpura puritas, & ſuperſancta ſanctitas eſt, hanc à me quoque puritatem, & munditiem repoſcebat.

Neque fruſtra cecidit mihi ſpes; nam is opera digna diuinitate, bonitateque ſua, conuenientibus ſimul aliis Perſonis Trinitatis operatus eſt. Reuelabat ipſe mihi ſanctum, concordem, & ardentem inter Perſonas Diuinas amorem, docebatque nil

ſibi

Digitized by Google

ſibi in optatis magis eſſe, quàm, vt per ſuos illapſus homines diuinitatis conſortes efficeret. Hæc dum placidè recenſeret, benignos, atque amantiſſimos oculos in me miſellam defigebat. Alternatis dein vicibus Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis obtulere contuendos, atque deguſtandos theſauros potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, cæterarumque virtutum, quibus excellit Deus.

Vtque magis idonea fierem caſto connubio verbi Dei, qui animas puras ſibi deſponſare ſolet in fide, miſericordia, & fidelitate, duplici me in voragine purificandam merſit; voragine nempe nihili mei, & voragine amoris ſui, vbi tamdiu, & tam altè ſubmerſa latui, vt prorſus à Deo conſumpta exiſtimarer. Nihilominus inde poſteà, non ſecus ac aurum è fornace, multo quàm anteà nitidior emerſi ad nuptias. Paracletus indiſſolubili nodo amoris caſti ambos connexuit; id enim ipſe muneris habet, vt animas caſtas ſacro connubio iungat cum vnigenito Dei. Et ſanè nodus iſte amabiliſſimus inter ſponſum, ac ſponſam infractus, æternuſque permanebit, ni illum ego diſrumpam infidelitate mea. Iſthæc, Pater mi amantiſſime, in intimo, altiſſimoque apice mentis meæ perpetrata ſunt, relicto in ea ſuaui quodam ſapore præſentiæ Dei, & facili, pronaque animæ conuerſione ad eum. His eiſdem cum ſenſibus ſolemnem memoriam cœnæ Dominicæ tranſegi, vbi quàm ſuauis ſit ſpiritus Dei diligentibus eum, & agnoui, & guſtaui. Verùm ne recederem, conſcia quidem ſaporis, legum verò amandi Dei inſcia, ſponſus dilectioni, qua vult amari, has conditiones appoſuit, ita effatus: *Ab his amore, ac honore præcipuo coli exigo, de quibus per plura officia ſum benemeritus. Deinde beneuolentiam volo ingenuam, ac liberalem, non quæſtuoſam, aut parcam. Homines ego liberaliſſimè dilexi, non alicuius commodi gratiâ, nil ab eis accipiens, ſed nil etiam de meo mihi adſeruans. Prodigus, & omni re exſpoliatus amaui. Paribus inſtructum legibus amorem mihi rependi congruit.* Hæc ſunt præcipua capita rationum mearum, quas ad te deferri optabam. Faxit Deus, vt eius cœleſtibus donis, ac documentis aptè reſpondeam. Vale.

Epistola diei secundæ Octobris.

BOne Deus! quanta, Pater mi amantissime, quanta diuinæ bonitatis profluentia! quàm largiter diuitias gratiæ suæ diuisit! supereffluentes non capit vasculum cordis mei, indigens quidem tantæ misericordiæ, sed minimè dignum. Id causæ fuit, cur per totam hebdomadam nil tibi deferendum exarauerim, non satis ad hoc commoditatis adepta, eo quod proloquente in præcordiis Domino, aurem aliò quoquam vertere vetitum mihi sit. Auscultari ille omninò vult, quin etiam quantumuis sileat ipse, oculos tamen ab se sponte diuerti non fert, nisi illud bona cum pace, & venia sua fiat, quam vtique pro præsenti scriptione roganti mihi benignè hoc mane indulsit. Ergo verbulum vnum, ac alterum tecum hisce meis faciam super opulentia diuinæ misericordiæ. Post discessum à nobis tuum, acerbissimis casibus, aut potiùs crucibus domesticis afflictata fui, quæ animum meum longinquiùs adhuc à rebus creatis seuocarunt; ita vt non ab iis solùm, sed à memetipsa planè seiuncta videar. A decem, duodecimve diebus cœlestis quædam virtus, nescio quid valdè potens in centro animæ meæ est operata, per quod à rebus omnibus alienata, & à me ipsa segregata videor. Placuit præterea bonitati illi supremæ fidissima, certissimaque pignora paternæ suæ protectionis mihi tradere. *Nihil hic*, aiebat, *nihil in te amplius aliena est potestatis, tota penitus, tota mea es: iure meo proprio tota mea, tota amore, sacrificio etiam holocausti mea tota. Tibi verò solus ego omne tuum per bonitatem, per charitatem, & per misericordiam meam, atque etiam quia ego te, tibique creditas sponsas meas singulari quadam, rectaque ratione ad veritatem dirigo, & in me rerum tuarum, sive temporaneæ illæ sint, sive spirituales, curam omnem deriuaui.* Quam animi pacem attulere verba ista, Pater mi! Vt mihi valde persuaserunt, fidenter, suauiterque in eo quiescere, qui mihi omne bonum est! Certò teneas sermones istos omnem animi hæsitationem ademisse mihi, neque vt vno momento de Dei patrocinio diffidam, permittere. Fidelem autem me iussit consistere, & stomacho habere quæcumque in eius honorem, & puram gloriam non sunt. Vt vno verbo expediam omnia, nil vnquam dulciori

dulciori ſuauitate conditum ſenſi interiùs, exteriuſve, nil nodo ſtrictiori connexum. Quonam pacto iſthæc fiant, audire ne expectes; ſuſceptibilia ſunt, explicabilia non ſunt. Vale.

Epiſtola diei 24. Nouembris.

PRemor temporis inopia, Reuerende Pater, quo fit, vt ipſa quoque enarrationem ſolitudinis meæ in pauca verba premam, accommodatiorem otij abundantiam expectans, qua pleniùs, ac liberiùs ad te reſcribam.

Verumtamen antequam de ſolitudine differam, monitum te velim, arduum, & valde operoſum negotium mihi à Matre noſtra demandatum fuiſſe, quo peragendo magna temporis conſumptio, parum abeſt vt dicam, magna iactura fiet. Vt primordia vocationis meæ, vt tyrocinia vitæ cœnobiticæ, & quæ ſuccedentibus annis euenere, memoria recolam, ſcriptoque colligam, & ſibi tranſmittam, mandauit. Laborioſum ſanè, & perdifficile opus, cui non ſatis ſit ſuppeditati otij facultas. Si te vicino vterer, leuior in arenam deſcenderem; nunc autem niſi excuſationem omnem exciperet lex obedientiæ, opus certè probabili aliqua ſub excuſatione ſubterfugerem lubentiùs. Rogo te, quid in hac re ſentias, ne graueris mihi ſignificare; quid etiam æquius ſit pro iubentis obſeruantia, & quid ego de me reſpondeam, ne quid minus, quàm deceat, in me valeat promiſſæ vis obedientiæ.

Regrediamur iam ad antra ſolitudinis, & quantum ſuggeret memoria, generatim multa obſeruemus; ſingula etenim complecti, atque deducere, neque animus, neque facultas eſt. Si rectè memini, iam tunc cùm iubilei dies gratiſſimos agetemus, delictorum meorum breuiuſculam ſummam ad te dedi. Excreuiſſe cumulum, præcipuè ex ingratitudinis, & negligentiæ partibus increpauit ſponſus: ſiquidem, vt verum fatear, ereptum mihi ab ingraueſcentibus occupationibus tempus minùs ſacræ contemplationi, & minùs colendo Deo liberum extitit. Donorum tamen ſuorum nil minùs habere me voluit, quàm aliàs. Qua primùm die ad eum acceſſi, accedentem ipſe æſtimando illo prophetico promiſſo præuenit, *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*; effecitque cumula-

tissimè quod promisit. Nam inter cætera, notiones mihi quamplurimas obscuras, atque occultas de Dei perfectionibus, speciatim verò de summa ipsius puritate, infinitaque charitate benignissimè elucidauit, vltrò pollicitus, se illas huius animulæ ornamento collaturum.

Ego quidem pro viribus ab immissis consolationibus declinabam, contrà etiam luctabar, non tamen victrix euasi, aut fui inuadente fortior. Qui tunc animo dominabatur, quique etiamnum dominatur, regnator in me spiritus perstitit immotus, ac inuincibilis, atque instar ignis concremantis omnia, & quicquid occurrit deuastantis, campo, spoliis, victoria, & imperio potitus est. Interim tot mihi vidi elucere diuinorum mysteriorum excellentias, arcanasque intelligentias, vt efferendis lingua obmutescat, & describendis obstupescat manus. Quid enim? Tam altè in profundo oceano suæ Diuinitatis pauperculam immersit, vt illa nihil in se præter Deum, aut seipsam in Deo cerneret.

Quos verò fructus, quæ consilia ex hac solitudine susceperim, audito. Percepi, & certò mihi persuasi, non extare tutiorem, compendiosioremque ad cœlos viam, quàm per tribulos, spinas, cruces. Eam mihi viam incundam indubiè sanciui, quæ iam nimium glorioſa est gressibus Christi mei, & eiusdem exemplis complanata. Idcircò longè à me abdicanda existimaui cuncta huius vitæ solatia, etiam spirituales consolationes, vt spiritu pauper, & circum me stantibus rebus denudata, expeditior sponsi vestigiis vestigia mea componam. Optaui insuper vita dumtaxat Dei mei postmodùm viuere, quod præstari posse credidi, promisique, per inoffensam obtemperationem ad vniuersa illius mandata, instinctus, & inspirationes, procul ablegatis à me meis cupiditatibus, iudicio, sensu, & affectu omni. Denique vt vno verbo cuncta concludam, repueraſcere in animo mihi est, & diuinæ pædagogiæ me totam credere, vt more infantulæ ille me dextera sua regat, ducat, trahat, fistat pro libito, & pro sua meliori prouidentia, cuius inter paternas vlnas ego tranquillior, & vt ita dicam, in vtramque aurem secura obdormiam: nam de aliquali mea diffidentia, animique restrictione etiam hac vice me obiurgauit; titubationem hanc in posterum, vt potero, excludere contendam. Vale.

ADDITIONES.

Inter manuscripta huius seruæ Dei leguntur aliqua bona proposita pro hoc anno, quæ cùm nihil contineant singulare, reticentur : sed non tacenda relatio solitudinis eiusdem anni, quam ipsamet scripto consignauit. Estque huius tenoris.

Secedebam à consortio contubernalium, itura in solitudi-
„ nem annuam, quum Dominus, ac Magister meus præuola-
„ uit obuius, dixitque : *Ego te ducam in solitudinem, & loquar ad*
„ *cor tuum. Osee* 2. In quam putas duxerit solitudinem ? Solitu-
„ dinem fecit de venerabili corde suo, & illuc animam, spiri-
„ tumque meum traduxit. Voluit autem in me fieri hoc loco,
„ & tempore tres solitudines, in quibus quiescerem, regnaret-
„ que solus ; videlicet solitudinem memoriæ, solitudinem in-
„ tellectus, & solitudinem voluntatis. Quod vt perfectiùs fie-
„ ret, reposuit memoriam, intellectum, voluntatemque suam
„ pro meis. Adiecit & quartam, nempe solitudinem cordis,
„ appositò similiter corde suo pro meo ; monuit autem ita ex-
„ cubarem custodiæ huius cordis noui, vt nullo tempore co-
„ gatur de loco isto emigrare, docens Parentem, ac Fundato-
„ rem nostri Ordinis consueuisse hospitari in solitudine huius
„ diuini cordis, & inde largiter expiscatum fuisse spiritum
„ mansuetudinis, & humilitatis, vnaque simul omnes illas ve-
„ ritates, quas postmodùm saluti omnium promulgauit ; ideo-
„ que eius alumnas posse peculiari aliqua ratione agnominari
„ filias cordis Filij Dei, de quo Institutor sugere solebat lac sa-
„ pientiæ, quo alumnas suas enutriuit, atque educauit. Consue-
„ uisse præterea eumdem contutari se in eo corde, ne ipsum
„ turba negotiorum disgregaret à Deo.

In secreto huius solitudinis aurea præcepta, & documenta
„ cœlestia prolata sunt, altè insonante auribus meis illo Psal-
„ mi 44. versiculo : *Audi filia, & inclina aurem tuam, obliuiscere*
„ *populum tuum, & domum patris tui : & concupiscet Rex decorem*
„ *tuum.* Quo exhortabar, meque, resque meas omnes com-
„ mittere fidei, & amori diuinæ prouidentiæ. Iussa sum assi-
„ duè contemplari, admirari, atque adorare perfectiones Dei ;
„ quia nimirum nihil ipsi magis est cordi, quàm vt contem-
„ plando quantum sit dives, ac magnus, in ipsum transforme-

„ mur. Oſtendebat etiam, libenter audire ſe concinentes ſibi
„ cum ſponſa, *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* His nam-
„ que coloribus, queis ſignatur puritas mentis, & charitas cor-
„ dis, maximè cupit coruſcare ſponſas ſuas. Inter multa voluit
„ rata eſſe promiſſa, atque nuptias antehac ſecum initas, & in
„ pignus amoris dedit oſculum pacis: inſtruxit quoque lautum
„ & oppiparum conuiuium, cuius ego maieſtatem, ac lautitias
„ non ſuſcipio deſcribendas; omnia enim in hoc deſerto ſoli-
„ tudinis, vbi ſponſus in ſacro ſilentio loquitur ad cor ſpon-
„ ſæ, delicatiſſima ſunt, ſplendida, & omni ſuauitate redun-
„ dantia, ſuperantque quicquid in terris eſt delectabile. Hic
„ ſponſus altiſſima docet, quæ præter eum nemo docet, hîc ta-
„ les amoris leges ſcribit in medullis cordis, quales nemo alius.
„ Amor enim omnis ſine ſua ſapientia errat, & omnis ſcientia
„ ſine ſuo amore iacet. In hac iterum ſolitudine nulla res ocu-
„ lum contemplantis diuerberat, quàm ſpecies ipſa Diuinita-
„ tis; nulliuſque rei amore capitur mens, quàm dilectione Re-
„ gis, legiſlatoriſque ſui. Hîc filius Dei ligauit me nexu amo-
„ ris perpetui, impetrauitque à Patre creari in anima mea,
„ quam ſibi deſponſarat, cor nouum, atque innouari ſpiritum
„ rectum in viſceribus meis. Pater pro corde nouo inſeruit in
„ meis præcordiis cor Filij ſui, & illapſu ſui ſpiritus reddidit
„ animæ meæ lætitiam Salutaris ſui, mentemque meam con-
„ firmauit ſpiritu principali. Acta ſunt autem hæc inter ſeroti-
„ nas noctium benedictiones.

Hic præterea didici, Saluatorem repudiare à ſuo connubio
„ animas non planè remotas à propriis cupiditatibus, vel non-
„ dum plenè denudatas rebus creatis: ſi qua perfectè renun-
„ ciauerit omnem alienam dilectionem, proprium iudicium,
„ propriam voluntatem, ac denique ſemetipſam, illa ad hoc
„ diuinum connubium aſſumetur. Vno verbo dicam: vult
„ Deus aſpirantes ad tam ſublimè coniugium eſſe veluti infan-
„ tulos recenter natos, carentes curis, rebus, arbitrio, motu,
„ & quaſi ſeipſis; quibus nimirum ipſemet inſtar nutricis lac,
„ faſcias, & motum omnem pro tempore, & pro libito ſuo
„ ſubminiſtret. Quid dico lac, & faſcias ſubminiſtret? Non
„ dedignatur bonus iſte nutricius cunas præſtare in pectore, &
„ in corde ſuo, vbi nouelli hi fœtus quieſcant, dormiant, ca-
lefiant,

Digitized by Google

„ lefiant, creſcant, corroborentur. Ibi tenellos paſcit dulciſ-
„ ſimo lacte diuinitatis ſuæ, & ne de his cunis facilè excidant,
„ aut exiliant, tenet religatos faſciolis amoris ſui. Quippe
„ quia deeſſe non vult promiſſo ſuo, quo dixit, *Beati Pauperes*
„ *ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth.* 5. Quid
„ enim eſt regnum cœlorum, quàm ipſum cor Dei, fons, &
„ complementum omnis beatitudinis? In hoc mundo Regnum
„ pauperum eſt contemni, pati, & fortunarum ſubſidiis deſti-
„ tui: in cœlis Regnum eorum eſt cor ditiſſimi, amantiſſimi,
„ atque beatiſſimi Dei. O beatam ſolitudinem! ô deſertum
„ deliciis affluens! in quo adhuc redolent odores Præcurſoris
„ Chriſti. Felicem animam, cui cœli fauent de eius aditu;
„ ſi tamen ingrediatur ſola, ſecum nihil gerens de creatis, vt
„ ſolus ſponſus cum ſola commoretur.

M. DC. XXXVII.

Epiſtola diei 27. Februarij.

MAgnus ille, magnarumque rerum opifex nouam telæ texturam in officina animæ meæ hoc menſe orditus eſt, ſed poſtremis diebus ita ſedulam, atque aſſiduam manum operi diu, noctuque adhibuit, vt vix puſillulum loci, ac temporis ſomno relictum ſit. Telæ texendæ filamenta fuere admiranda, ineffabilia, ac ſupernis ſpiritibus incomprehenſibilia myſteria ſacroſanctæ Trinitatis, de quibus æquè ac de ſtatu tunc animæ meæ conticere me cogit rerum altitudo.

De præſenti verò ſtatu hoc vnicum ſubiiciam; poſitam videlicet animam eſſe à Domino Deo velut firmiſſimum quoddam fundamentum, in quo figi, ac erigi vult ſanctiſſimam crucem ſuam. Quamobrem tanta nunc illa pollet fortitudinis, atque fiduciæ præſtantia, tanta præterea pacis, ac tranquillitatis conſtantia, nihil vt extimeſcat, & venientia vndequaque mala læta contemnat; certior nimirum à Diuini Numinis prouida ſapientia pendere omnia, ad hoc vt animi vigor, fidei, amoriſque magnitudo, & in Deum fiducia in me augeantur. Vis dicam? Amabiliores, ac iucundiores quotidie mihi

Digitized by Google

mihi fiunt cruces. O si me pretio orationum tuarum à me ipsa prorsus dispoliet Deus. Vale.

Epistola diei 10. *Martij.*

ELinguis ore, & eneruis dextera fio, vbi differendum est de iis, quæ ab vltimò datis ad te epistolis cœlitus facta sunt in hac animula fidei, ac directioni tuæ à Deo Optimo credita. Subtilissima sunt, supereminentia, intellectui vix peruia, atque imis in visceribus animæ recondita. Sæpius illa mihi somnum, sæpius reliqua corporis officia, vsumque mei ademere; numquam tamen palam, & sub aspectu contubernalium mearum, neque cum muneris, aut instituti mei præiudicio. Si quando fauente Deo in rem præsentem venire te contigerit, fortè aliqua de hisce internis, occultisque actibus propalabimus.

Interim quid noui aliunde emersit, obserua. Epistolæ Præpositæ cœnobio nostro Annessiensi recenter ad me allatæ sunt, quibus partim hortatu, partim iussu præcipitur, vt plenius viam vocationis meæ, & omnem rationem residuæ vitæ in scripta redigam: promissumque est, rem fore silentio, & tenebris, dum vixero, obsignandam. Vt id mihi persuadeat, asserit ita factitatum fuisse à collegis meis, quibuscum singularis fuit à Deo communicatio. Ego Præpositam illam & plurimùm diligo, & singulari obseruantia colo; fuit enim tyrunculæ mihi nutritia, & mater; lac primùm pietatis ab ea suxi, ac deinceps semper priuata quadam fiducia, ac filiali necessitudine secum vixi; quinimmò ipsius imperiis toto vitæ decursu, & vbique locorum fuero, tenebor, vtpotè quæ fidem, nomenque religiosæ militiæ in illius monasterij castris dederim. Mandato responsum hucvsque reddidi nullum; si tu rectum iudicaueris, & ab ea, quam debeo, obedientia non absonum, aut detrectans, ita facere apud me statui. Inducias vnius anni reposcam, donec Deo auspice de regimine, grauique cura monasterij dimissa fiam; tunc enim facilius, & commodius succedet opus. Neque enim in huiusce temporis angustiis tam multiplices, eleuataque Dei operationes possum ad plenum reminisci, neque eius sum ingenij, atque intelligentiæ.

tiæ, vt breui, paruoque negotio tam amplam segetem rerum cœlestium in monumenta scriptione idonea congeram. Accedit quod manum suam Deus à benefaciendo non contrahit, in dies potiùs noua dona nouissimis substituit, quorum seriem aliqualem dum scribens contexam, grandescet opusculum, quod deinde apud me, dum vita supererit, cautè repositum, è viuis decessura Anneſſium deferri curado. An non hac industrioſa diligentia satis plenè fiet, cùm desiderio Præpositæ, tum iuri obedientiæ? Alioqui præcepto nunc temporis implendo non satis sum. Meditor etiam. Præsulem nostrum, cum primùm illum videro, de hac re consulere, vt quid ille consultius senserit, edoceat. Tuis interim arbitriis cuncta subiicio. Vale.

Epistola diei 24. Martij.

PAulò ante hos dies miseram ad te, quam ex iussu maiorum collegeram, concisam epitomen, seu breuem indiculum pangendæ historiæ vitæ meæ. Quod legeris, quod perpenderis, quod agendis iustè consulueris, gratias ago immortales. Etiam apud Præsulem nostrum prolixo colloquio discussa res est; sed ille mihi minùs indulgentior extitit, quàm tu. Siccè concluſit; *Parendum est, obtemperandum est vt vt poteris.* Age ergo, iugo collum submittendum est, velim, nolim. Quin tamen adhuc manum admouerim, retraxerunt molestissimæ occupationes cœnobij. Verùm vt vigilantior, & attentior ad opus accingar, vigiliæ antelucanæ mihi, tua bona venia, anteuertendæ erunt altera adhuc hora supra datam dimidiam. Hanc enixè exquiro, ne quæso deneges, & vale.

Epistola diei quintæ Decembris.

DE postremò ad me datis salutaribus litteris tuis ingentes gratias ago: nihil mihi salutarius illis, nihil quod bonum animum erga me tuum, meamque in spirituali profectu desidiam conuincat magis. Tu me consiliis sanctissimis, monitisque grauissimis ad solidam sanctimoniam instimulas; ego verò quotidie appareo verbosior, quotidie immitior, & minùs pru-

Digitized by Google

dens. Non ita multò ante hos dies ſororem quamdam dum corriperem, æquiùs corripienda ipſa fui, eo quod acerbè, incongruè, dum recrearentur animi, adſtantibus nonnullis ſociarum, & non ſine calore fecerim. Ita propenſiùs in crebra peccata incido. Tu mihi quæſo condonari tot crimina à Deo poſcito, à quo mirum eſt vitam mihi perfidæ tamdiu prorogari. Quid ipſa ſim, quidve poſſim, ſole clarius comprobauit lapſus iſte meus: peccatum enim ſum, & peccatorum opifex; ſed ita me adiuuet cœleſte Numen, oculatior inuigilabo poſtmodùm ipſa mihi.

Scito curam, & pædagogiam nouitiarum in humeros recidiſſe meos. Inſeruiam ego quidem, promouebit ſupernis auxiliis Deus. Ego operam iſtam in Deiparam Matrem audacter reieci, ſponſas efformet illa dignas Deo, dignas quoque parente, & paſtore ouicularum Ordinis noſtri. Pro ſuſcepto pondere abdoleſcentularum, velim te aſſentiente carnis afflictionem aliquam denuò ſuſcipere. Si placet bis ſuprà conſuetum in hebdomada corpus meum affligam cingulo cilicino, quod eſt meæ militiæ cingulum; & armatura præſtantiſſima. Vale.

ADDITIONES.

In eius manuſcriptis reperiuntur hæc pauca extracta de meditationibus ſui receſſus, ſeu ſolitudinis huius anni; omittitur tamen repetitio eorum, quæ vel communia ſunt, vel alibi ſæpiùs expreſſa.

Filius Dei deſcendit in has infimas terras profligare ſuperbiam, & inſtituere Regnum humilitatis: humilitas enim eſt „ thronus Dei, & locus delitiarum ſuarum. Quidni depri„ matur homo quando Filius Dei vermem, & hominem ſe „ nuncupet? Si cupis à Deo exaltari, te ipſum deprime.

Beati Pauperes ſpiritu, ideſt captiuantes intellectum ſuum, „ nihil proprio iudicio, nihil propriæ Voluntati tribuentes, ab„ dicantes deſideria, æſtimationem hominum paruipendentes: iſtorum enim eſt Regnum cœlorum.

Inſpice (aiebat ſponſus) paupertatem, nuditatemque „ meam: expoliaui me in cruce omni conſolatione, honore, „ ſanguine, vita, dimiſique cuncta in manu Patris mei. Incli„ na tu quoque cor tuum ad hanc nuditatem: id ego cùm in

anima

Digitized by Google

„ anima mea feciſſem, ille me ſecum cruci affixit, ſtatuitque „ ſeipſum pro mea pingui hæreditate.

Serò cùm digitum intingerem aqua benedicta, dicens, *Aſ-* „ *perges me hyſſopo*; protinus lota fuit anima mea lauacro ſan- „ guinis agni, & eodem momento in Deum transfuſa. Ille me „ vſibus priuauit meis, eramque, penè dicerem, vita carens. „ Quid dico, vita carens? Immò eram vera vita viuens. Mul- „ ta ſecreta venerandæ Trinitatis manifeſtata fuere mihi, & „ tales operationes Dei paſſa ſum, vt repetere non valeam; ſi- „ lens tantummodo admirabar, & adorabam. Pater iterum „ adoptauit in filiam, Filius in ſponſam, & ambo introduxe- „ runt Spiritum ſanctum, qui per tres horas tam potentibus „ flammis amoris me aduſſit, vt omnem acceſſum ſomno præ- „ cluſerint. Eram velut cerua anhelans vulnere, & languens „ amore Dei mei optimi, ſpecioſiſſimi, dulciſſimi, caſtiſſimi, & „ præpotentis. His languoribus non ſuffecit longitudo noctis, „ in totam diem poſteram prolati ſunt.

Ego (dicebat ſponſus) ab incarnatione mea legem Patris „ mei volui, & geſſi in medio cordis mei, extitique obediens „ vſque ad mortem: cibus quoque meus fuit facere voluntа- „ tem Patris mei, cui placebam ſemper, promptè, ſimpliciter, „ amanter, perfectè, & cum perſeuerantia, etiam inter crude- „ liſſima tormenta, & aſperrimos dolores, attendens non quid „ paterer, ſed quomodo Patri factus holocauſtum placerem. „ Moriatur pariter voluntas tua in voluntate Patris, depone „ apud eum omnia tua, vtatur ille arbitriis de te ſuis. Dic; „ Iam nolo viuere, aut reſpirare niſi pro cœleſti ſponſo, qui „ mihi eſt ſponſus ſanguinum. Chriſtus dedit nobis præcep- „ tum nouum, vt diligamus inuicem, ſicut dilexit nos. Men- „ ſura autem dilectionis ſuæ fuit, poſuiſſe animam pro ouibus „ ſuis. Debeo igitur ipſa meam ſimiliter tradere pro ouibus mi- „ hi à Deo demandatis; corpus debeo obſequiis, cor dilectio- „ ni, ſpiritum ſuffragio precum. Hic diuinus Paſtor ſe dat in „ cibum ſubpaſtoribus ſuis, vt illis concorporatus oues ipſe re- „ gat, factus pes, oculus, manus ſubpaſtorum ſuorum.

Amor diuinus in me progenuit propoſita iſta, aliaque non „ pauca: illa mihi incumbit alere, tanquam partus Paſſionis „ ſuæ. Et quia vult immutabilia eſſe, atque æterna, mihi

„ conuenit in actus ſuos deducere, & toto vitæ curſu ſer-
„ uare.

M. DC. XXXVIII.

Quæ ſpectant ad annum 1638. pariter colligentur ex paucis notulis eiuſdem anni, conſcriptis manu dictæ ſeruæ Dei, hoc modo.

ILluſtria, & nouis beneficiis proficua extitere hoc anno feſta Paſchalia: coniunctim, & ſtrictè referam. Sponſus intuens characteres ſuos aliquali fuligine obliuionis obnubilatos in corde ſponſæ, primò non dimiſit illam impunitam, dein miſeratus gementis, priſtinam illis claritatem reſtituit pigmento ſanguinis ſui, lineamenta litterarum reparans digito proprio, cuius ſummum frequenter intingebat in plaga lateris ſui, vti propè ſolent ſcribentes ſummum calami de atramentario intingere atramento; contulitque ea actione non modica, neque exigua dona ſpiritus ſui. In alia ſynaxi deaurauit eoſdem characteres impoſitione cordis ſui, quo velut ſigillo contectos reliquit, ne vnquam vllam paterentur læſionem ab extra. Spiritum itidem feruoris aliàs ſuſcitauit communitate gaudiorum, quæ quondam Beatiſſima Virgo poſt diutinos fletus,& languores hauſerat de reſurrectione filij ſui: & hoc caſu anima ſponſæ propter extraordinariam ſuauitatem liquefacta eſt. Præter hæc admiſſa fuit cum tribus fœminis olim ſectatricibus Chriſti „ ad oſcula ſpiritualia pedum eiuſdem rediuiui. Oſculo, inquit, „ hærebam tam ambitioſo, vt inde diuelli minimè poſſem, „ eramque inſtar infantulæ ſugentis, & ſtringentis vbera ge„ tricis. Grandi hauſtu, & pluſquam ad plenitudinem pota„ bam ambroſiam amoris. Videbar tota oppleta balſamo, & „ balſami ſuaueolentia tota redolere. Denique anima mea „ propter amoris dulcedinem tota in dulciſſimum liquorem „ abiit. Alio itidem die iungendo cor tuum corculo meo, fir„ maſti in me,Deus,amorem tuum ardentiſſimum, eoque fa„ uore non contentus aperuiſti pectus tuum, & tuis præcordiis „ obuoluiſti corculum meum ſignatum charactere tuo, prope„ modum vt ſolent nutrices paruulos faſciis inuoluere: nam & „ me infantulam vocabas, quam in cruce genueras gratiæ vi„ tali.

Audiamus

Audiamus pariter repetentem ea, quæ fuerunt ſolitudinis huius anni.

Non expectatis diebus finitimis ſeceſſui meo, longè antea „ alliciebar ad ſolitudinem ea voce: Ducam te in ſolitudinem, „ ibi me intelliges corde ad cor loquentem. Præeunte verò „ ſpiritu, ac magiſterio ſponſi mei, erat illis diebus oratio mea „ & facilior, & tranquillior. Quo autem propiores facti ſunt „ dies illi, in quibus ſolitaria cum ſolo Deo congrederer, mi- „ rificè dilatata eſt cordis mei lætitia, non aliter, quàm amicus „ afflictus de longinqua amici abſentia lenitur nuncio redeun- „ tis, & exultat præſente. Quidni verò te toto corde non de- „ ſiderem, non diligam, non amplectar ſolitudo dulcis, ſoli- „ tudo quieta, pacis amatrix, fomes religionis, magiſtra ſa- „ pientiæ, & mentis diuinæ interpres? Congreſſus tuus non „ ſuadet dulcia ſenſibus, non vana, non oſtentationes ſæculi, „ non fluxas vitæ voluptates: ſuadet cruces, ſuadet amare „ contemptus, contemnere humanas delicias; delicias illas „ ſequi ſuadet, quas ferunt paupertas, & anguſtiæ. Tu nau- „ ſeam paris rerum terreſtrium, & incolas tuos lacte, manna- „ que cœleſti enutris. O anima lugens in hac valle miſeria- „ rum, quid non guſtu caperis huius religioſæ ſolitudinis?

Affectus, & documenta.

„ EXtraxiſti me, Domine Deus, de nihilo; & quemadmo- „ dum gallina calore pectoris, alarumque ſuarum pullum „ excludit de ouo, ita bonitas tua calore charitatis tuæ me in „ lucem eduxit, & paſcit in area huius mundi, donec dederis „ æterna gloria tua in cœlis perfrui. Annon ideò æquiſſimum „ eſt me ſemper foueri calore amoris tui, & contegi alis tuæ „ prouidentiæ? Iam de me nolo animali vita viuere, ſed vita „ gratiæ, vita virtutum, vita Dei: Dei, inquam, hominis, quem „ comitari debeo, vt pulli gallinam.

Diuitiæ benignitatis tuæ, Domine, effundunt ſe ad omnes, „ qui mundo corde ad te accedunt. Tu me ita alloquebaris: „ Ego ſum Deus cordis tui, quoniam illud poſſideo. Deus ſum „ animæ tuæ, quæ verſa eſt mihi in regnum: Deus ſpiritus tui, „ quia eum pro libito moderor vnitum meo.

Digitized by Google

Inſtrumenta Paſſionis Chriſti ſunt pretioſa monilia, quibus „ille inſtruit ſponſas ſuas; de clauis efformans annulos, de co- „rona ſpinea ſertum, de funibus ac flagellis, torques & bra- „chialia, & de arundine ſceptrum: crucem vertit in lectum, „ludibria in gloriam, dolores in eſcam. O Domine talibus „monilibus ornes me.

Nuditatem animi, & omnimodam paupertatem doces, Do- „mine, in academia tua; quidni hanc lectionem obaudiam, & „ſequar? Volo tecum pauper eſſe corpore, corde, & ſpiritu: „ſilens, & ſine queſtu perferam ſubtrahi mihi commoda cor- „poris; inops amicorum, & æſtimationis non dolebo; inho- „norata gloriabor, lætabor deſpecta, & plaudam in egeſtate „cœleſtium conſolationum, eo penitus contenta, quod diui- „na prouidentia conſtituet.

Quæ hic deſiderantur de diuinis communicationibus, & de virtutum progreſſu vſque ad annum 1644. vel chartis commendata non ſunt (tota namque res oretenus referebatur Antiſtiti, aut ab eo delegatis; vel certè longo tractu temporis dilapſa ſunt. Æquabilis tamen vbique, & inuiolata permanſit eius in omni bono conſtantia, priſca cum Deo familiaritas, illapſus diuini, magnificæ cœleſtium donorum elargitiones, & patrocinium. Serua Dei non eſt paſſa langueſcere concepta ſtudia virtutum, viuendi rationem, & bene gerendi monaſterij diligentiam; vnde tutò inferre poſſumus, non mediocres extitiſſe huius temporis, ac ſilentij profectus. Nonnihil etiam luminis, atque certitudinis afferent, quæ breuiſſimè perſtrinximus libro primo, à capite vigeſimoquarto vſque ad caput 28. In hunc tamen locum veniant epiſtolæ duæ miſſæ per hos annos ad Priorem Sancti Ambroſij Melodunenſis, in quem ab Archiepiſcopo traducta fuit, recedente Syllerio, cura Monaſterij.

Epiſtola prima ad Priorem Sancti Ambroſij.

REx noſter inter diuitias inops, & in inopia diues, ditet donis ſuis, & ipſo Regno cœlorum eos qui ſunt verè pauperes ſpiritu. Mi Deus! quis dignè repetat dogmata à magiſtro tradita ſeruulæ ſuæ extremis hiſce diebus? O ſaltem mihi concedatur aliquod eorum prælibare, quorum Patrem meum aliquando

quando meminiſſe iuuet. Dicamus ergo aliquid de animi nuditate. Beati Pauperes ſpiritu, ij nimirum, qui animo forti extremum vale dixerunt humanis rationibus; quos non vexat honoris libido, non ſpes gloriæ, non corporis commoda, fugaceſve diuitiæ; quos non ipſa ſenſibilis delectatio ſpiritus, aut bonæ vitæ ſplendor tangit, nec mortis, aut vitæ cura, qui tanquam alieni à ſeipſis propenſiones amoris proprij extinxerunt; quos denique nulla ſolatia collecta de humanis, ideſt de inaniſſimis rebus, alliciunt: ij verè, & ſine controuerſia ſunt beati. Quare? quia illos poſſidet Deus, & ipſi Deum; eo pleniores Deo, quo magis vacui ſeipſis. Et quoniam expoliarunt ſe omni ſtudio, & affectu rerum caducarum, ideò Dominus induit illos inſigniori veſtimento gratiæ ſuæ.

Scito autem non in ſola poſſeſſione Regni cœleſtis poſitam eſſe omnem animæ beatitudinem. Qui fruitur beneuolentia, præſentia, complexibus, & amoribus ſponſi, beatus etiam eſt. Quæres qua, & quali beatitudine? Anima non eam poſſidens non comprehendit; anima poſſidens non ſatis explicat. Denudemus animas noſtras, ſinamus in nobis prævalere nudum Dei amorem, tunc fruemur beatitudine dilecti noſtri, qui nuditatem tantoperè dilexit, vt nudus naſceretur in ſtabulo, nudus moreretur in cruce, paſſus vel ipſa cute, ſanguine, ac vita exſpoliari, vt aliquando poſſideret corda noſtra. Vale.

Epiſtola ſecunda ad eumdem.

VIuat Ieſus in cordibus noſtris, qui moriens ſuo nos ſanguine genuit, & quàm ſit fortis amor, morte ſua probauit. Percelebre extitit hoc anno ſolitudinis meæ feſtum Beati Simeonis Senis, in cuius diei ſynaxi Salutare meum, appoſito corde ſuo ſacratiſſimo, renouauit in me characteres nominis ſui, tibi non ignoti. O vim! ô inuenta diuini amoris! Propè exitum ſolitudinis meæ hæſitabam anceps, quamnam de virtutibus præ aliis complecterer, complexam in annum tenerem, & tenens placerem magis Deo meo; eramque conſulens, quid maximè hac in re facto opus eſſet. Sed Dominus aliquid maius, & inexpectatum cogitauit, & fecit per nouam impreſſionem nominis ſui. Propediem cognitum tibi faciam quicquid

eſt

eſt de hac impreſſione ; nam craſtina erit meta ſolitudinis meæ, meta quidem mihi parum grata, quoniam inuita ad eam accedo.

ADDITIONES.

Ex hac recenti litterarum impreſſione ſtruxit ſponſa ſibi nouam regulam futuræ vitæ, promendo de quauis littera præceptum alicuius virtutis. An id fuerit ſuo eius marte, an verò de ſuperiori dictamine, affirmare non auſim, licèt cum impreſſione litterarum explicationem potiùs factam à ſponſo putauerim. Ego nudè ſcriptam nudè tranſcribo.

I Indigniſſima es omnium amore, ac honore ; indigniſſima quoque gratia Dei : talem te primo quoque tempore credas.

E Expurga actus tuos omnes impura lue ſiniſtræ intentionis.

S Subiice voluntatem, iudiciumque tuum rerum euentis à Deo præſtitutis.

V Vacuum fac ſpiritum tuum fæce rerum conditarum, vt ſis verè pauper ſpiritu.

S Sancta ſis mente, locutione, & operatione, conſcientiam gerens angelicam.

C Charitas tua prodeat de corde non ficto ad omnes.

H Hoſtia ſis viuens immolanda Deo viuenti.

R Regula inſuper eſto vitalis exempli, facto priùs docens, quàm præcepto.

I Infantula efficiaris, facilè Deo ductilis, innocens, & mente integerrima.

S Sileas inter homines, vt cum Deo viuas ſolitaria.

T Tranquillo ſpiritu, & anima agas quicquid agas.

V Vigilem oportet te eſſe, proculque abdicare omnem pigritiam, & ſocordiam.

S Simpliciter, ſolicitè, & recta ſemper via ad ſummum Deum tendito.

N Nuda ſit anima tua coram Deo, & à rebus creatis defæcata.

A Ardeas omni tempore amore Dei puriſſimo.

Zelo

Z Zelo etiam gloriæ eius, & obſeruantiæ regularum tuarum.

A Actuoſa valde, & operoſa aliquid ſemper molire dignum Deo.

R Rigidior aduerſus teipſam, ſenſibus dulcia deuita, ſelige aſperiora.

E Expecta in cunctis Deum cum magna ſpe, ſiue res ſint faciles, ſiue difficiles.

N Nobiliter viues, ſi filia Dei cùm ſis, à Patria dignitate minimè degeneraueris.

V Vigilias die, ac nocte agito ſuper te: oculos aliò non flectas, niſi vt Deum depreceris.

S Sobrietas in te eluceat duplex, animi, qua deſideria; corporis, qua ſenſus tuos coerceas.

Et hæc ſunt eius anni, ac ſolitudinis propoſita ſeruanda. Redeamus ad epiſtolam.

Solitudo plena mihi extitit commotionibus ſanctis, atque concitationibus, ſuſcitatis ab inſolita vi ſacri amoris, & quotidianis Dei operationibus. Nulla non die immerſit cor meum in Oceano dulcedinis ſuæ, miror non ſubmerſum, ac deperditum. Vbinam loci modò ſit, non inuenio; puto raptum euolaſſe alis deſideriorum ad amatorem ſuum Chriſtum. Rapiat ille animas noſtras in ſui contemplationem, iungatque nodo indiſſolubili bonitati ſuæ. Sanctificet in primis te Patrem meum dilectiſſimum, & perficiat vnum è dignis Paſtoribus, cui de vigili ouium cuſtodia præmia reddat æterna.

Additiones.

Sub calce epiſtolæ prædictas iterum litteras vertit in nomina florum, componitque ſertum quoddam virtutum, quibus exornari exorat Patrem ſuum; ita vt nomina florum Chriſto, virtutes autem ſupradicto Priori attribuantur, hoc modo:

De epiſtola.

INterea Domine Ieſu Chriſte floribus de deſerto tuo Nazareno veſtimentum eius condecora, iis nempe floribus, qui nil

minùs ſplendeant inter brumas hyemales, & imbrium exundationes, quàm lectiſſimi floſculi in grata veris temperie.

I Iacinthe cœlorum ſuauiſſime, perfunde Patrem cordis mei ſuaueolentia tuæ manſuetudinis.

E Eliotropium diuinum, erige mentem ipſius ad contemplànda, & agnoſcenda arcana diuinitatis tuæ. Erige orantem in magnam ſpem miſericordiæ tuæ.

S Sol Iuſtitiæ, illuſtra animam eius benigno aſpectu faciei tuæ, & quicquid iuſto deſiderio expetit, placidus ac potens effice, vt tuo ſemper, & influxu, & aſpectu potiatur.

V Viola humilitatis, accommoda illi cor tuum, vt de propinquo audiat ſecreta tua, fiatque particeps tuæ ſanctitatis.

S Simplex, & candidum lilium, radices age, & commorare in corde ipſius, vbi velut in Regio, & honorifico throno ſedeas.

N Nobilis floſcule campi, Reges odore tuo trahens ad te, impartire Patri meo feruidam, & odoroſam virtutum operationem.

A Amabilis, ac cærulea iris, quæ deſpecta humo ſurſum ad aſtra ſurgis, doce eum abiecta, & deſpicatiſſima bona huius ſæculi pro nihilo habere, & tecum ad cœleſtia contendere.

Z Zelo tuo orna illum, ſitque inſtar purpureæ pœoniæ floreſcentis in ſolitudine gloriæ tuæ.

A Anemone amœna, ſit in eo ſimplicitas animi, non in obliquis viarum, ſed recto ad te itinere properantis.

R Roſa ſit ſemper æſtuans charitate in proximum.

E Expiret autem hæc muſcatula roſa ſuauem odorem tuæ placiditatis, ac patientiæ.

N Nobilis tulippa oculos varietate colorum recreans, largire Patri meo iucunditatem cordis, & mentis gaudium in Spiritu ſancto.

V Viridis, altaque cupreſſus, munias eum conſtantia in arduis; vireſcens omni tempore, creſcat ad ſumma faſtigia virtutum.

S Sit denique humilis margarita, boni incrementa trahens de

de abiectione sua, & tecum omnem humilitatem diligat.

Domine Iesu Christe, da illi quiescere in corde tuo, & inebria amore vsque ad satietatem. Vale.

De deserto nostræ solitudinis, pridie Sancti Donysij. Sed iam gressum faciamus ad præfatum annum 1644.

M. DC. XLIV.

Epistola diei duodecimæ mensis Decembris.

SVpplex, ac sollicita conuenio humanitatem tuam, Pater mi amantissime, suppetias exorans bonæ precationis, atque benedictionis tuæ. Mentis firmitate indigeo maiori, dum iusto Dei iudicio iactor æstu tempestatum turbulentiore, dumque vt contemptibilis, & sordida abiicior, conterorque vniuersorum pedibus. Transverberat scilicet me (non inficior) gladius iræ cœlestis, transacta crimina, & iniquas infidelitates meas vlciscentis, sed ego deteriora promereri me fateor, ferremque volenti animo, si ferendis par essem.

Perridiculum est, quod mihi superbia, ac philautia mea pro me inducere tentant, cauillantes nimirum, me non tam grauiter esse culpandam, fierique de musca elephantem; cæterùm me multo esse innocentiorem, & damnari indemnem. Verùm has ego syrenum cantiones despicio, aureſque cera huius solidissimæ veritatis obturo; longè deterior sum, quàm credant homines; si vt Deo, ita & hominibus patescerent mala acta mea, nemo non foret, apud quem summo non essem ludibrio, ac vituperationi. Denique ita claudo causam meam: si vna hac in re innoxia sum, in quammultis noxia sum? Quare sceleratiorem me profiteor suprà opinionem, fidemque hominum. Scito me Deum non alia sub specie modò contueri, quàm irati Iudicis, aut Patris, filiæ insolentias, & inobedientiam plectentis; inferoque huius meæ sententiæ æquitatem ex eo, quod qui pro eo Iudicis locum tenent, ita reuerà sentiant.

Maximo tamen mihi solatio, atque subsidio fuere posteriores litteræ tuæ: sic mecum temporariis epistolis age, insignis beneficentia est; inde enim non mediocres animo vires surgunt,

gunt, & consolatio. Verùm quantam putas ex illis hac vice consolationem perceperim ? Certè perpaucam, eò namque deueni, vt nulla capiar oblectatione : omne gaudium renuit anima mea, desipiunt mihi cuncta vitæ solatia. Non quod animo fracta ceciderim, neque ex diffidentia diuinæ misericordiæ, quæ etiam peccantes clementer amplectitur ; sed quia offensi Dei acerbissima inuasit me pœnitudo, & quia eiusdem occultò recessit præsentia ; quamobrem in iuges lacrymas liquescit cor meum, audeoque cum Propheta dolens dicere, *Lacryma mea panes mihi sunt die, ac nocte, dum inquiror, vbi est Deus tuus* ? Nusquam par mihi leuamen aduenit, quàm quum solitaria, strataque iaceo ad pedes sponsi mei crucifixi, inibi sordes cordis mei suspiriis, fletibusque detergens, & cuicumque lætitiæ vale dicens.

Dilectissime Pater, cui secretissima quæque cordis mei soleo apertissimè denudare, anne etiam tibi in mentem venerit aliquando, me fragiles humeros suppositi esse Præpositurae huius Monasterij, alia quapiam mente, quàm ad toleranda mala, & ad purgationem delictorum meorum ? Præpositurum (crede mihi, & fideliter crede) eo animo gero, vt in hac vita pro igne Purgatorij mihi sit, quo expientur piacula mea. At nihilominus auida imperij proclamor, & de ambitu per calumniam damnor. Bone Deus ! Annon id summæ est, & turpissimæ depressionis ? Non esse inter homines insulsiorem dementiam censuerim, quàm vt quæras ceruicibus tuis onus imponi, cuius sub pondere ipse capite pericliteris, cùm de tuis, alienisque actionibus ante ineuitabile Dei Tribunal à te, ac proprio nomine tuo, sit respondendum. Atterit me tremor, & horror quidam exsanguis quoties reducenda ad calculos, & coram supremo Iudice recogito peccata mea ; quid quæram aliena ferre ? Horum omnium testis est Deus, cui nota patescunt abscondita quæque, & sinus omnes cordis mei. Pro eius tamen amore toleranter, ac lætè cuncta perfero, & perferam.

Opinor autem, te colloquio Præpositarum nostrarum Parisiensis, ac Montargiensis didicisse, quo loco sint res huius domunculæ ; non sanè tam deiecto, ac malo, quandoquidem Deo duce Sorores non detorquentes à semitis rectis, religiosè per

per ſibi traditas leges incedant. Inſanus rumor veritatem exceſſit; exſufflauit autem illum, turbineſque omnes dicteriis, & cauillationibus ſuis querela quædam perturbati, ac perturbantis genij, cui nihil vnquam ſatis. Ea modò hinc abducta eſt, communi noſtræ tranquillitati, repoſitaque fuit pro ea alia humanior, ac religioſior, quæ à lateribus ſtet mihi pro conſultrice, monitrice, & nota cenſoria. Sapientiſſima Dei ſententia hæc eſt, cui ex mea quoque lubens ſubſcribo. Diffidatur omni ratione iudicio meo, vituperetur miniſterium meum, proſcribatur tanquam mollior, languidior, & fractior (vt aiunt, & tu ipſe ſcribis) forma gubernationis meæ, diuino permiſſu id omne fieri reor, & amplector.

Et hoc adhuc parum eſt. Etiam apud Antiſtitem noſtrum benigniſſimum, etiam apud temetipſum, collegaſque tuos nomini meo inſultatum eſt: neglectam, nullius pretij, & ſine nomine me eſſe contendunt. Quid ego? Conatus aduerſantium hilariter, & toto corde ſubeo, expoliari omni bono nomine nihili facio, & peſſimè pro peſſimis meis meritis tractari geſtio. Quid enim? deſpici deſpicio, dum me amet Deus, dum illius miſericordiam, & clementiam promerear.

Viſcera tuæ pietatis aperi tu mihi, Pater optime; placa tuis deprecationibus commotas in cœlo iras, & criminum indulgentiam concilia. Quandoquidem tamdiu me fruſtratam ſinis expectata collocutione tua, etiam, atque etiam rogo permittas vti frequentiùs ſolito flagellis, atque cilicio, ſaltem ad vſque Paſchalia feſta. Carnis caſtigatio erit cordi meo pro eo lenimine, quod olim de viuæ vocis oraculo tuo haurire conſueuerat. Vale.

M. DC. XLVI.

Epiſtola diei 18. *Octobris.*

Æqui, bonique, precor, conſulas, dilectiſſime Pater, dolentis filiæ querimoniam; rariorem apud nos copiam tui facis, quàm poſcant vota, incommodaque noſtra: mihi ſanè diuturnior hæc verbi tui ſubtractio ſupplicio eſt acerbiſſimo; & quod iniucundius eſt, ſpem aduentus tui expe-

ctantibus non addis vllam. Quæso præbe te viſendum ſemel priuſquàm in Italiam tranſmees. Quis ſciat, an aliàs iterum? Vita noſtra per fluxas deficit horas, & quo nos momento euocaturus ſit ſponſus, ignoramus. Inſidet memoriæ meæ poſt aliquot dies iſthæc cogitatio, vt vigil, & diſceſſui parata nullo non tempore inueniar. Percurri dies ſeceſſus mei magnis negotiis implicatos, præcipuè autem Reginæ noſtræ hoſpitio. Iter quippe habens ad regiam ſuam ſponte diuertit ad ædes noſtras, & intra penitiora Cœnobij ſedit inexpectata. Virgunculæ regias viſitationes haud expetimus, à diuinis animos longè auocant, & in diuerſa nimis diſcindunt. Singularem Auguſta illa Maieſtas erga nos, patrocinantemque beneuolentiam benigniſſimè demonſtrauit, meque miniſtram aſſumpſit prandij ſui. Sed, ô bone Deus, conſcientia tenuitatis meæ audaciam minuebat, cùm neque eiuſmodi, nec cuipiam alteri bonæ rei nata, idoneáve ſim. Væ mihi ſi vſque adeò exquiſitè, & ad perpendiculum ruſticitates, ineptiaſque meas penſitaret Maieſtas diuina, proculdubio nunquam ſub hoc indecorum, & ruinoſum tuguriolum meum interret pedem.

Nunc iam ad referenda ſeceſſus noſtri momenta progrediamur. Illic graui cum obiurgatione vitio mihi, & culpæ data fuere à Domino Deo, leui apparatu ſuſcepta res diuina, diuagationibus exagitata pietas, & frugis capiendæ detrimenta; cordis duritiesin collegas, correctiones amarulentæ, & inhumanæ repulſæ; nonnihil etiam ſubtilioris liuoris, dum me minùs altera diligi ſuſpicor. Oppoſita ſimul fuere ſenſuum effuſio, præceps loquacitas, leuis quædam mendacij, aut æquiuoci ſpecies, paſſiones exleges, animæ extollentia quædam, contemptionis fuga, abundantior philautia, & de humano plauſu plauſus, gloriaque nonnulla. O teterrimum actionum mearum compendium! Si quando Deus dederit, vberiùs tibi ad aurem illas enunciabo. Intereà ignoſcat ille mihi per obſecrationes tuas, emendari concedat, & propoſitis iucundis ſubſiſtere.

Poſt hæc idem Dominus honoranda mihi propoſuit diuini Numinis excelſa attributa, potentiam ſcilicet, ſapientiam, ac bonitatem: honoranda, inquam, non honorificis dumtaxat verbis, vel encomiis, ſed honeſtis, & condecoris actionibus.

Excoli

Excoli autem ſingula peculiari quodam genere virtutum docebat, nempe poteſtatem voluntaria humanæ rationis ſubiectione, legitima mandatorum obſeruantia, in cunctis pendere à Dei placitis, & eiuſmodi aliis actibus ad hanc rem opportunis. Ego pro me ad hæc duo reduxi, ideſt ad rigidam obſeruantiam religioſorum votorum, & ad perfectè obeundos inſtinctus omnes diuinæ voluntatis, quibus potenter regi à cœleſti Numine volo. Sapientiam Dei extollere didici, conſectando humilem, & lateſcentem Chriſti vitam, ignominioſamque iniuriarum tolerantiam, æquo item animo perferendo deiectiones meas, atque rerum omnium expoliationem. Bonitatem verò honeſtare feruenti in Deum charitate, intentionis puritate, gloriæ ſuæ ſtudio, iugi etiam malorum propter eum perpeſſione: verus enim amor patiendo, & patienter agendo comprobatur. Honorari inſuper didici tenera proximi dilectione, commiſeratione, ſique omnes nobis ipſis præferamus: denique ſi amorem, voluntatemque propriam extinguamus, vt vnicè in nobis viuat diuina bonitas.

Præter hæc cœleſtibus aliis quamplurimis irradiationibus præluxit mihi, inſtruxitque diuinis præceptis. Præcipua ſunt: *Viue Deo vbique præſens, viue Deo fidens, innixa eius potentiæ, ſapientiæ, & bonitati; impulſus gratiæ ipſius ne proteras. Regnet in te ſemper Deus ſolus, ſolus in te viuat ſemper.*

Vehementes attractiones in ſimplicem Dei aſpectum, vt in antiquioribus ſeceſſibus paſſa non ſum: cauſa non certò apparet, niſi me dicam ratiocinationibus, & viribus intelligentiæ meæ plus debito tribuiſſe, detracto voluntati cibo ſuo ſuauiſſimo, quo ſolet paſci, guſtando ſilenter Deo. Attamen tranquillam, & nullo caſu titubantem pacem firmiter poſſideo, potiori robore conſtantiæ in aduerſa quæque armata ſum. Nullius rei cupiditate, aut amore trahor, etiam habitis ſpoliari parata; quæ priùs ſectabar auidiùs, reiicio celer; nullius priuato vſu, aut dilectione implexum ſentio animum meum, nedum (rem magnam, & indicibilem dicam) nedum, inquam, tuiipſius, quem præ cæteris vnum poſt Deum diligo, & ſecundùm Deum diligere debeo, ac filiali reuerentia ſuſcipere vt Patrem, vt curatorem, vt ducèm, vt cuſtodem cœlitus mihi conſtitutum. Quid ampliùs dicam? Apathia maxima fruor;

quid

quid in hoc terrarum orbe velim, quid nolim, non mihi planè conſtat. In vnicum Deum, & ad eius leges implendas deſiderio feror, ad reliqua indifferens; quo rerum quarumcumque euentu cor meum aut vix, aut nihil commouetur, fidenter recubans inter vlnas diuinæ cuſtodiæ. Hactenus de præſenti ſtatu animæ meæ.

Habeo autem quod iudicio, conſilioque tuo ſubiiciam: perplexum quæſo nodum ſoluas, & quid eligendum ſit, ſtatue. Te arbitror memorari me pedetentim accedere ad metam officij, adminiſtrationiſque meæ; vereor iterum renunciari Præpoſita. Ne renuncier Præpoſita Monaſterij Anneſſienſis, pro ea, qua in me pollet authoritate, & ditione, paruo negotio ſoluet me hac cura. Moneat ſiquidem ſodales meas, ne me catalogo eligendarum inſcribant, aut fortè iam inſcriptam, vt expungant. Parce ſi exonerari quærito; puſillitatem meam plus aliis noui, ponderis grauitate deterreor. Verumtamen iſtud te inconſulto ipſi Præpoſitæ commendare auſa non ſum; pertimeſco enim occultas inſidias, & deceptiones ab amore mei proprio, qui agendis implicari non amat, ſed otiosè ſibi ſoli vacare, ſpecie præparationis ad mortem. Oro ancipitem dirigas, multiplicari quoque flagellorum, ciliciique vſum, mihi permittas, ſicut feci inter ſolitudinis dies, arbitrio quidem meo, cùm litteras, quas à te expetiueram, non acceperim. Vale.

Cætera vſque ad annum 1650. iacent ſepulta ſilentio: fortè crebriores habebimus in poſterum, aut litteras, aut relationes; quia hoc anno 1650. ſoluta regimine Monaſterij commodiùs ſibi potuit intendere.

M. DC. L.

Epiſtola diei 22. Nouembris.

DE noua Præpoſita, rerum vſu, fama, ſapientia, & omni virtutum genere percelebri, huic Monaſterio cœlitus prouiſum eſt. Eius placido aſſenſu acta, & euenta chariſſimæ ſolitudinis meæ ad te ponderanda mitto. Vt hoc officij genus liberè, & ad omnem occaſionem tecum præſtem, non illa tantummodò conniuet, ſed & amanter præcipit; neque enim

ad

ad te scriptas epistolas meas, aut legere, aut inspicere cupit curiosiùs, quamuis eius rei non me tæderet; nam maxima secum mihi inest animi fiducia. Ego ipsi altiùs recondita cordis mei penetralia fidenter pando, illa fideli silentio tegit. Neque enim eius ingenij sum, vt illos qui mihi Christi vice sunt, audeam de re quapiam celare, aut simulatione, aut tergiuersatione, aut dolo: sinceritatem, & simplicitatem amo. Delusisse verò hanc matrem magis incongruum foret, cùm apud eam offensiones, atque ægritudines animi mei facilem excusationem, atque commiserationem inueniant. Ea dumtaxat de re doleo, & conqueror, quòd me peccantem, neque terit obiurgationibus, neque plectit supplicio; immò & quæ sibi debentur honoris, ac reuerentiæ obsequia, mihi defert. Non te fugit quantoperè indigeam atteri castigationibus, & ne quid mihi impunitum dimittatur. Reuerà vtiliter mecum fit, vbi erratorum pœnas dare compellor; vereor etenim insolentiorem ex indulgentia elationem animi, & amori proprio escam pinguiorem.

Recensendo acta mea per annum, cognoui nondum penitus auulsas à me fibras superbiæ, ac philautiæ, indeque pullulasse inobedientiam, despectum contubernalium, obtrectationes, & iudicij mei prælationem. Vidi pariter prodiisse de radicibus aliis languorem, segnitiemque non paruam colendi Dei, incuriam tuendæ eius præsentiæ, cogitationes erraticas per vaga omnia, effrænes impetus passionum, intempestiuam loquacitatem, compluraque alia, quæ in lustratione anni superioris adnotaui. Ingemui, confessa sum, & lacrymarum riuulis abolere studui. Pupugerunt autem animum meum præ omnibus peculiaris nota ingrati animi, & pernicioſis exemplis consignata per me vitia, quibus sodales meas miserum in modum deprauaui. Ego enim, & præter me nemo; ego, inquam, lues Monasterij sola sum; ego scaturigo malorum omnium, quibus inficitur, aut inficiendus est religiosus iste conuentus, quia ritè imbuendis alumnis attentiùs non excubuerim. Nihilominus de his simul veniam à Deo referre, & iratum fletibus lenire perrexi, pergamque eo adiutore dum vixero, vt tandem ad meliora redeam.

Placato Deo, & accepta criminum absolutione, mitior ille,

Digitized by Google

& æquior paruit mihi, cœpitque munificus opes benignitatis ſuæ largè in pauperculam effundere. Poſtera namque die dum orarem, irruens potentiſſimo raptu, animulam ad ſe attraxit meam, & in ſe ſibi conformem continuit. Non ego illam vlteriùs agnoſcebam, nec eſſe exiſtimabam priſcam illam meam. Tam ille forti, abſolutoque dominatu totas eius facultates ſubdiderat ſibi, vt earum nulla mihi ad meditandum vllatenus ſubueniret, etſi ad meditandum parata priùs per itèratam lectionem venerim. Voluntas cœleſti iucunditate illecta, & à vi ſuperiore abrepta, etiam intelligentiæ partes ſecum abripuit. Ignoſce Pater, ſi hoc loco ſterilis eloquio obmuteſco; priuatos amoris vſus inter Deum, & dilectam, eandemque diligentem animam experientia ſapit, lingua tacet, potiſſimùm quum pertractantur in celſiſſimo vertice mentis, & in arce voluntatis ſimpliciſſimæ. Quod memini, & adhuc præſentio, aperiam. Defluxeram in Deum tota, nec vllæ mei apud me reliquiæ ſupererant: ceſſeram etenim diuinis arbitriis cum corpore mentem, voluntatem, amorem omnem, agendi item, ac patiendi libertatem. Quid vltra? ſpiritualia gaudia, dona, & quicquid eſt cœleſtium chariſmatum in Dei arbitriis ceſſeram. Tot verò è cœlis immiſſæ ſunt ſpecies communicationum, illapſuum, & impreſſionum, tot lumina mentem diuerberantia, tot incendia voluntatem inflammantia; denique ita vehementes extitere diuinæ bonitatis eruptiones, vt totis viribus colliqueſcens, & omni robore deſtituta, exclamare cogerer, *Contrahe, Domine, contrahe; retrahe ab indigna, retrahe vndas gratiæ, ac miſericordiæ tuæ, alioquin ſub oculis tuis iamiam morior.* Hac vice nihil quicquam dulcedinis in inferiores partes deuolutum eſt: omnia in altiſſimo cœlo mentis elata ſteterunt; quamplurima viribus ingenij ſublimiora vix ipſa pertingebat acies oculi ſpiritualis, vix capiebat animi eleuatior altitudo.

Memorabiliora, ſi placet, repetam. Reſtaurata fuit ſpecies imaginis Dei in anima, reformati in corde litterarum characteres, purpurati primùm ſanguine, quoniam ipſe ſponſus ſanguinum eſt, ſanguineas palmas patientiæ à ſponſa expetens; deinde illuſtrati auro puro charitatis ſuæ, qua ſemper, & actu elucere vult cuncta opera mea; firmatum denuò, celebratumque fuit ſacrum connubium Verbi, & animæ, quam inſigniuit

Digitized by Google

niuit coloribus, & cultu veſtitus ſui, nempe amore, & perpeſſione incultæ paupertatis, dolorum, & contemptionis, quibus ſponſa ſponſo erat conſimilis. Viciſſim ſponſus de ſponſa tulit humanas exuuias, ipſam ſe, rebuſque omnibus expoliando. Præter hæc præpotens, & ſempiterna Trinitas ea, quæ ab annis viginti, aut viginti & vno inchoauerat pietatis officia, per recentes impreſſiones, & communicationes proſecuta eſt: quam in centro animæ iam pridem poſuerat ſedem Regni ſui, eamdem modò repoſuit, fixitque in corde iſto ſtabilem, & nullo ſiniſtro incurſu mouendam. Ibi Pater throhum erexit omnipotentiæ ſuæ, Filius ſapientiæ, Spiritus Sanctus bonitati, benignitati, & dilectioni. Ibi Paracletus forti vinculo amoris puriſſimi ſponſum ſponſæ coniunxit, vt in paterna Regia cœlorum ius habeat cohabitandi cum Filio hærede ſibi deſponſato. Porrò pater animulam hanc tanquam amoris, ac deliciarum prolem in ſinu ſuo fouet, blanditurque dulciſſimè: vnde ſæpe, ac ſæpiùs perſonare audio auribus meis voces illas; *Vita mea abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Sponſus verò eandem quaſi feſtiuam agniculam in gremio ſuo geſtat, complectitur amantiſſimè, oſculatur ſuauiſſimè, alumnamque ſuam deſiderata alimonia lactis, ſanguinis, carniſque ſuæ in epulo Euchariſtico alit; modò veluti puellulam delicatulam diuino pectori admouet, & mammillis bonitatis, ac miſericordiæ lactat; modò vt caſtam ſponſam, quam deſponſauit in fide, iuſtitia, veritate, & miſericordia, ſibi iubet adhærere. Quid ego reliqua proſequar? Etiam ſplendidiſſimi ſolis figuram, vultumque induit, qui fugatis ab anima tenebris, eam cœleſtibus ſplendoribus illuſtrat. Nonnunquam inſtar ardentiſſimæ fornacis ignibus conſumit, & in nihilum redigit, vt diuinior inde reſurgam. Vno verbo omnia, fit ille via, veritas, & vita mea.

Adiici autem mihi tot bona æſtimo, ope ac ſingulari patrocinio Illius, quæ eſt mater pulchræ dilectionis; in quam ſpem, & amorem collocaui præcipuum, ſicut & in Cuſtodem Angelum, & in pios noſtri Ordinis Inſtitutores. Et hic eſto ſtatus ſolitudinis meæ, quem ſola æternitas coronabit. Ad hanc æternitatem ego ardentiſſimè ſuſpirans anhelo, vt illic perfectiſſimè, & ſine interruptione Deo ardeam.

Antequàm poſtremam manum epiſtolæ imponam, certiorem te volo de iis, quæ mihi facienda in ſeceſſu inſcripſi: in pauca contraho. Propoſitum, firmumque animo eſt ad nouitiarum incunabula, & elementa regredi, nec vlla in re tyrunculorum regulas violare; nihil potius habere, quàm vt nihili fiam; curæ, præſidio, imperiis, ac placitis Dei me totam dedere; cruces, atque contemptiones omnes non amare ſolùm, ſed peramanter amplecti; aſſiduis precibus opitulari iis, quos tanti redemit Filius Dei; & id omne faſtidire, quod Deus non eſt. Vale.

ADDITIONES.

His addi poſſunt, quæ ad iuuandam memoriam ſerua Dei ſibi in chartula ſepoſuerat, his verbis.

Te Deum meum, te vnicum Deum, te trinum, ac vnum „ Deum tota anima, ac mente veneror: te ſolum quocumque „ ratio tui amoris, ac honoris trahet, ex animo ſequar, & quæ „ in decurrentis anni ſolitudine, te reuelante facienda didici, „ te quoque ſuffragante, vt ſpero, conficere ſtatui. Ante om- „ nia, quam debeo gratiarum actionem bonitati tuæ offero, „ quod priuatæ, ſubiectæque vitæ conditione mihi per te vi- „ uere liceat, vt ſim ſine poteſtate in alias, & ſub aliena pote- „ ſtate, & imperio agam dies meos. Nihil à te benignius, aut „ illuſtrius, nihil iucundius mihi contigerit, quàm alienis vo- „ luntatibus famulari. Deinde iuſſiſti, vt ductui, comitatuique „ tuo cæca me committerem, & brachiis tuæ prouidentiæ in- „ fantula ſubniterer, vt nullo renuente faceres de me, per me, „ & in me quæcumque forent in animo, conſilióve tibi. En „ coram te exuo me meipſa, priuatiſque rebus meis; pleniſſi- „ mè omnia reddo arbitriis tuis, deſideria, affectus omnes, pro- „ penſiones, conſilia, guſtus, nauſeaſque ſpirituales, etiam „ bonarum virtutum exercitationes. En omnia mea in manu „ tua ſunt, vtere pro libito. Ego pedem non moueam, niſi quò „ internuntij voluntatis tuæ Superiores mei innuerint. Conſi- „ ſtam ſub eis tyro nouitia, indigna ſancto commilitonum con- „ tubernio; immò indignior, quàm me ſuſtineat tellus. Qua- „ re pro arctiori vitæ meæ religione hæc in annum venientem „ ſeruanda mihi promitto.

Deuoueo

Deuoueo Maieſtati tuæ omnem amorem, obedientiam, &
„ fidelem tuæ præſentiæ cultum: ne digitum quidem exten-
„ dam ad opus quodlibet, non impetrata priùs luce tui ſpiritus,
„ nec alium ob finem, quàm vt tibi, gloriæque tuæ ſit gra-
„ tum.

Quodcumque poſtulat charitas in proximum, ſtudiosè per-
„ ficiam, neminem non amabo toto corde, totiſque viſceri-
„ bus meis; cunctos magnipendam, de quoquam malè cogi-
„ tare, peruersè iudicare, ſiniſtrè interpretari, aut loqui de-
„ ſiſtam; vtque hoc agam ſollicitiùs, quemuis in terra degen-
„ tem recogitabo etiam quieſcere in ſinu Patris Cœleſtis, aut
„ in corde Chriſti mei. Ero ad ſingulos comis, placida, & of-
„ ficioſa; nihil eorum prætermittam, quæ poſita ſunt in alio-
„ rum obſequia, ſiue ſint ſermonis, ſiue operis, poſthabitis
„ etiam rationibus meis.

Efficiam, vt quod aliquo modo graue eſt, mihi graue non
„ ſit, patienter potiùs, & amanter perferam quicquid mole-
„ ſtum quiſpiam intulerit; præcipuo tamen amore, & ſubſi-
„ dio alacriori proſequar, quotquot mihi fuerint infenſiores,
„ qui me odio, aut contemptu magis inſectantur, aut vexant,
„ vt hoc pacto cum Saluatore meo reddam bona pro malis.

Pro me nihil habebo charius, quàm ab omnibus deſpici,
„ corripi, abiici, caſtigari, & longè ab omni conſortio able-
„ gari. Nihil apud me pretioſius erit humilitate, modeſtia,
„ paupertate, opprobriis, & interna, externaque malorum
„ perpeſſione. In eam curam maximè incumbam, ne qua in
„ me vigeat ſcintilla ardoris præcipitis, aut ſupinæ negligen-
„ tiæ. Obedientiam volo expeditam, ſimplicem, & accura-
„ tiſſimam. Fræno ſilentij compeſcam dicacitatem meam, ne
„ vlteriùs de labiis meis effluant verba, vel otioſa, vel exag-
„ geratione tumida; ſed magè vt meum ſilentium conſonet ſi-
„ lentio Pueri Ieſu, Matris eius, ac Beati Ioſeph.

M. DC. LI.

Epiſtola diei ſextæ Aprilis.

VIdi, legique, Reuerende Pater, epiſtolas Anneſſio allatas Matri noſtræ ſuper regreſſu meo in eam vrbem. Quæſiuit Mater, an me authore, aut flagitante? Nullatenus, dixi; fuiſſe quidem vno ab hinc anno expoſitam meam traductionem, ſed me reieciſſe rem omnem in aliena arbitria. Inſtitit illa, quid hac in re ipſa ſentiam? Reſpondi, ſententiam ne à me exquiras, ex me habeo nullam; quam feret authoritas maiorum, hanc placidiſſimè amplectar. Meis quoque in litteris adieci, mihi hic bene eſſe, nec grauatè ſociis meis, ſi æquè gratum, ac placitum fuerit Præſuli noſtro. Ego tam grandia diſpendia longiſſimi commeatus pro reductione mea non probarim, cùm ſim in omni loco frugiperda. Quamdiu me inutilem ferent cœnobij Mater, ac contubernales, non erit mihi ingrata ſtatio iſta, ad reparanda præſertim præterita, & publica delicta mea. Scito tamen nihil in me ita eſſe promptum, aut paratum, ac antiquos, primoſque lares conuerſionis meæ reuiſere, ſi id velit, iubeatque Præſul meus Epiſcopus Geneuæ. Alterutro iſtorum vertar cardine, bonum eſt. Vale.

Epiſtola diei vigeſimæquartæ Aprilis.

QVod ad te fuſiùs ſcribam, nihil eſt; dicto citiùs expedio me; ſpiritus vires acquiret eundo; nam euehi ad ſublimiora videor, & exploſis craſſis imaginibus purior, atque ſimplicior ſummo bono firmiùs cohærere. Aliquot antè diebus quàm celebraretur Paſcha, & aliquot item poſt, magnificentiſſima bonitas Dei eo me honore, & gratia dignata eſt, vt ipſe me, ego ipſum ampliſſimè poſſiderem. Iſthæc ſpecies poſſeſſionis antecelluit omnes antiquas, imis præcordiis fortiùs, atque profundiùs inſita. Nunc res omnis agitur in excelſa acie mentis per lumina, & ſpecies intellectuales, animam arctiſſimè alligantes obiecto ſuo, vt quaſi vitis ad palum clauiculis circumplexa, ab eo non tam facilè, nec celeriter (ſicut de more)

ad

Digitized by Google

ad inferiora descendat. Cæterùm stabili quiete, consuetaque pace potior, & facta sum vetus hospita plagarum Christi, cuius in nidulis placidè commoror, multis illic precibus Deo commendans, quos præ aliis diligo, quorum tu Princeps es. At tu eumdem deprecare, vt vita hominis viuere desinam, viuat autem in me vera vita Deus. Vale.

Epistola diei quintæ Iunij.

QVæ dicenda forent de corde tibi iamdudum cognito, Reuerende Pater, in horas opportuniores transmitto. Hoc verbo contentum te modò velim. Cor meum nihil vult quàm quod suprema Dei Maiestas velit. Quamuis autem hæc bonitas infinita crebris, & plusquam merear, iucundis visitationibus fidem beneuolentiæ suæ testatam faciat; attamen nonnihil commouit me formido cuiusdam non obscuri rumoris de committenda mihi prouincia, & administratione secundi Monasterij Anneſſienſis. Fateor nil mihi grauius esse hac mole, nullumque molestius iugum imponi collo meo. Egi autem multis, prævalidisque argumentis, vt ab ea spe, & expectatione Sorores desistant, reorque rationes meas iri iam comprobatas, alióque versos oculos eligentium; nam octo iam dies lapsi sunt, ex quo electiones factas oportuit. Imploro ego, obtestorque Deum Optimum Maximum, vt hoc grande flagellum auertat à capite meo, & à debilitate ingenij mei; sinat potiùs, vt est mihi optatissimum, residuos, & pauculos annos vitæ meæ consecrari fletibus, & pœnitentiæ. Mater nostra consuetas eulogias Spiritus sancti tibi defert pro me; ego enim nec habeo quicquam, nec quicquam habere volo præter Deum, qui mihi pro rebus omnibus est. Vale.

Epistola diei 18. *Septembris.*

DImittor in amatam solitudinem, optime Pater, eritque intra biduum progressio mea. Nolo te insciũm, vt euntem comiteris auspicio tuæ benedictionis, atque subsidio precum, sacrificiorumque tuorum, ad penitus eradenda vitia, peccataque mea, & vt renouer spiritu mentis meæ; insidet namque

Digitized by Google

namque animæ meæ desiderium istud duplex, cui tertium quoque addo, vt nempe mitigentur concitatæ flagitiis meis iræ cœlestes. Tantum mihi bonæ spei, aut boni euentus non polliceor, vt te habeam exceptorem, & iudicem culparum mearum; æquo id animo, & pœnitentiæ loco ferendum est; debetur ea merces delictis meis; præter quod recedendum est à propriis placitis, vbi aliter factum vult Deus. Precor vt ipsemet excernat, & absumat cunctas iniquitates animæ meæ, præstetque se lumen, ac ducem mihi in solitudine ista, comite Beata Virgine, ac Sancto Ioseph, & Angelo meo Custode, cui illud in primis commendo, vt te sæpe sæpius commonitum faciat orandi Dei pro me, dum Altaribus adstas. Seueriori profectò egeo castigatione scelerum meorum, sed Mater nostra parcissima est, ne dicam auara in mulctis etiam meritissimis; blandulè nimium, & assentatoriè fauet incolumitati meæ. Quid autem extimescit? Robustior sum, ac firmior, quàm vt succumbam. Verùm quoniam obedientia præponderat sacrificio, obediens omnem voluntatem meam Deo pro victima offero. Vale.

Epistola diei vigesimæ Octobris.

PRopitio Deo acta solitudinis meæ in pauca conferam; non enim æquè fidelis mihi memoria nunc extat, vt optarim. Ego illam velim fidam custodem, non rerum solummodò, sed & verborum, ne quid minùs veritati consonum, minusque comptum inter repetendas rationes meas de calamo elabatur.

Ex vetusto, vsitatoque more Dominus initium solitudinis sumpsit à quatuor extremis mortalium, & ad quatriduum perduxit. Exprobrauit primùm defeciſſe me à fideli, & grata benefactorum suorum recognitione, à sui aspectu, & à fruge ferenda. Acriùs institit, quòd mea incuria candens ille carbunculus Eucharisticus absque splendore delituerit contectus cineribus teporis mei, obtenebratus fumo humanorum affectuum, & congerie inanium cogitationum. Cogitationes quidem inopinanter, & me inscia in animum irrepsere, sed diutiùs ego confoui, dum de suo loco pellerent diuinas, totumque

Digitized by Google

que intellectus, & voluntatis campum præoccuparent; sicque in nihilum abiere expectati humilitatis, puritatis, cæterarumque virtutum fructus maiores. Quonam modo ego ab eiusmodi criminationibus expediſſem me? Irruit in me dolor atrociſſimus, ac dira pœnitentia; poſtmodùm culpas fluxu lacrymarum eluere conata ſum. Vtinam à genis meis nunquam areſcerent lacrymæ, quibus tandem quotidianæ labes, & inueterati habitus abolerentur: flagitioſorum enim omnium flagitioſiſſima ego ſum. Profectò ſi quemquam mortalium paribus beneficiis cumulaſſet Deus, abundantiores bonorum operum vſuras retuliſſet, quàm ab inertia mea. Fateri cogor, longiùs, quàm par eſt, ſontem me fert Deus longanimis.

Sed hæc ipſius eſt immenſa clementia, quæ miſericordiæ ſuæ limites pro me extraxit omnes. Quin etiam miſellulæ oſcula pacis tulit, pretioſas veſtes innocentiæ, & charitatis reſtituit, inſtruxitque monilibus fidei, ſpei, & fidelitatis, quibus ad cœleſtes nuptias verbi ornatior procederem, nuptiarum auſpice, ac præſide benigniſſimo Spiritu ſancto. Antiquam, & longæuo iure creationis, miſericordiæ, & amoris ſuam de me poſſeſſionem Diuina Trinitas denuò vindicauit, Diuinitatiſque, & amoris ſui priſca pignora repoſuit; illuxit irradiationibus variis, vniuit complexu chariſſimo, potentiſſimis lapſibus penetrauit medullas animæ, conformatam ſibi in ſe traduxit; extinctis reliquis, ſuccendit æſtuantia deſideria æternitatis, denique pertraxit ad ſe totam, facta interim mihi Magiſter, legiſlator, & boni conſilij author.

Accipe quadripartitam legem, quam diſcipulæ ſuæ poſt ſynaxim vna die tulit. Sedebat pro tribunali Rex, regio in apparatu; cohortem omnem facultatum famulantium animæ ad audientiam conuocauit, ſilentium, & attentionem ſummam conciliauit, & conuerti in ſe omnem obtutum præcepit. Tum ad me: *Audi*, inquit, *hodie præcepta mea, audi Regem, audi Dominum, audi Deum tuum; hæc ad te, & contra te pronuncio. Primò, emorere tuipſa tibi, vt mea vitâ viuas. Secundò, ſubſterni te decet, vt in humilitate tua altiùs ſurgat magnitudo mea. Tertiò, cede bonis omnibus, vt me ſolum ſola poſſideas. Quartò, abige de mente tua turmas alienarum cogitationum, vt in me Creatorem tuum vniuerſas colligas.* Efficientiam

cientiam non minorem dictis attulere verba hæc in animam, cui esse vult omnia Deus.

Ego ne mihi ipsi desim, in anni venientis pensum hæc tria mihi attexui. Perenne erit mihi studium æmulandi internam, externamque paupertatem Saluatoris, atque angustias, indiuiduas comites paupertatis. Sperni, atteri, proiici, gaudium erit haud commune. Patientiam autem parentem pacis exhibuisse, incomparanda voluptas. Vnde iam sentio me non esse animi ità tenelli ad repudia, nec ad incommoda adeò delicatuli: ingenium quoque sentio ad omnia tractabilius. Patienter adhuc hoc verbum legito, martyrem non gladio, sed amore me inscripsit Dominus, si voluntatem nempe, iudiciumque omne meum legibus Regularum, Superiorumque meorum in sacrificium sibi iugiter immolauero, vt sic in cunctis integrè perficiatur ipsius voluntas.

Audies à N. arcanorum meorum conscio, cui fidelissimo præsentem epistolam in manus tuas deferendam dedi, significatum mihi fuisse per litteras Præpositæ Monasterij Annessiensis de expectato reditu meo ad priscum illud meæ conuersionis habitaculum; fuisse tamen ex multorum dissuasionibus dilatum, ac diuinæ prouidentiæ arbitriis relictum. Intereà verò pro ea authoritate, quam vti Præses præfati Monasterij habet in me, imperat, ne manum subducam ab exarandis Dei in me operationibus tibi notis, asserens ita fuisse iam pridem à tribus anterioribus Præpositis decretum, seque istud minimè ex vana curiositate sectari, sed veteres Præpositas sequi authores: quamobrem celerem paro manum implendis iussionibus. Vale.

Additiones.

Epistolæ non erit superfluum contexere quædam documenta excerpta ab eadem solitudine, & notata in manuscriptis, videlicet.

Ne quando extinguatur, aut tepescat in te ardor diuinæ „ dilectionis, appone ligna frequens. Actus diuini amoris „ frequentissimè redeuntes, ij sunt ligna, ij esca, qua enutri- „ tur, ac fouetur ignis iste. Quicquid, etiamsi optimum, ex-

petas,

„ petas, aut expectes, patiens, atque longanimis, remota om-
„ ni perturbatione expecta. Reseca, & longissimè ablega de-
„ sideria vana. Periculosa valde est, & magnum sæpe habet
„ casum priuata opinio: philautia etiam multa insana docet,
„ & artes habet fraudulentas; submoue te ab vtraque, & mag-
„ nas errorum causas sustolles. Iam non est tibi integrum,
„ etiamsi bene sentias, arbitriis inhærere tuis; manibus, pe-
„ dibusque ito in sententias, & sub leges maiorum tuorum, &
„ martyrio amoris fies illustris. Frustra gloriam martyrij arro-
„ gat sibi, qui nondum rescidit propriam voluntatem, pro-
„ propriumque iudicium. Cor vacuum terrenis affectibus est
„ Deo præsepe, sedes, lectulus, paradisus. Instrumenta Pas-
„ sionis sic gerito: claui sint tria vota, Cœnobium crux,
„ lancea sagittæ amoris, spongia toleratio amaritudinis, coro-
„ na amor despicientiæ. Ne quando accidat descisscere ab amo-
„ re purissimo Dei, sit cor tuum vti lilium sextifolium valla-
„ tum spinis timoris Dei: sex folia sint humilitas, obedientia,
„ puritas intentionis, silentium, sensuum mortificatio, & iu-
„ gis oratio; hæc enim fidelitatem amoris tuentur. Omne au-
„ tem cor bene dispositum, continendi Dei capax est. O bo-
„ ne Deus, tu es cor animæ meæ, & anima cordis mei, hîc
„ semper esto, hîc sede, hîc regna: tu enim omne bonum es.
Hæc illa.

Exequamur extrema huius anni narratione facti duplicis, quod serua Dei recitat his verbis. *Percurrebam crudelia tormenta Dominicæ Passionis, fleteramque intuens hinc Saluatorem gemiscentem sub pondere crucis, illinc verò pietatem bonæ fœminæ Veronicæ, quæ prosiliens mediam inter turbam satellitum, vt lino extergeret cruorem manantem de toto vultu Saluatoris, vnà cum cruore venerandam effigiem diuini vultus, non manu, aut arte humana pictam, sed miro modo expressam in candido velo exportauit. Hic ego admirans cœleste prodigium gratulabar piæ fœminæ de accepta gratia. Hæc cogitanti mihi accurrit sponsus, dixitque, æquanimis esto: quod superioribus temporibus feci, faciam & istis. Hac gratia potieris cùm in synaxi ad tuos castos complexus venero. Para velum de corde tuo, & venienti mihi quasi alteræ Veronicæ occurras. Properaui ego cor, & animam, qua potui maiori humilitate, ac reuerentia apparare, aduenienque sponsus rectà cor petiit, & cordi superextendens faciem suam plagosam, & sanguinolen-*

tam, illic ſimulachrum vultus ſui impreſſit veluti ſigillum in cera, ſicque ſignatum eſt ſuper me lumen vultus tui, Domine. Inde accepi plurimùm voluptatis, ſed non minorem voluptate dolorem propter grauem violentiam imprimentis, graueque onus impreſſionis. Per dies multos viuax illa ſpecies figuræ inflictæ cordi meo præſens apparebat oculis meis, vnde etiamnum vberes fructus percipio: nam & in me gero monumentum æternum ſponſi patientis, & eius paſſioni magis afficior, & imaginem Dei mei fœdare erubeſco.

Altera itidem nocte collaudabam fœlix, auguſtumque regnum ſapientiſſimi Regis Ludouici; non tam illud quo piè, ſanctèque rexit populos ſuos, quàm illud felicius, quo ſuprà ſe, & in ſe ſemper regnare voluit Regem Regum Ieſum Chriſtum Filium Dei. Exarſit illicò ex ea laudatione igniculus deſiderij, imò & vehemens cupiditas eiuſdem in me Regni, nec vanè; acceſſit enim ſubitò Ieſus Chriſtus Rex, Regnumque amoris ſui ſtabilimit in corde meo, permultùm ardoris adiiciens antiquæ meæ dilectioni erga eum. Impulit autem me, vt frequenter ipſum eo nomine compellarem, alta quoque voce terque quaterque proferrem; Viuat Rex Ieſus Nazarenus. Vix protuli, & ſenſi animam meam perfuſam ad binas horas indicibili fragrantia eius dulciſſimi nominis, atque conſperſam incomparanda ſuauitate. Quòdque amplius eſt, ſenſus, fructuſque huius ſacratiſſimi nominis in me ad biduum, & triduum propagatus eſt. Viuat ergo, & regnet in me Ieſus ad perpetuas æternitates. Amen.

M. DC. LII.

Epiſtola diei 7. Januarij.

NIhil eſt, Reuerende Pater, quod non dicam auidiùs, ſed nec tantoperè ſuſpiret anima mea, quàm Ieſum Regem meum, Ieſum amorem meum, Ieſum ſolas delicias meas. Inueſtiat ille me crebrò vnico amictu gratiæ, & amoris ſui: cæterùm expoliet re quacumqne, vel ipſa vita, vt viuat in me ipſe ſolus. Has deſideriorum faces ſubiicit mihi ſponſus meus, vultque me hoc potiſſimùm tempore æmulam eſſe infantiæ, atque humilitatis ſuæ, cuius doctiſſima cathedra eſt in præſepio. Vale.

Epiſtola diei 14. *Aprilis.*

QVod tantoperè caremus litteris tuis, coniicit nos in varias ſuſpiciones, Reuerende Pater: quæſumus ne conficiamur illarum inedia. Salutat te Mater noſtra, ſalutant te Sorores meæ: magnis illæ progreſſionibus properant ad Dominum, & Mater ipſa omni ſtudio, ac officio ſuſtinet integram obſeruantiam Regularum noſtrarum. Vtinam tamdiu ſoſpitem nobis ſeruet Deus Optimus Maximus, donec Monaſterium floreſcat, & ſtabiliatur omni bono. Maximo mihi ſolatio ſunt eius Matris charitas ſingularis, & cauti regiminis ratio. Ego illam vnicè diligo, nihilque habeo ita in interiori mente retruſum, quin liberè, atque libenter ipſi exponam. Abundo quidem adhuc philautia multa, ſed & hanc exuere plurimùm laboro, eoque confero ingenium meum totum, curari hac peſte percupiens, & ea vita viuere, quam Naturæ Author, nunquam malè ſana natura inſtituit. Ita me ille adiuuet: ita mihi ſuffragentur ſupplicationes ad Deum pro me tuæ. Vale.

ADDITIONES.

Memoratu dignum eſt, quod alibi eadem ſcribit hoc anno de reddita ſibi mirum in modum incolumitate, tum corporis, tum animæ in prouigilo ſolemnitatis corporis Chriſti: eius ſunt ferè hæc verba: *Febris continua octo dierum eneruauerat me, & in commune valetudinarium detruſerat: iamque ſollicita de diſceſſu meo, & generali accuſatione peccatorum meorum expiata, pro ea, quæ reſtabat vitæ portiuncula, prouideri de ſacro Viatico curaui. Vix accepi delatum, & in puncto temporis me totam animo, & corpore immutatam perſenſi. Arbitrari mutationem ortam à natura, haud eſt mihi licitum: à vitali cibo Euchariſtico manaſſe profiteor; etenim ſtatim conualui de febri, & ſenſi non ſolùm inſtauratas reliquias virium mearum, ſed & confirmatum, immò & adauctum priſtinum robur corporis, animam quoque peculiari ſuo modo innouatam. Velut infans recenter natus, aut aquila abiectis veteribus, nouiſque veſtita plumis parui in oculis meis, necnon altera vita viuere, ſcilicet vt poſtmodùm non ex antiqua conſuetudine, ſed vita gratiæ, ac virtutum viuerem.* Hæc illa.

Epiſtola diei 20. Octobris.

ANnuum curriculum luſtrationis meæ Dei ope, ſedatè, & tranquilliùs ſolito emenſa ſum. Inoleuiſſe in me perſpexi quamdam oculorum incontinentiam, & cogitationum licentiam, plus æquo diffluentem ad extra, quodam ſub fuco charitatis. Ex quo manauit in me leuior attentio diuinæ hymnodiæ, contuendo Deo, decoro ſermonis, moderationi affectuum, aliiſque religioſis officiis, atque profectibus. Verumtamen proſpero mihi numine res bene ceſſit; nam lacrymis, veniæ, ac reconciliationi locus relictus eſt, & ego priſtina Sacramentorum emolumenta percepi, ac cœleſtia benefacta Dei.

Pluſcula habeo ad te, & ſingularia diuini operis ſecreta. Sed ſcripturæ parco, magè ſecreto aurium tuarum (ſi quando id cœlum tulerit) quàm chartæ fidens. Non enim viarum diſcriminibus hoc loco committenda puto, quæ Deo dumtaxat, & Directori ab eo conſtituto innotuiſſe iuuat. Id ante omnia vnum generatim referam. Ea quæ ſolitudinem ſunt conſecuta vſque adeò tenuis, ac reconditi ſenſus extitiſſe, vt licèt aſſequar intelligentia, ſtylo tamen non ſequar. Poſthabitis cæteris vnam inſector ſpiritus nuditatem, & interiorem mentis ſolitudinem, vbi in oculis, & ad aures Regis mei feliciter contingat ſolam cum ſolo verſari. Regnat ille quidem, vt ſentio, in famula ſua authoritate, & libera imperij gloria, atque vnicus regnat; animam verò, ſi qua adhuc aliena lege deſideriorum, aut affectionum tenetur, diſſoluendo in libertatem vendicat, & ſibi, qui Magiſter eius, legiſlator, & à conſiliis eſt, dirigendam addicit. Pater in animæ Palatio ſedem ſibi hoſpitio fixit: Filius hoſpitiolum delegit in corde cum aſſidente ſibi amore paupertatis, dolorum, & contemptuum. Paracletus nidum poſuit in vertice voluntatis. Omnia mea curæ Dei inſident; mihi ſimpliciter Deo adhæreſcere. Didici experimento multiplici, quàm latè pateat eius prouidentia, curatio, ac poteſtas; propterea in eius brachia tota procumbo, non ſecus ac in vlnis patriis infantulus, cui non ſubſunt vires, ſed nec ſtudium, aut labor vllus. Sit benigniſſimo, atque omnipotenti

perennis

perennis benedictio, & gratiarum actio. Tu quæso opem fer miseræ, vt dignas Deo gratias rependam, vt benefactori optimo fidelis inseruiam, vt ipse in corde meo regni sui sceptra perpetuò seruet, atque interim vt vtilitatem, & infirmitatem meam ad id omne, quod bonum est, perfectè nouerim. Vale.

Additiones.

Paucis numeris augebo rationes positas in epistola, quoniam quæ addi possent, à cæteris modicò distant. Diebus igitur propinquis annuæ solitudini Magister Discipulam, vt consueuit, ad se vocauit, sic affatus; *Ad immolandum veni, tete oportet perfecto sacrificio insumi. Veni, ego te, quid sit agendum, eruditam, & quod in te cœpi, perficiam.* Incepitque malè commissa sponsæ demonstrare, & locos vnde nata sunt aperire, cum reliquis contentis in epistola.

Quæ meditaretur, subministrarunt quatuor hominis nouissima, tria vota religionis, consideratio præsentiæ, & prouidentiæ Dei, necnon submissio Saluatoris nostri. Actus, diuinæque communicationes non extitere dissimiles superioribus. Redintegrati sunt amores, cordium vnitiones, figuræ litterarum, nuptiæ, nuptiarum conuiuia, donaria, vestes, suaues influxus, sanctissimæ Trinitatis complexus, & eiusdem meriti multa.

In synaxibus sponsus speciatim officia Pictoris, ac Pastoris exequutus est. Cùm de primo loquitur sponsa, sic ait; *Venisti ad me Domine, venisti diuine Pictor, & dixisti: Ego ritè noui cuiusvis speciem, atque oris lineamenta ad verum, & ad viuum pictura exprimere: hîc volo nouis pigmentis, nouoque lumine imaginem Patris mei effingere. Tu tabula sis bene firma, benè fixa, neque huc, neque illuc propendeas, sola tantùm pictoris manu mobilis. Sine me pro voluntate, ac sapientia mea coloribus, ac penicillo vti; sit tibi satis tranquillè & gratanter imaginem suscipere, illibatamque seruare. Dixisti, & Dei imaginem, ac litteras tuas suauiter, atque sapienter, vt es pollicitus, in corde meo reformasti.* De secundo ita loquitur. *Bone Pastor, ad sacrum pabulum, & ad amorem tuum hoc melleo sermone præparasti me: Ego sum Pastor bonus, qui animam meam pono pro ouibus meis, quique illas inter pascua semper virentia enutrio carne, lacteque meo. Ipsa igi-*

tur

tur ego tanquam ouicula ad hæc Pascua accessi, & tuam Pastoris vocem in præcordiis meis audiui: Nunc nunc miranda fiet mutatio; non ego in te, sed tu in me, & in amorem meum mutaberis. Et illicò animam vndis amoris tui operuisti, natabamque vt guttula in pelago tuæ dilectionis: dispoliasti me extraneis affectibus, & tuis legibus omninò submisisti.

Demùm non negabo communi, publicoque commodo paucula dicta, seu apophthegmata huius seruæ Dei collecta ex solitudine huius anni. Itaque aiebat:

Viro Religioso non est deterius barathrum, quàm non amare Deum.

Christus magis est in anima, quam amat, quàm ipsamet in se.

Quid fuit Christo Virginis vterus? Carcer dulcissimus: claustrum idem quoque sit cœnobitæ.

Si quis Paradisi gaudia in terra quærat, inueniet in plagis Christi Domini.

Filius Dei proprium domicilium in terris respuit, vt in corde hominis inueniret.

M. DC. LIII.

Epistola diei 20. Aprilis.

DEus, ac Dominus noster benignissimè etiamnum, atque officiosissimè tractat cor ancillæ suæ (Reuerende Pater), nec vlla ei opera defit. Ego quidem sentio me minimè dignam tanta beneuolentia, talibusque officiis; sed qui nouit, me esse præ cæteris onustam malis, & debilitatam viribus, suo quoque peculiari auxilio fulcit. Amabò coniungito tu quoque suppetias precum tuarum, præcipuè inter hæc gaudia paschalia, vt sponsus meus huiusmodi vinculis constrictus, nunquam ab hac sede demigret. Sit ille semper vita mea, sim ego semper viuens vitâ ipsius. Vale.

Additiones.

Debueram auspicari hunc annum ab iis, quæ serua Dei breui scripto commemorat accidisse ante Pascha, cùm hæc epistola exarata signetur inter ipsa gaudia paschalia: attamen illa

illa priora geſta minimè videntur diſcrepare ab inſtituto noſtro, etiamſi ſubiiciantur, allatura videlicet lumen, & pondus ipſi epiſtolæ aſſerenti Deum, ac Dominum nulla re ſibi defuiſſe.

Recenſet itaque ſponſa ſcripto ſuo, quod cùm in Dominica Palmarum daret ſe nocturnæ quieti, memoria recolens formoſitatem, ac ſplendorem vultus ſponſi, quem in cœlis Superi, & in terris purgatæ mentes defixis oculis contueri gaudent, & gaudentes intentiùs contueri deſiderant, affulſerit ſibi inopinata claritas, & in ea claritate ſponſus cryſtallo nitidior, & ſole fulgentior, qui diſcuſſis cum ſomno tenebris, bis, terque ſponſam luce inſolita flammanti face amoris, miraque animi pace perfuderit, & opera patrauerit maiora, quàm dicendo poſſet referre.

Item quod in Hebdomada maiori ſponſus de corde ſponſæ deflentis dura flagella illius compoſuerit emplaſtrum quoddam, quo illiniuit vulnera ſua ad mitigandum dolorem.

Inſuper, quod dum altera die adſtaret ſacro, repetita fuerit efformatio diuini vultus in corde ſponſæ, vt ſuprà dictum eſt de ſancta Veronica.

Epiſtola diei 13. *Iulij.*

COncaluit in me vehementiſſimè proximis diebus, Reuerende Pater, deſiderium, ac ſtudium virtutum fidei, ſpei, & charitatis, necnon ambitio quædam maioris de me deſpicientiæ. Peto abs te maiorem in modum, vt iis comparandis, atque exercendis adiumento mihi ſis ſacrificiis, deprecationibuſque tuis. Nil vnquam gratius, vel vtilius feceris. Totos dies, in quibus peregimus feſtos, ſolemneſque ritus Cœnæ Dominicæ, ortum Præcurſoris Chriſti, ac viſitationem Beatæ Virginis, ſponſus euolendis, & edocendis Myſteriis litterarum nominis ſui tribuit. Digeſſi ſingula in quamdam compendiariam notulam, quam ad te aliquando tranſmittam, vnde commodiùs & cuncta cognoſces, & quid ipſe ſentias, indicabis. Notulæ coniunxi pleraque diuinæ miſericordiæ auxilia, & benefacta, quibus vtcumque ſuſtineor; alioquin ſi non illa per vices mendicam refoueret miculis menſæ ſuæ, caderem lan-

Digitized by Google

guore, & fame. Euenit autem mihi hæc tanta beneficentia per manus Beatæ Virginis, cui commissa est mei custodia, & partitio diuinorum thesaurorum. In ea spem omnem habeo, & refugium, experiorque valde præsentem petitionibus meis. Illa mihi ante oculos dies, noctesque versabitur, & quam veneror charissimam, chariorem in dies habeo cum vnigenito suo. Iste lapsis retrò mensibus paruo loculo, seu specula cordis mei contentus erat, at in die Visitationis mutauit illud in thronum, à quo instar Pacifici Salomonis dogmata sapientiæ suæ auscultanti discipulæ tradidit summa cum tranquillitate, & pace. Frequens intonat auribus meis, *Pateat mihi soli auditio, cogitatioque tua, occlude cæteris.* Fortiùs verò disiungit me à rebus creatis, vt sibi viuam præsentior, coniunctior, necnon fidentior. Ecce rerum mearum pro tempore hoc conditionem. Nolo tamen ignores delabi me in varios, & culpandos casus, non quidem scientem, aut cogitatione præsentientem; sed per inconsiderantiam, per imprudentiam, aut per naturæ debilitatem. Ingenti tunc mœrore premor, ad diuinam clementiam procurro, maculasque lacrymis delere contendo. Vale.

ADDITIONES.

Totos dies euolendis mysteriis litterarum tribuit. Priùs tamen, quàm sponsus magisterij sui opus profiteretur, biduum præmitti voluit expiationi delictorum, & eorum præcipuè, quæ vel ex propria incuria, vel ex animi frigiditate oriuntur in epulo eucharistico, vt hac via docilior, atque paratior discipula rediret ad amorum commercia, & ad recipiendas diuini spiritus immissiones. Coniunxit illa erratis suis communem Christianorum infrequentiam eius sacri pabuli, sacrilegia, accessus indecoros, infrugiferam comestionem, & eiusdem rationis alias Sacramento irrogatas iniurias, pro quibus æquè, ac pro suis indulgentiam sollicita postulabat. Maximo autem cum fletu audiuit sponsum conquerentem de erasis è corde nonnullis litteris nominis sui, deque inde abrogata imagine sua, quam peculiari priuilegio, ac modo ibidem insculpserat; denique de derogata fide, quam ita solemniter sibi iurauerat. Iacebat illa talibus probris attrita, squallens, & in sordibus, surgentibus de imo pectore gemitibus, & abundè

Digitized by Google

abundè excidentibus de vultu lacrymis. Ingenuè sua culpâ factum confitetur, sed subleuari miserias suas per misericordiam cogitat, curatque offerri Deo hostiam reconciliationis, vt hoc modo sponsus non solùm fiat offensæ dimissor, sed & reconciliator apud Patrem, & Spiritum sanctum. Cæterorum dierum sermocinationes partim fuere encomia diuinæ bonitatis, partim spiritualia documenta, partim amores atque blanditiæ inter sponsum, & sponsam.

Transeamus iam ad litteras, & intelligemus, quomodo euoluta fuerint, vt ait epistola, earum mysteria. Sanè non potuit eximius explanator de litteris viginti duabus per totidem dies non depromere, & coaceruare multas, easque illustres interpretationes, simulque insignia documenta, cùm vnicuique diei vnius responderet litteræ explanatio sola, vtplurimùm Sacramento Eucharistiæ accommodata. Succum hic ego solummodò exprimam.

Igitur, qua primùm die aperiuntur solemnes cæremoniæ Cœnæ Dominicæ; sponsus regio apparatu in ciuitatulam suam mysticam Hierusalem ingressus, sic eam affatus est; *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus; venit autem reparare imaginem Dei deperditam. Ego enim per initialem litteram nominis mei Imago sum Patris. Quid autem volo, nisi vt hîc reformetur, vtque diuinis expressa moribus iterum resplendeat simillima Deo?* Dein iungens actum verbis, apposita effigie vultus sui renouauit in sponsa imaginem diuinitatis, iubens seruari illæsam, atque illibatam, perpetuóque in oculis circumferri. Docuit autem duabus virtutibus seruari illæsam, aut etiam reparari læsam, nempe humilitate, & mansuetudine cordis, quarum ipse exempla, & dicto, & facto sat abundan-
I ter, dum viueret, subministrarat. Et quidem quod spectat ad humilitatem, iam pridie huius diei instanter incitauerat sponsam ad priuatum, humilem, & obscurum viuendi ritum, cuius se dicebat extitisse summè curiosum in suo vitæ decursu. *Nasciturus inter homines*, aiebat; *Deitatem, Maiestatemque meam tegumento carnis occultaui, triginta annis ignotus, & tanquàm vnus de plebe, inter inopes; & sordidos victitaui; postremò gloriam, potentiamque meam vili inuolucro panis, ac vini contexi, vt facilius, & sine nausea visceribus hominum commiscear. Quid*

addam? Sepoſita Maieſtatis meæ ratione omni, non dedignor verſari inter ſceleratos, & circumferri per viculos, & plateas, vbi frequentiſſimè iniuriis, ac blaſphemiis conteritur nomen meum. Et hoc vtique præſto, tum ad locorum ſanctificationem, tum ad robur fidei, tum vt homines fortiùs pertrahamad amorem Dei.

Poſtridie eius diei Diuinus Doctor explanationi ſuppoſuit duas ſequentes litteras E, & S, quarum rimatus myſticum ſenſum, ex vtraque nobis egregia documenta protulit. Notionem litteræ E, ſumpſit *de Exodi cap.* 3. vbi Moyſi ſciſcitanti de nomine Dei, reſpondit Deus ipſe, *Ego ſum, qui ſum. Dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. Hoc nomen mihi*
E *eſt in æternum.* Dixit ergo Interpres: *Hac littera E, ſignatur inclytum illud Dei nomen EST; quo effertur æternum ipſius nomen, poteſtas, & eſſentia; non aliunde originem trahens, cùm genuerit omnia, primum rerum omnium principium; non à quoquam pendens, cùm ante omnia tempora de ſe extiterit, atque ſubſiſtat.* Nemini dubium eſſe debet, permulta fuiſſe hoc loco agitata, & expoſita de Dei eſſentia, de eius æternitate, atque potentia, quæ ſilentio diſcipulæ perierunt. Sed non ſiluit quæ ad morum noſtrorum eruditionem ſunt, & à Præceptore his verbis enunciata: *Ego ſum Magiſter animæ tuæ vnicus, & excellentiſſimus; hic te nolo multorum verborum ſonitu edoctam, ſilens ſat te meo ſacramento erudiam. Porrige attentiſſima aures, & quod audieris, fige animo tenaci, nec vllo tempore è memoria fugere patiaris. Ego ſum, qui ſum, tu es quod non es: ego omne bonum, & quicquid eſt, de meo eſſe eſt; tu de tuo nihilo nihil es. Hæc duo verba totos dies, atque noctes mente volue, reuolue. Si benè feceris, placebit mihi nihilum tuum, & ego, in quo ſunt omnia, nihilum ipſum tuum amanter fouebo.* Hæc ille.

S Quod ſpectat ad litteram S, qua docebat denotari præclarum nomen ſapientiæ, ita prolocutus eſt: *Si te meam facis diſcipulam, ſapientiæ meæ ſectare veſtigia, quæ chariſſimis Apoſtolis meis inſinuaui. Abnega teipſam, tolle crucem tuam, & ſequere me. Ego ſum ſuprema, & æterna illa ſapientia, quæ nunquam aut fallit, aut fallitur; neminem deludit, ſed nec deluditur. Circumuenire, in fraudem, & denique in malam rem mittere, ars eſt, & conſuetudo huius ſæculi nequam. Ego ſectatores meos recta, plana, & tuta via ad felicitatem æternam deduco. Quæres qua via? Pau-*

pertatis

pertatis, deſpicientiæ, atque dolorum. Cumque multa de his virtutibus, & earum merito diſſeruiſſet, deſiderium ipſarum in auditrice ſua ſuſcitauit vehementiſſimum, & ipſaſmet virtutes dono dedit.

V Die tertia infra Octauam ſuper littera V, hæc ait ſponſa: *O ſimpliciſſimum, & præpotens Dei Verbum! vt imaginem tuam ab homine turpiter deformatam, quaſi peritiſſimus pictor coloribus cæleſtibus vitæ tuæ reſtaurares, carne velaſti Deitatem tuam, factus homo, hominem ipſum per amorem, & imitationem virtutum tibi aſſimilaturus. At eundem benè, ac ritè vtentem communicatione corporis, ſanguiniſque tui, concorporeum tibi reddis, & in te conuertis eo ferè modo, quo ſubſtantia panis, ac vini, per virtutem verbi tui tranſit in ipſum corpus, & ſanguinem tuum. Dixiſti enim aliquando; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, & propter me viuet in æternum. Ita loquebaris ad ancillam tuam, ô lux, & vita mea, eamque tibi intime coniunxiſti, & dulcia bonitatis tuæ ſenſa communicaſti.*

Dominica infra octauam. Quoniam in Euangelio hûius diei mentio fit de nobili quadam, & paratiſſima cœna, *Luc.* 14. fit quoque hîc tranſitus ad conuiuium nuptiarum, de quo ſic ſponſa: *O lautum, cæleſte, atque mirabile epulum, & ſponſi manu inſtructum! In quo ipſe idem eſca eſt, & potus, vbi anima aſſidet Regi ſuo, inebriaturque amore Diuino, quin etiam transformatur in eundem ſponſum.* Hac igitur die apparato conuiuio refectæ ſunt in ſynaxi conſuetæ nuptiæ, repetita donaria virtutum, veſtes quoque, per quas conflatur ſanctitas animæ, vtpote veſtis innocentiæ, tunica humilitatis, pallium charitatis, annulus fidei, & cætera de more. Noctu mutata ſpecie ſermonis, & actionis, dum ſponſa ſeſe quieti daret, collocaretque in lectulo, tanquam eodem modo aliquando ponenda in ſepulchro, ſponſus ægrè paſſus vno momento ab ea ſeiungi, ſtatim prope aſtitit, & deliciis amorum ſuorum potiùs, quàm ſomno, aut quiete voluit refectam. Secreta namque cordis locutione dicebat: *Sepultura donari te decet; ſepulchrum in quo iaceas, in me ſitum eſt; ſepulchrum, inquam, amoris, quo te congruit tumulari.* Tum pectus, & cor ſibi diffindens. *En*, inquit, *ſepulchrum, quo te oportet inhumari, non humo, ſed amore opertam.* Dixit, & in profundum cordis,

tanquam in deſignatum ſepulchrum ſemimortuam traxit, condiditque obſerata ianua. In eo amoris tumulo oppreſſa cœleſtibus, vitalibuſque deliciis per multam noctem iacuit demortua ſenſu omni, memoriaque huius facti remanſit animo præſens per inſequentes dies. Sponſa ſe in Deo poſitam ſentiebat, & reconditam in ſepulchro, in quo ſponſus eam crebris ſagittis amoris configebat. Ad litteras tamen regreſſum eſt, & per eas ad ſponſi mirabiles perfectiones.

Die quinta infra Octauam inchoata eſt explicatio litterarum cognominis CHRISTVS, deducta per ſingulos dies vſque ad finem; itavt cuique diei ſua quæque reſponderet littera, ſicut dictum eſt.

Itaque ſponſus cùm tota nocte ſponſam ſtratam in ſepulchro afflixiſſet iteratis plagis amoris, ſummo mane venit ſpecie medici vnguentis inſtructi curare ſauciam, & lenire dolentem, aſſumpta littera capitali de cognomine Chriſtus,
C qua ſignificari dicebat, *Charitatis Medicus:* eo quod inſtar Samaritani venerit ad iacentem, confoſſam vulneribus, & iis ſanandis attulerit vnguentum pretioſiſſimum, ac ſaluberrimum, compoſitum nempe oleo, ſeu balſamo Diuinitatis ſuæ, & vino Humanitatis. Inunxit ergo ægram aſperſione, atque illapſu dulciſſimæ præſentiæ ſuæ linientis intimas vſque medullas animæ, & ea vnctione plagæ, ideſt vrentia deſideria amandi Dei, amore, & guſtu præſenti ſanatæ ſunt. Præter hæc curauit eadem vnctione vulnera animæ inflicta per innatas propenſiones, per infenſas paſſiones, per ſemper pronos ad malum ſenſus corporeos. Medici inungentis effatum hoc erat; *Ego ſum medicus charitatiuus, vnctione diuina vtor, qua mala omnia profligantur, & ipſæ incurabiles plagæ curantur. Vnguentum iſtud in apothecis cæli fabricatur; fabricant autem potentia, ſapientia, & bonitas mea. Pretium eius non niſi pretio amoris exæquatur. Vis ergo, & medico, & medicamenti pretio ſatisfacere? Ama.*

H Die ſexta. H, enunciat holocauſtum; eſt autem Holocauſtum ſacrificij genus, in quo detractis extis victima integra imponebatur aris, & ignibus. Sponſa: *O benigne Saluator, hoſtia præſtantiſſima, feciſti de te ipſo perfectiſſimum, probatiſſimumque*

Digitized by Google

tissimumque holocaustum Deo pro me, passus, teque, tuaque omnia in ara crucis immolari, & incendio amoris absumi, cùm te adhuc viuentem, eadem amoris incendia satis diu adussissent. Ergo dixisti seruæ tuæ: Ne graueris inter gratas victimas sacrari amoribus meis, & amanter in ea cruce mori, qua te trinus clauus voto fixit. Ah moriar ego tecum Saluator meus, moriar victima holocausti pleni. Enecet me amor, & flammæ illius altè conscendentes totam comburant.

R Die septima. Duo sponsi elogia includit littera R, scilicet quod sit Rex potentissimus, & Possessor thesauri ditissimi. Hac die multa verba facta sunt de opulentia Regis, necnon de eiusdem magnifica liberalitate in sponsam; tamen non est cur hæc testimonia compellantur in hunc locum, notissima sunt aliunde. Verùm sponsus volens vetera beneficia accumulare nouis, expoliari priùs sponsam aliis rebus postulauit hisce verbis: *Euacua teipsam de teipsa, & ego de bonis thesauri mei suprà culmen in te congeram.* Quod cùm illa per confessionem sui nihili feciſſet, tanta fuit suauitate, & sensu Dei perfusa, vt in ea verba prosilierit: *Ah Domine misericors, & optime Deus, manum contine, iam opprimor delicijs tuis!* Tum de alienis, plusquam de suis profectibus sollicita, ita cœpit deprecari: *Diuide & aliis dulcedinem cordis tui, Domine Deus; non tanti æstimanda sum, vt de me vna cogites: cogita de illis, qui obduruerunt in malis, qui ænea pectora gerunt, emolli ad pietatem; liquescent procul dubio dulcedine ista: incende in eis cupiditatem amoris tui, compara tibi has animas, & titubantes in dilectione tua hoc subsidio confirma. Ego te semper memoria, & obseruantia colam.*

I Die octaua euentilata fuit littera I, per quam significatur immaculatum sacrificium, eo quod Dominus Iesus Christus sit agnus sine macula, tormentis, ac morti sacrificatus pro redemptione peccatorum. Dicebat autem sponsus, quod sicut tunc discerptus dentibus luporum, & coram tondentibus se obmutuit, ita nunc quoque lacessitus iniuriis, & fractus dentibus impiorum in Eucharistia, silens contumeliam patitur. Velle autem, vt pariter à sumentibus eum cruces, & cotemptus tolerentur in silentio, animo generoso, ac volenti. Ipse enim oblatus est, quia voluit, suadente tantùm stimulo amoris, qui fortior est morte,

& omni gladio. Redarguebat autem vehementer illos, qui ad hunc agnum immaculatum frequentes, & tanquam domestici accedunt minùs præparati, minùs culti virtutibus, & non habentes vestem nuptialem.

Succeſſiuis posteà diebus extra octauam adhuc vacatum est effodiendis de eadem fodina litterarum aliis, atque aliis bonis doctrinis, occurritque ordine suo primùm littera

S S, qua sponsus dixit designari Sacerdotem, quoniam ipse idem fuit in hoc sacrificio, & Hostia immaculata, & Sacerdos immolans, factus à Deo Sacerdos, & Pontifex secundum ordinem Melchisedech. Docebat autem, duplex à se oblatum fuisse Deo sacrificium pro hominum redemptione, matutinum videlicet, & vespertinum. Matutinum in sinu virginis, quando in ea solus Sancta Sanctorum ingressus, pro holocausto se dedit Deo. Vespertinum, quando in ara Crucis corpus, & sanguinem profudit, cui sacrificio tot iunctæ fuere orantis supplicationes, quot in Cruce fuerunt prolata verba. *Vide tam*, aiebat, *quantis fornax pectoris mei abundet flammis amoris. Ego me ipsum sacrificaui hostiam placabilem Deo; verùm vt hoc sacrificium tuge sit vsque ad consummationem sæculi, ministros mihi substitui Sacerdotes, à quibus toties immolor Deo, quoties ab eis sacrum, seu sacrificium Missæ fit in vniuersa Ecclesia. Obserua igitur Sacerdotes, ministros meos, & venerare; adesto autem tuipsa sacrificio Missæ spiritu feruentior, noua semper cum mentis attentione, ac reuerentia.*

T De littera T, manauit thesaurus, de quo sponsus; *Ego sum thesaurus absconditus. Ego thesaurus tuus, possessio, hæreditas, & omne bonum tuum. Quoniam ergo vbi thesaurus, ibi & cor; sit ad me semper cor tuum fideliter diligendo me. Docebo autem te, quibus seris, & quibus excubiis seruetur hic thesaurus; humilitate, puritate, simplicitate, custodia sensuum, & forti charitate. Hæc obserua, & in tuto habes thesaurum.*

Sponsa. *Quandonam debitas tibi gratias rependam, ô Vita vi-*

V *uentium, qui mihi, vt indicat littera V, non solùm dedisti vita, & communi spiritu frui, sed & vita gratiæ, quæ omnium bonorum fons est, & principium! Sit tibi laus æterna vita viuens, qui Filium tuum misisti ad oues tuas, vt per eum hanc vitam habeant, & abundantiùs habeant, quique pro eius vitæ propagatione pabulum sacratiſſi-*

mæ

mæ Eucharistiæ suppeditauit. Is sæpe sæpius dixit interiori verbo: Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi; si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Benedico te, Pastor bone, qui relictis ouibus nonaginta nouem, ad me vnam venisti, vt vitam peccatis perditam restitueres, hanc ob rem non iniuria præcepisti, vt aliàs non viuam, quàm de te, in te, & pro te: oh si mihi contingat.

S Sponsa. *Sanctus es, Domine, & sanctus sanctorum; sed vt hîc prædicabas sub littera S, etiam noster sanctificator, & sanctificatio es (factus nobis vt scribit Apostolus tuus* 1. Cor. 1.) *sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Oh laudetur omni tempore sanctificator meus, qui me suæ sanctificationis participem fecit, ornauit donis, & vniuit bonitati suæ. Pro potestate tua impera, & rege me; de re tua sum, ô mea sanctitas; quicquid in me discernis minùs religiosum, amputa, & quam inchoasti, perfice in me sanctificationem.*

Inde deuentum est ad litteras patronymici, ac mystici
N nominis NAZARENVS, cuius prima littera per allusionem ad ciuitatem Nazareth diuitem florum, signat Christum ditissimum floribus virtutum, quarum venustate, & odore ad se trahit filias Ierusalem. Præcepit verò sponsæ habere secum decus, & cultum horum præcipuè florum, lilij puritatem, violæ humilitatem, & rosæ charitatem; spondens placituram maximoperè, si vt quondam Beata Virgo, his floribus resplendeat.

A Etiam per hanc litteram A, indicatur vnum ex officiis Iesu Christi, quod nimirum sit amator animarum. Id ipse explicatiùs protestatus est his verbis: *Neminem non amo, qui me diligat, qui oblectetur consuetudine mea, qui mihi animo, & voluntate consentiat, qui denique mecum secreta amorum negotia tractet. Non tamen reiicio quemquam de aliis, quia amator sum animarum: etiamsi ferreæ sint animæ, ego magnes cælesti virtute medicatus ipsum ferrum ad me potenter pertraho. Hac die* (erat enim dies Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ) *Præcursorem meum attraxi, teque, & omnes cupidos mei hoc eodem modo attraham.* Quod perfecit erga sponsam in synaxi, aperiens claustra cordis sui, eamque intus abscondens tanquam sagittam, vt aiebat, in pharetra, quam sagittam dextera sua, quò vellet, proiiceret: alludens nimirum ad prophetiam *Isaiæ* 49.

Digitized by Google

qua per prænotionem ſpiritus de Baptiſta dictum eſt, *Poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me.* Ad hæc ſponſa; *O cæleſtis arcitenens, ſic de pharetra tua ſagittas amoris carpe, & ſine vlla ceſſatione coniice in latera cordis mei, donec cum Præcurſore tuo te perfectiſſimè diligam.*

Iterum bonus Magiſter per octo dies à feſto Sancti Ioannis proſecutus eſt detegere ſignificationes litterarum agZ nominis ſui Nazareni. Et propter litteram Z, aſcripſit ſibi nomen zelatoris ſalutis animarum, quod & probauit duplici argumento. Primo, quòd à momento ſuæ conceptionis ad mortem vſque omne ſtudium contulerit ſaluandis hominibus, nihil prætermittens eorum, quæ ad hanc ſalutem conducerent. Secundo, ex inſtitutione ſacroſanctæ Euchariſtiæ, qua poſt abſceſſum ſuum adhuc nihilominus voluit præſens eſſe, & præeſſe Eccleſiæ ſuæ vſque ad conſummationem ſæculi. Speciatim verò patefecit ſponſæ ad quanta eum compulerit amor, & zelus ſalutis ipſius, vſus prophetico dicto: *Pſal.* 68. *Zelus ſalutis tuæ comedit me.* Commendauit autem plurimùm ſponſæ zelum, & obſeruantiam regularum Ordinis ſui.

Sponſam, quam magiſter ſemper ad amandum prouocauerat, nunc ſollicitauit ad feruenter amandum, ex ocA caſione litteræ A, quæ ſignat amorem ardentem. Sollicitabat autem exemplo ſuo, quia ipſe homines ardentiſſimo amore proſequitur, quandoquidem nulla hora ceſſet illis benefacere. *Minus eſt*, aiebat, *ſubcalidam eſſe in amore, feruentem volo te, quæ nulli deſis vel loco, vel operi. Ignem te volo, qui oppoſita quæque deuaſtet. Omnia viceris ſi ardenter ames. Probè compenſabis acta amoris mei feruentis, ſi inuicta feras deprimi, & opprimi iniuriis propter me; ſi ardua quæque lætè adoriaris, ſi cum Apoſtolo gaudeas in paſſionibus, & glorieris in tribulationibus: hic eſt enim amoris gradus altiſſimus.*

Periclitantibus refugium tutum poſitum eſt in me, & in plagis
R *meis*, aiebat ſponſus: *hoc enim inſinuat littera R. Nullus extra plagas meas perfugium quærat; quæſito fruſtrabitur. Plagas in corpore ſeruaui apertas, vt ſiniſtris in caſibus forent patentes receſſus, & arces ſecuræ, in quibus mortales tutamen, quietem, & conſolationem promptiùs inuenirent.*

Sponſa

Digitized by Google

Sponſa. *Ament te omnes, & nullus erit, qui in te non ſperet. Ex-*
E *plorata ſpes es, vt notat littera E: miſericordia namque tua delentur crimina noſtra: Mors tua, noſtra vita fuit; Quid dubitemus? ſpes ab eis longè ſit, quos ſupplicijs deputaſti ſempiternis: cæteros, qui ſperant in te, dixit Propheta tuus non confundi. Ego, quam nunquam feſellit ſpes promiſſionis tuæ, miſericordias tuas, promptaque auxilia toties explorata nullo vitæ tempore tacebo, néque cadam illa ſpe, quam indicat nomen tuum, etiam contra ſpem ſperabo.*

N Eadem. *Nauclerus ès, & nauis, Domine, vt ſignat littera N: Quid enim es niſi fideliſſima nauis, vehens animas abſque Naufragij periculo, qui me in portum Eccleſiæ, & in arcem ſacri cœnobij feliciter deduxiſti? Quid es niſi peritus nauclerus, qui nauiculam flatibus tuæ prouidentiæ agis, & etiam inter ſyrtes, ac tempeſtates huius ſæculi facis proſperum habere curſum? Quoties ego inter æſtus huius maris deſpumantis naufragio periiſſem, ni dextera tua eripuiſſet me? Quoties inter turbines malarum paſſionum tranquillitatem induxiſti, imperans quietem ventis? Quoties dixiſti mihi, quid times modicæ fidei? Ego ſaluti tuæ præſum, Princeps pacis, & Deus tranquillitatis. Quid timeſcis?*

V Eadem. *V, idem mihi eſt ac veritas, & vita æterna. O æterna veritas, dicto, & facto verax, qui occultas veritates fidei Eccleſiæ tuæ reuelaſti, & odiſti omne mendacium, atque omnem animi duplicitatem. Dixiſti animæ meæ; ſi credis, viues, & vita viues æterna. Credo Domine, adauge fidem meam, confirma ſpem, & charitatem. Credo quicquid de ore tuo, aut de ore Prophetarum, vel Apoſtolorum tuorum prodiit, & quicquid docet Eccleſia ſponſa tua. Teneo præſertim articulos fidei, ſeptem Sacramenta, conſilia euangelica, pro quibus lubentiſſimè vitam expendam.*

Poſt circuitum tot litterarum ſiſtitur concluſio in expli-
S catione poſtremæ litteræ S, per quam ſponſus expoſuit quoddam ius priuatum, ſibique peculiare; videlicet quod ſolus dignus eſſet amari. Sic enim interpretatus eſt litteram S. Verùm de hac re non tam ipſe, quàm mater eius ſermonem inſtituit, (erat namque prouigilium Viſitationis ſuæ) & ſic loquebatur; *Cùm aſcenderem de Nazareth in montana viſitare Elizabeth, geſtaremque in vtero vnigenitum Filium Dei, tanquam captiuum amoris, videbar ſapiſſime audire verba hæc: Ego ſolus dignus ſum amari, ſolus veneratione,*

laude, & obſequio dignus, ſolus dignus poſſidere animas bonas, & in eis operari quæ mira, & diuina ſunt. Operare, Domine, dixit ſponſa, *operare in famula tua, quodcumque tibi ſoli lubet, & dignam fac amoris tui, vt ipſa te ſolum redamet.*

Et hæc eſt interpretationum ſumma. Sed fœcundus, myſticique ſermonis & author, & doctor, inſtitit altera adhuc die, quæ erat prædictæ Viſitationis commemoratio, ſuper S præfata littera S, qua docebat oſtendi ſapientiam; illam nimirum ſapientiam, quæ ædificauit ſibi domum, excidit columnas, immolauit victimam, miſcuit vinum, & poſuit menſam, vti habetur *Prou.* 9. quæ omnia adhuc referebantur ad ſacramentum Euchariſtiæ. Protrahens ergo longiùs ſermonem ſuum, aſſerebat, diuinam ſapientiam habere tres domos aſſignatas ſibi ad requiem; ſinum Patris, in quo ab æterno habitat Deus; ſinum Matris, in quo habitauit Deus homo; & ſinum animæ humilis, puræ, ſimplicis, obedientis, & amantis, in qua delicias, & regnum ſuum ponit. Dixitque velle in anima huius ſeruæ ſuæ collocare thronum ſuum. Erexit autem poſt ſynaxim, & itidem conuocatis vniuerſis ſenſibus illius, diuinam ſapientiam ſumma cum tranquillitate docuit, diſſerens de diuinis, & homini ignotis perfectionibus ſuis: vnde diſcipula admiratione deuicta, in hæc verba prorupit. *O Salomon, & pluſquàm Salomon, quanta excedis ſapientia ſapientiam Salomonis! Quanta magnificentia, quantis diuitiis ſuperas omnem illius maieſtatem? Quàm ſapientiores, nobiliores, atque ſanctiores ſunt domeſtici, ſeruique tui? Non iniuria Beata Elizabeth, vt vidit domum viuentem Maieſtatis tuæ ingredi tugurium domunculæ ſuæ, ecſtaſi, ac ſtupore abrepta exclamauit: Vndè hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Viſitatio hæc Saluatoris in ſynaxi tanta vi, & energia inuaſit animam ſponſæ, vt nulla diei pars potuerit ipſam ſegregare ab aſpectu, & præſentia aperientis ſecreta perfectionis ſuæ.

Aliquid etiam inſerendum actis huiuſce anni. Obtulit dies Aſſumptionis Beatæ Virginis, quod breui circulo verborum circunſcribam. Sero eius diei ſponſa iacebat languens amore Dei, fatigata quidem corpore; in altas tamen cogitationes & contemplationes diuinæ bonitatis erecta, cogitabat quantus

eſſet

esset oceanus eius bonitatis, extra quem nihil vsquam esset boni, concluseratque consilia sua hoc dicto; *Reiiciat cætera qui vult Dei bonitate vti.* Ad contemplationem huius theorematis affulsit illicò supernæ charitatis radius, mentem contemplantis splendidiùs solito illuminans, quo dilucidè innotuit, Deum esse vnicum, supremum, & infinitum bonorum omnium complementum. Idque præsenti experientia confirmatum est; illabens enim suprema illa bonitas speciali quodam modo in animam sponsæ, tanta eam bonorum, ac suauitatis affluentia compleuit, vt omnem continentiam supereffluerer, affirmante interim sponso; *Ego sum purus, quinimò purissimus, & perfectus amor, qui purifico, viuifico, & sanctifico animas meas:* quod hic opere impleuit erga sponsam. Ex hoc noui splendoris iubare magna cœpere incrementa sitis amandi Dei, amor puritatis, & despectus rerum humanarum, vt soli Deo esset in anima locus, & libera operatio. Vidit præcipuè verissimum esse quod Beata Agnes celebrabat de sponso suo speciosissimo præ filiis hominum, *Quem cùm amauero, casta sum; cùm tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum.*

Epistola diei 6. Nouembris.

SVbueniat mihi afflatu suo Numen Diuinum, vt quæ sunt de solitudine mea, conuenienter perscribam. Ad eam maiore adhuc quàm antea affabilitate inuitauit me sponsus. Vix tamen otium dedit perquirendis erratis meis. Ego illa coram te repetere sperabam, sed frustrata opportunitate operæ tuæ, in hanc chartulam breuiter constrinxi. Ea ipsa errata foui egometipsa (neque de hac veritate attinet dubitare) minùs inuigilans mihiipsi, & non satis longè abdicans philautiam. Agnoui nonnunquam obrepsisse aliquid teporis, ac negligentiæ in studio pietatis, & Dei cultu. Non planè perstiti in promissa obseruantia votorum: quod mei fuit arbitratus, quodque naturæ placidius, promptior secuta sum; tardior in officiis charitatis ad proximum; carens tolerantia importunitatis, & commiseratione errantium; non semper interpretata in mitiorem partem aliena consilia, aut pronunciata. In his paucis lineis, & in hoc exiguo indiculo vitæ meæ me totam vides. Non ta-

men auſim hanc gloriam ſupernis Dei auxiliis derogare, quod per annum aliquantò firmior perſtiterim in bono propoſito; vis malæ conſuetudinis rariùs ſtrauit me; non tam acerbè tuli contemptus, & offenſiones; non tantoperè fugi cruces contingentes; obduruit illarum aſſiduitate anima mea, fitque mihi hoc tempore dulcior hic panis quotidianus, cuius ſapore condio cunctas actiones meas. Æſtimo me non ordinariis ſuffragiis, præſtantiorique manu diuinæ bonitatis fuiſſe hoc anno ſuffultam, ne ex debilitate mea, vt ſolebam, ad omnem greſſum procumberem. Indictum tamen mihi fuit, vt ad noua me diligentiſſimè compararem, donec agam triumphum. Bellorum ſumma hæc eſt, vt contra prauam naturæ indolem, & contra pronos ad malum habitus, ſiue ingenitos, ſiue acquiſitos ita generosè contendam, donec natura ipſa ſub diuinas voluntates omninò concidat, vitaque mea ſuperior eat vitæ naturali. Quod hucvſque minimè à me præſtitum arguebat ſponſus, opponens quod quo magis voluntatem meam facerem, ſæpe ſæpiùs Patrem de domo ſua, ſeipſum de throno, & Spiritum Sanctum de nidulo expulerim; quodque cœleſtes motiones deſpiciens; pulſanti Deo oſtium cordis clauſerim, quaſi pro nihilo habens ſibi morem geſſiſſe, aut non geſſiſſe. Deterrita eiuſmodi reprehenſionibus, dolens, ac meliorem frugem promittens, ſtatim cucurri ad ſacramentum pœnitentiæ, ſeu ad tribunal miſericordiæ, vndè recentes fructus antiquæ clementiæ Dei collegi. Nam Beata Trinitas repetiit iura ſuæ poſſeſſionis, imperij acta renouauit, & quicquid erat alienum operibus ſuis, excluſit. Secretas eius operationes quonam eloquio, aut modo prodam? Muta ſum, ſi ille non ſit apud me: verba deficiunt, opportuna ad explicandum ſimilitudines minimè inuenio, res ipſas vix mente concipio. Vim vnitionum, excellentiam communicationum non ſat validè ſuſtinui, amoris ardoribus deuicta ſuccubui, eoque deducta res eſt, vt perpurgata labe omni, vndequaque Deo repleta viderer.

Effectus ſolitudinis meæ, quintuplici ſpecie amoris comprehenduntur, quibus caſtiſſimus ſponſus ſolet caſtas ſponſas ſuas dotare, vt habeat aliqua parte ſimiles ſibi, eo propè ritu, quo Sanctos Franciſcum, & Catharinam Senenſem quinque ſtygmatibus, ſeu ſignis amoris ſui decorauit. Hanc ego Dei ſingularem

Digitized by Google

gularem beneuolentiam, & pretiosum monumentum Passionis Dominicæ speculabar in ipso die stygmatum Sancti Francisci, quum repentè collectis vnà mecum facultatibus meis, magna vi in Deum pertracta sum, ingentique luce conspersa: succensas quoque sensi faces ignitas circa cor meum, quod intolerando incendio deflagrans, alium sibi locum à pectore meo saltitando quæritabat, eo quod transfossum quinque partitis plagis per quinque sagittas flammeas, in eo dolore esset, qui solet animas corporibus eripere. Audiebam autem submissam in me vocem dicentis; *Seruos meos charissimos quinque stygmatibus obsignaui, in corde verò tuo insignia quintupli cis amoris imprimam, eruntque plagæ istæ in corde tuo reconditæ, tanquam quinque gemmæ, quibus animam naturæ tuam, ditione autem, & amore meam, volo ditare, vt quinque plagas, quas pro te tuli, memoria, & affectu magis, ac magis honorifices.*

Aperiamus iam, & distinguamus (nam te id velle arbitror) huius quinquepartiti amoris rationes, ac dignitates. Primus est amor patiens, cuncta placidè, sine querimonia, ac repugnantia ferens. Secundus amor longanimis, suauiter sustinens expectationem supremi boni, pro quo langueſcit, interim tranquillè ferens longinquitatem suæ peregrinationis, proximique fastidia, ac infirmitates. Tertius amor rectus, purus, nudus omni re, qui non quærit quæ sua sunt, sui potiùs planè oblitus. Quartus amor fortis, & constans, doctus animosè perferre cuncta aduersa propter Deum, cuius placita in primis, & in omni euentu vult adimpleri. Quintus est amor perseuerans, nunquam certare defessus, nunquam amasse satur; derelictus amat, amat mediis in fluctibus ærumnarum, in ariditate, inter nauseas, & si quid aliud est, quo vis amoris possit infringi: infractus amat, nullo tempore, nullo loco cessat amare, amandi desiderio perenniter laborans, & dicens cum Augustino; *Amo, amo, amabo, amabo donec fiam amor ipse.* Hæc mentis illuminatio, & amorum inspiratio ita profundos sensus amoris in anima reliquit, vt nunquam vacua sim illorum vsu, modò vni, modò alteri intendens. Sæpissimè dum oro, intelligo has intimas voces; *Oh amor! Oh amor! Quandonam tota transfundar in amorem, efficiarque amor purissimus?* Crede mihi, tota paulatim absumor, & tabesco viribus. Scito autem non multis opus esse flabellis

flabellis ad ſuſcitandas flammas amoris; verbulum vnum fax eſt ardentiſſima, & grandem rogum ſuccendit; nam omnia in me ſentio ad amorem Dei tendere. Auſim dicere, vniuerſa creata prædicant, ſuadentque mihi hunc amorem, ſenſimque diſtrahitur cor meum ab iis omnibus, quæ neque Deus ſunt, neque ſunt ad Deum.

Clauſit denique Magiſter vniuerſos tractatus noſtros hiſce præceptionibus: *Viue in hoc mundo, ac ſi corpus habeas in tumulo, ſpiritum in cælis: te, tuaque integrè committe Dei prouidentiæ: nunquam reluctaris eius voluntati.* Ferè obliuiſcebar ſignificare tibi litteras ſacri Nominis IESVS, renouatas fuiſſe in corde meo, oſtenſumque mihi quinque præfatas ſpecies, & plagas amoris contineri in illis quinque litteris. Hoc vnum addam, & ſileo. Præſentio me non vltrà poſſe de huiuſmodi rebus intimis eloqui; ignotæ ferè ſunt mihi, quia in apicibus mentis peractæ. Scripto notaui nonnulla acta ſingularia ſolitudinis meæ, quæ tibi opportunè viſenda dabo, quandoquidem percupiat Deus, vt tibi innoteſcat omnis ſtatus animæ meæ, quoniam vice Ieſu mei mihi es in terris. Idem præſtiti erga Matrem noſtram, quacum maxima mihi eſt animi fidentia. Hæc enim eſt religioſæ mentis pax, & iucunditas, Superiorum fiducia facere quod facimus. Precor te in die Præſentationis Beatæ Virginis, quo confirmamus promiſſa, ſeu vota noſtra, offeras omnipotenti Deo corda ſociarum mearum; ne me tamen ab eo numero, & beneficio ſegreges, eo quod ſim in ſtudio, & praxi virtutum vltima. Vale.

ADDITIONES.

Epiſtola ſatis ampla eſt, & res geſtas latè exponens. Verùm quia in calce illius dicit nonnulla fuiſſe à ſe ſcripto notata, non pigeat huc referri quæ de eo ſcripto rei noſtræ conferunt. Ait Ergo:

Vt abirem in ſolitudinem, tu me, chariſſime ſponſe, hoc „ proloquio vocaſti: Veni ad me ſoror, ſponſa, ducam te in „ ſolitudinem: veni loquar ad cor tuum; ſed veni denudata „ re omni, nudus enim amor eſt, ego te ſuperueſtiam. Et hoc „ dicto amor tuus purus, & rectus expoliauit me etiam memo„ ria ſæculi, dixique: Loquere, Domine, audit famula tua.

Vulneraſti

„ Vulneraſti in limine cor meum, Domine, ſagittis amoris per-
„ petui. Dixiſti : Ama , ama , vſqueadeò perditè ama , donec
„ abſorbeat te amor meus ; ego enim te , vt me ſolum diligeres,
„ condidi. Oh Domine , dixi , oh amor meus , en langueo, en
„ morior , quia te non ſemper amaui : ô pulchritudo incom-
„ paranda ! ô bonitas infinita ! Dixi , & ſubita vi amoris tui
„ liquefacta eſt anima mea , necnon quaſi guttula in oceano
„ amoris tui puriſſimi diffuſa , atque deperdita eſt. Ante ſom-
„ num , poſtquam oſtendiſti mihi lectulum cordis mei , quem
„ eximia gratia florum conſperſeras , nempe humilitate , ho-
„ neſtate , manſuetudine , charitate , & deſiderio amoris fer-
„ uentioris ; tu teipſum in medio illius pro quiete collocaſti. Oh
„ amor, oh vita mea, ô lux oculorum meorum.

Quid gratiarum dignè reponam tibi , ô Rex munificentiſ-
„ ſime ! Nil remanet in me præter promptam voluntatem,
„ corculumque iſtud , quod quamuis de re tua ſit , ne quæſo
„ tamen reſpuas oblatum : accipe , & conſtringe tibi, ne ad me
„ redeat ; feciſti enim mo velut vnum de promptuariis benefi-
„ centiæ tuæ , in quo gratuita dona , & ingentem cumulum
„ bonorum tuorum depoſuiſti. Tunc benigniſſimè accepiſti
„ oblatum cor , colligaſti tuo , imperij tui iura in eo exercui-
„ ſti , & poſt hæc ſacras nuptias denuò cum ſerua tua cele-
„ braſti.

Iterum dixiſti : Statuo in hoc corde cœlum , aulamque
„ meam in tranquillitate , puritate , & charitate. Hîc ſeruari
„ volo leges , ac mores cœlitum. Quæ autem ſunt leges , aut
„ qui mores cœlitum ? Amor , laus , & viſio Diuinitatis com-
„ plentis omnia bonitate , atque felicitate ſua. Heu me ! tunc
„ dixi : Cur ergo ſinis me tamdiu circumligari , & opprimi hac
„ mole corporea , qua trahor ab amore tuo perfecto ? Mori
„ neſcio , & tamdiu viuere nolim. Ita me dolentem & languen-
„ tem tunc tranſtuliſti in amabilem ſinum Patris tui , & dixi-
„ ſti : Hic amabis , hic videbis , hic fruêris amore perfecto , ac
„ puriſſimo , cùm te traduxero in domicilium meum cæleſte,
„ quod eſt ſedes amoris , & amantium.

Aliàs exacuens me ad amorem paupertatis, dicebas : Vulpes
„ foueas habent , & volucres cœli nidos ; filius autem hominis
„ non habet vbi reclinet caput ſuum. *Matth.* 8. Sit ergo mihi

Digitized by Google

„ pro domicilio anima tua ſimplex, & multis egens, & pro pul-
„ uinari porrige mihi cor tuum. In ſynaxi verò de eodem cor-
„ de feciſti tibi præſepe, vbi nudus iacuiſti, & amorem pau-
„ pertatis inſinuaſti hoc argumento: Qui diligit me, quæ ipſe
„ diligo, diligat; nemo enim rectè diligit me, qui mea non
„ diligit. Ego paupertatem maximo ſemper in honore, &
„ inter chariora habui; ergo lætanter tu quoque amplectere
„ corporis egeſtates, nominis ignominias, & anguſtias ſpiritus.
„ Noueris æquo animo carere ſpiritualibus deliciis, & abne-
„ gare teipſam.

O magiſter bone, docens docuiſti me, obedientiam eſſe
„ ſepulchrum voluntatis humanæ, & iure æquiori voluntа-
„ tem Dei eſſe ſepulchrum animæ, fortiterque concitaſti me
„ exemplo tuo ad obedientiam. Vt ritè inſtrueres me ad ſyna-
„ xim, compoſuiſti hortum deliciarum in anima mea. Arbo-
„ res, dicebas, bona deſideria ſunt; flores ſanctæ cogitationes;
„ fructus opera virtutum; fons aquarum contritio cum amatis
„ lacrymis; viæ ad ambulationem ſponſi humilitas, tranquil-
„ litas, & ſancta cordis iucunditas; thalamus, & lectus nu-
„ ptialis meditatio feruens, mentis collectio, & nunquam defi-
„ ciens oratio. Celebraſti tota die præconia caſtitatis, & vera
„ cum gloria de te prædicabas, quòd eſſes Deus Rex, & ſpon-
„ ſus zelotypus animæ meæ, nullum ferens corriualem. Sed
„ heu me Deus veritatis! grauibus redarguiſti me de infractio-
„ ne fidei, & de non benè reiecto concurſu riualium. Peperci-
„ ſti tamen Rex clementiæ, & mœrore deiectam ſuſcitaſti,
„ dicens: Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere vt in-
„ tueamur te: ne expaueſcas, ego ſum reſurrectio, vitaque tua.
„ Amanti me caſtigationes dulces ſunt, quia ego, qui caſtigo,
„ ſum eorum lætitia, amor, & vita. Denique in ſynaxi con-
„ ſolidatum fuit fœdus coniugij noſtri, reſtaurati actus amoris
„ mutui, & renouatæ litteræ cordis per cordis tui mirabilem
„ applicationem.

Quid vltra addam? Tu te dixiſti intentas ſemper geſtare
„ aures, oculoſque petitionibus, ac votis meis, & omni tem-
„ pore patêre cor tuum amoribus noſtris. Pater beneuolen-
„ tiam, Spiritus ſanctus protectionem pro me condixerunt. Tu
„ noua pignora amicitiæ contuliſti, ſculptis in corde meo inter

litteras

„ litteras ſacri Nominis tui IESVS, quinque amandi te ratione-
„ bus, ſeu modis, qui quaſi ſtygmata quinque cor ſeruulæ
„ tuæ mirificè illuſtrarunt, vt in littera.

Proximo iam die, quo apud eas Sanctimoniales redintegrantur vota ſolemnia, ſponſa in eo tota erat, vt de ſe victimam Deo faceret; tunc nobilis, ac diues ſponſus manum, opemque ſuam præbens, omni eam decore, & ornamentis colluſtrauit, queis facit ſplendeſcere ſponſas ſuas. Spectabilis inter alias erat puritate cordis, innocentia, ſimplicitate mentis, profunda humilitate, contemptu ſui, viua fide præſentis Dei, ſingulari in eum fiducia, & veſte nuptiali charitatis. Atque hoc virtutum in apparatu gratum holocauſtum labiorum ſuorum Deo deuota obtulit. Non defuit ſacrificio ſupernus ignis amoris, qui toto triduo etiam ſacrificantem combuſſit; vna tantùm mœſtitia lugentem, quòd adhuc iacens in terris minùs amaret Deum, quàm Sancti in cœlis. Quadam præterea nocte ſponſus ſemiſopitam inuaſit ex abrupto, excitauit à ſomno, pulſu cordis ingreſſum quærens: cúmque pateret, regia cum Maieſtate introiuit, ſuauiter animam ſibi ſubiecit, repleuitque per præſentiam ſuam noua lucis claritate, & dilectione bonitatis æternæ. Fuit iſte gaudiorum cumulus, & ex tali Dei poſſeſſione ſponſa putauit adueniſſe ſibi omnia bona; nondum enim hucvſque, nec talem, nec ita longam poſſeſſionem experta fuerat. Senſit cor ſuum diuino amore purgatius, ſeque omninò abſorptam à Deo. Aſpectus ipſe rerum creatarum Deum oculis referebat, nec tam ſeipſam, aut creata, quàm Creatorem in illis videre ſibi videbatur.

M. DC. LIV.

Epiſtola diei 7. Februarij.

ETſi tuas pro me ad Deum ſupplicationes, & totius anni ſacrificia valde propitia agnoſcam, maximo tamen mihi in deſiderio ſunt hiſce diebus, quibus ſancta nos Mater Eccleſia ad lacrymas, ad ieiunia, ad caſtigationes, & ad omne pœnitentiæ genus prouocat, lugubri memoria paſſionis, & mortis diuini Sponſi, Saluatoriſque noſtri. Nulla eſt anni pars,

Digitized by Google

cuius recurſus tantis mihi ſit in deliciis, quantis ſacratiſſimum tempus Quadrageſimæ, in qua plus cæteris elucent acta amoris, & charitatis Filij Dei, qui neci ſe tradidit, vt à nece tutos nos faceret, pluris æſtimans ſalutem noſtram, quàm ſuam. Hebdomada proximè lapſa Apoſtolus Paulus conuerſione ſua pabulum præbuit meditationibus noſtris. Ego præ cæteris admirata ſum huius militis Chriſti amorem fortem, & conſtantem in perferendis anguſtiis, & tribulationibus ſuis. Credas velim, nihil mihi pariter contingere poſſe iucundius, quàm vt moriar ipſa mihi, & ſolus in me viuat IESVS NAZARENVS: nam non rarò prauæ propenſiones, quantumvis eas deſtruere enitar, me reddunt infidelem, & plerumque redarguor à ſponſo, quòd lumina gratiæ ſuæ non propè ſequar. Ora vt hoc ſacro tempore reparem pœnitentia, & feruore ſpiritus tranſactas infidelitates meas, & de paſſione Chriſti, in qua emicat ſplendor omnium virtutum, plus ſolito proficiam. Certè ille gerit ferinos ſpiritus, & pectus marmoreum, quem non emolliunt tot, tantarumque virtutum, & exemplorum ſpecies. Vale.

Epiſtola diei 11. *Nouembris.*

PErgratum mihi ſemper, & periucundum eſt, Pater optime, tecum in colloquia venire, ſiue per litteras abſente, ſeu verbo coram: quamuis vt rebus aliis, ita & congreſſu, aſpectuque tuo expoliandam me prædixerit in ſolitudine Dominus. Faxit ille quodcumque ſibi libuerit, ego ſicut imperiis parebo, ſic acquieſcam iudiciis.

Ille me vt à ſociarum conſortio ſolitaria, & curis vacua ſecederem, præmonuit. Ille non aliter ac amantiſſimus Pater infantulam per obſcura ſolitudinis manuduxit. Indicauit autem primùm deuia, ad quæ deflexi pedes meos, videlicet malè ſeruatam fidem, cogitationes ſubnaſcentes ex inſolentia ſenſuum, manentem in fibris cordis philautiam, non euerſos affectus inordinatos, erroreſque cæteros, in quos elapſa conſuetudo deduxit aut ignaram, aut nimis facilem. Inter tot mala hoc boni à ſponſo aſſecuta ſum, vt errata mea abundè defleuerim, deflenti miſericors pepercerit, dummodo vi-

tia

Digitized by

tia virtutibus, & iacturam temporis ampliori diligentia ſarciam.

Miſericordia igitur conſecuta incedebam à pondere iniquitatum mearum leuior, & veluti à Baptiſmo candidula puellula, quam Pater, quam Filius, quam Spiritus Sanctus priſtinam in amicitiam repoſuerunt, reſtitutis gratiæ, & charitatis indumentis. Immò quoniam quæ perierat, inuenta, & regreſſa eſt, occiſo vitulo ſaginato epulum cum Angelis factum eſt.

Poſt puſillum reuulſis vndique aggeribus, torrentes bonitatis, ac miſericordiæ diuinæ deuoluti ſunt in alueolum cordis mei iis omnibus viis, ac inuentis, quibus amabilis ſapientia nouit, poteſt, & vult animas ſeipſis, & illegitimis amoribus euacuatas inundare. Quæ, & quanta hac occaſione fecerit Dei clementia, numerato recenſere non liquet. Rem verba non æquant: admirari licet, loqui non licet: pleraque lumine intellectus vidi, non tamen omnia percepi, etſi omnia ſenſerim. Infudit ſe Rex potentiſſimus per ſingulos animæ meatus, continuit cunctas facultates ſubiugatas dominatui ſuo, agendi mihi locum non reliquit. Nonnunquam animulam in tenebras traxit interiores, vbi ſuis ipſa oculis velut vmbra euanuit. Exultabam aliquando incredibili gaudio, & inſolito iubilo. Nil mihi vnquam lætius, nil vllo tempore lautius.

Guttulis me diuinæ fruitionis cum Cœlitibus intinctam putabam. Heu me! quid hîc ampliùs traho vitam ſuſpiriis triſtem? Quid non à terreſtri, & iam inueterati mœroris ergaſtulo ſolutus ſpiritus in ea loca tranſmeat, vbi plenis hauſtibus diuinos ſponſi bibat amores! Parce, Pater, irritor dulcedine, ſollicitor ſiti amatoris mei, qui præter hæc igneis ſagittis miſellam ſæpenumero confixit; eam tamen non tantumdem ſagittæ, quàm ſagittifer amor confecit. Cecidi vulnerata, & ſi quid ſuperextitit vitæ, non tam viuentis vitæ, quàm languentis mortis reliquiæ erant. Quis aliquando amantium terminos amoribus impoſuit ſuis? Neſcit amor dicere, ſat eſt, quia amori nihil eſt ſatis. At quoties ego telis amoris ſaucia voci ferabar; *Satis eſt, Domine, ſatis; pluſquàm ſatis eſt, Domine.* Quodque tuipſe Pater magis mirabere, quo ego longiùs tela declinabam, occultando me ſub latebras indignitatis, nihilique mei, eo ille

frequentioribus, acrioribuſque telis inſtabat. O diuinæ benignitatis abundantias! ô cœleſtium amorum incomparandam potentiam! Denique, ne te pluribus detineam, quæ in hac vltima ſolitudine geſta ſunt, ſplendida, & ampliſſima ſunt, humanamque fidem ſuperexcedentia, atque in ſummitate mentis patrata; quorum concitationi quemadmodum vires meæ non reſpondebant, ita neque narrationi verba, quantumvis induſtriè conquiſita. Quare de iis conticeſco, & ad reliqua acta ſolitudinis pergo.

Leges in annum mihi propoſitas vnà omnes comprehendo: derelinquere videlicet hoc miſerum meme, præ oculis voluntatem Dei habere perpetuò, vt nullo refragante in me regnet Sponſus cum Patre, ac Spiritu Sancto.

Quam vtcumque potuit ſimplicitas, inſipientiaque mea rudi ſtylo contexere narratiunculam de impertitis à Deo mihi donis, deque priuatis amoribus noſtris, ad te tranſmitto: ibi copioſas opes in me à diuina munificentia collatas animaduertes. Verùm te opto admonitum, me perquàm ægrè ad has ſcriptiones inclinari, immò, & nullo modo exequi poſſe, ni is, qui mihi per miniſtros ſuos faciendas imperat, identidem, vt fiant, vires ſubminiſtraret. Opifex enim Deus operum ſuorum ſublimia internoſcit; ego autem, etſi peculiari ſenſu acta percipiam, non omnia tamen æquali intellectione. Ipſi vni æterna ſit laus, ipſi immortalis gloria, qui celſitudinem ſuam ad hunc vſque puluiſculum ſua miſericordia animatum demittit. Quæſo te, non niſi noto, & fideli, vt referat aduerſaria hæc mea, credas, ſicut ego fideli latrici.

Rogo etiam, & tantùm mihi de te polliceor, vt aliquid gratiarum Deo pro me reponas, ne minùs grata habear de beneneuolentia, atque beneficentia ipſius, qui indeſinenter in viſceribus cordis mei clamitat: *Ama, ama, tantoperè ama, donec in amorem ipſum tota transformeris: in hoc corde ego viuere, hîc regni, dominatuſque mei alta officia exercere volo: quicquid agam ſuſtineto; quicquid egero, ratum eſto; quicquid gratis dedero, gratioſè accipito.* Ecce, Pater mi, familiares, quotidianaſque collocutiones ſponſi ad inopem ſponſam, cuius ille tanto flagrat amore, ac zelotypia, vt accedentem corriualem arceat omnem; ſolus dilectione tota, veneratione integra, & plenis illecebris, ſine

corriuali

corriuali potiri vult. Oh si me ille tali, ac tanto munere dignetur! Præstabit, spero, in gratiam deprecationum, sacrificiorumque tuorum, si tu Patri immolaturus, me, sociasque meas cum sponsa offeras, quo die religiosa promissa annuatim rata facimus, imitantes in templo oblatam Virginem Mariam. Vale.

Additiones.

Etsi hæc epistola sat enucleatè referat acta huius solitudinis, multò enucleatiùs patefient ex ea narratione, quam ipsamet sponsa à se exaratam nobis transmisit, his ferè verbis:

Pridie, quàm me traderem solitudini alliciebar à sponso ea „ liberali, dulcique inuitatione: Veni sponsa, veni mecum in „ desertum, ibi diuina loquar ad cor tuum, ibi te de gemina „ mamma misericordiæ, & bonitatis lacte potentissimo refi- „ ciam. Hauries de mamma misericordiæ veniam, de mam- „ ma bonitatis pristinos amores, cum nouitate spiritus, quibus „ me posthac feruentiùs, fortiúsque diligas. Cui ego: Ecce me, „ loquere Domine ad famulam, & doce me facere omnem vo- „ luntatem tuam; en in spiritu humilitatis auscultо verbum „ tuum. Ego abyssus peccatorum, & cloaca iniquitatum. „ Itaque auscultanti mihi hæc primùm sapientissima axiomata „ denunciasti Rex, & Magister meus: Oportet, & legi æqui- „ tatis consentaneum est, te vsque ad nihilum deprimi, glo- „ riam verò meam exaltari. Te despici, & nullo in numero „ esse, vt collauder, & magnifiam ego. Te abiici, & in „ obscuris latêre, vt clarescat nomen meum. Te mori, vt ipse „ in te, & pro te viuam. Silere te, vt ego Rex, Magisterque tuus, solus in te loquar.

Deinde iussisti, vt me, meaque omnia apud te, & in ditione „ tua deponerem, essemque tanquam pugillus argillæ sub manu „ figuli, vnde pro tuo sapienti iudicio, & ratione quamcumque „ velles speciem, aut figuram efformares, seu vilem ad vilia, „ seu nobilem ad nobilia; idque tam virga afflictionis, quàm ra- „ dio consolationis. Sed hoc modicum est, Domine mi, dispo- „ lia, & disperde me totam in te. Itaque grata rerum vicissitu- „ dine, ordineque dierum cæcam deduxisti per varias semitas „ huius deserti; & multiplicatis officiis tuæ misericordiæ notio-

rem

Digitized by Google

„ rem mihi feciſti bonitatem, amoremque tuum. In nocte om-
„ nium Sanctorum induxiſti in cellam vinariam, & inebriaſti
„ potentiſſimo, atque ſuauiſſimo vino amoris tui, quo Cælites
„ perfruuntur.

Immortales gratias tibi ago Domine, quòd immeritam ag-
„ gregaueris cœtui filiorum tuorum in gremio matris Eccleſiæ
„ paſcentis prolem ſuam pane vitæ, & ſanguine ſponſi : cuius
„ boni, ne me expertem relinqueres, accumbere iuſſiſti men-
„ ſæ tuæ, cœleſteque nectar ebibere de latere cordis tui diſ-
„ ciſſi lancea amoris propter eos, qui amant te. O quin morta-
„ les omnes in ſinum huius Matris credentium confluunt!
„ quin conuolant! Cur non ſaginantur hac eſca vitali, & ine-
„ briantur hac ambroſia angelica? Sed, ô Domine, cur non
„ ego tecum ſanguinem, vitamque profundo in opem eorum,
„ quos ſaluaſti? Quantum verò tibi debeo, quòd me miſellu-
„ lam in meliorem, & illuſtriorem partem familiæ tuæ aſciuiſti,
„ cùm me in contubernium ſponſarum tuarum traxiſti? O
„ quàm opulentum theſaurum in clauſtro inueni, Ieſum vide-
„ licet, in quo ſunt poſiti omnes theſauri Dei? Quid dicam
„ ampliùs de beneficentia Domini mei? Etiam inter ſectato-
„ res, comiteſque tuos connumeraſti me, vt ſic nemini ſplen-
„ dore beneuolentiæ tuæ cederem. Dixiſti enim quod olim
„ Apoſtolis : Sequere me; ſequere autem non à longè, vt qui-
„ dam; ſed propè, ad latus, & è veſtigio, de quibus longo
„ ſermone ſic effatus es. Eorum qui propè ſequuntur me, ſicut
„ ſunt genera duo, ita & in binas claſſes diuido. Quidam viam
„ regiam mecum ſectantur per tribulos, & ſentes, patienter
„ propter me tolerantes paupertatem, ludibria, morbos, per-
„ ſecutiones, & alias innumeras cruces. Aliis planior, & paca-
„ tior panditur via, iis nempè, qui pacificè dies ſuos in timore,
„ & amore meo traducunt, ſemper ambulantes in conſpectu
„ Dei, humiles, ſæculo ignoti, apud ſe viles, & omnium mi-
„ nimi; mihi verò toto animo, ſtudio, & actione addicti, quos
„ ego velut infantulos beneuolentia teneriori complector,
„ abundantiùs, ſuauiúſque communicans meipſum, vt his
„ blanditiis illecti familiariùs adhæreant mihi, cuius deliciæ
„ ſunt eſſe cum humilibus corde. An verò putas iſtos ſua quo-
„ que carere cruce? Falleris. Amor ipſe crux eorum eſt, diu,
noctuque

„ noctuque viſcera ipſorum corrodens, dum ſe vident non ſat
„ feruenter amare, quem ſemper adhuc feruentiùs amare
„ æſtuant. Moleſtiſſima amantibus eſt ea amoris menſura,
„ quam non pro arbitratu, ſed ſecundum infirmitatem conce-
„ dit amandi facultas.

O inferne, ô cloaca malorum omnium, quàm odi te!
„ Quantum auerſor, quantum deteſtor, & execror, quia in
„ te non amatur Deus, & quoniam ad inferos nulla patet via,
„ aut lux diuini amoris?

Quàm amo te, quàm totis viſceribus amplector te pauper-
„ tas ſponſa Domini mei Ieſu! Qui te ſpiritu poſſidet, ſum-
„ mas diuitias poſſidet; poſſidet enim Chriſtum, qui vera eſt
„ animi opulentia. Cuius vt appetentia exacueretur guſtu,
„ ſponſus tunc expoliauit me omni re, & affectu omni non
„ fluente à nudo amore Dei. Nudus nimirum amor Chriſti,
„ non niſi animæ nudæ copulatur.

Audi filia, dixiſti Domine. Ego vt morem gererem cun-
„ ctis voluntatibus Patris mei, omnia arbitria mea conſepeliui
„ in ſinu ipſius: ſepeliant modò omnes ſponſæ meæ in eodem
„ ſinu vniuerſas voluntates, ac deſideria ſua. Tu verò ca-
„ ſtiſſimus ſponſus rurſum in ſynaxi ſtrinxiſti amabilem no-
„ dum connubij noſtri, monens vt hortum meum ſolerter
„ concluſum teneam, ne in eum quicquam alieni amoris ir-
„ repat.

Et alia die parans me ad ſynaxim dixiſti: Ponam in te thro-
„ num meum, poſuiſtique myſticis virtutibus fabricatum.
„ Stabant ſuſtentando throno columnæ, ideſt virtutes quatuor;
„ humilitas, puritas, patientia, & obedientia. Per ternos gra-
„ dus erat aſcenſus ad eum, nempe per mortificationem, ſilen-
„ tium, & orationem. Pro brachiis, & dorſuali ſplendebant
„ cordis puritas, tranquillitas animi, & placiditas ad proxi-
„ mum. Denique ſedile Regis ſternebatur regina virtutum
„ charitate. Hunc tibi thronum cùm ſtatuiſſes in corde meo,
„ diuinus opifex, in eo ſediſti regali apparatu, quieuiſti paci-
„ ficè, & opera inexplicabilia operatus es.

Quid addam patrata itidem poſt aliam ſynaxim? Produxi-
„ ſti parens clementiæ vbera duo; miſericordiæ, qua reſipiſ-
„ centes à vitiis; & bonitatis, qua ſponſas tuas enutris; & de

„ vtroque ſponſam tuam fugere feciſti plenis labiis, plenoque
„ ore lac incomparandæ dulcedinis.

Docuiſti itidem humilitatem prædatricem eſſe cordis Dei,
„ facileque illud in ſua retia trahere; vtque ad hanc prædam
„ feliciùs me accingerem, cor tuum mitiſſimum, atque hu-
„ militatis prototypum appoſuiſti in ſynaxi ſuper cor indigniſ-
„ ſimæ famulæ tuæ, vt ſanguine tuo intinctum, virtutis quo-
„ que tuæ formam humili exercitatione teneret.

Præter hæc, aliaque multa pietatis tuæ benefacta, Domine
„ Deus, qui ſponſum meum Principem, & Caput vniuerſorum
„ hominum vnxiſti oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, ſenſus
„ quoque interiores ſponſæ inungere voluiſti vnctione ſpiri-
„ tuali, & vnxiſti dulciſſimo illapſu, necnon præacuta penetra-
„ tione præſentiæ tuæ, qua viſcera, medullæque animæ meæ
„ pluſquàm balſamo cœleſti pingues exultabant.

Quid plura? Poſt varios circuitus, emenſis ſolitudinis no-
„ ſtræ cunctis ſpatiis, & repetitis quinque illis axiomatibus,
„ quæ in ipſa ianua præſcripſeras, hoc vno breui elogio itinera
„ noſtra religiosè terminaſti: Eneca voluntates tuas omnes, &
„ in ſepulchro diuini placiti ſepelito. Ita fiat Pater ſancte, ita
„ Sponſe dilectiſſime, ita Spiritus Paraclete.

Legitur autem in eiſdem manuſcriptis præceſſiſſe currente hoc ipſo anno alias, atque alias diuinæ præſentiæ communicationes, illuminationes, & operationes difficillimæ narrationis: in exemplum vnam, aut alteram adducam. Aſſerit ergo primùm renouatum ſibi fuiſſe in ſecunda Dominica Quadrageſimæ præceptum de nihil agendo remiſsè in Dei famulatu, ſed omnia cum exceſſu, ſumpta occaſione ex Euangelio, in quo Chriſtus loquebatur de exceſſu; perſuaſumque ſibi fuiſſe eadem die à Spiritu dictante, vt tanquam mox è viuis abitura teſtamentum conderet iuxta formam traditam in libello, cui titulus eſt, *Conflictus ſpiritualis.* Teſtamentum illa in procinctu condidit, Deo optimo Maximo omnium hærede ſibi nuncupato, quod & perpetua ſyngrapha obſignauit, nullo vnquam tempore oblitteratura. Sero autem eius diei cùm pro ſomno decubuiſſet, repentè illuxiſſe ſibi aſſerit radium miræ claritatis, ac iucunditatis; ſeque poſitam ante conſpectum ſanctiſſimæ Trinitatis, tranſiſſe in abſolutam Dei poſſeſſionem. Ea

Pater

Digitized by Google

Pater vti voluit pro domicilio, Filius pro throno, Spiritus pro nidulo. Ipsa verò audiuit sibi dictum: *Iam nihil tui tuum est, testamentum condidisti: quicquid habes, quicquid es, legato nostrum est; mortua enim es: ergo in te viuere ipsi debemus.* Factaque subinde est tam potens, ac suauis vnitio sponsæ cum Deo, vt superexcedat omnem humanum sensum, atque omnem dicendi facultatem. Sponsus verò nouam, & nouo modo possessionem cordis sponsæ iniit, quasi ad se spectantis nouo iure testamenti, noua item ratione collatæ gratiæ.

Cæterùm, aiebat sponsa, quas reliquo anno passa sim amo-
„ ris Dei efficientias, neque mihi memoria reddit inuiolatas,
„ neque stylus verbis sat accommodatis. Alius stylus, & alia
„ verba quàm nostra desiderantur, vt propè ad has res refe-
„ rendas accedatur. Plurimas, atque permaximas tibi, ô
„ Deus optime, gratias ago vniuersim pro singulis donis tuis;
„ peculiares autem de dono quintuplicis amoris in dotem nup-
„ tiarum nostrarum à Maiestate tua ipso die Visitationis Beatæ
„ Mariæ mihi dispertiti: amoris nempè æquanimiter ferentis
„ languores, & quæ molesta sunt; amoris cum bona spe, &
„ expectatione placita Dei præstolantis; amoris puri, nudi,
„ recti, ac nitidi; amoris constantis, & amoris ad vsque exi-
„ tum vitæ perseuerantis. Cuius sanè doni fructum sicut dicto,
„ ita & facto probatum mihi esse voluisti, quoties meditandæ
„ passioni, aut actis amoris tui intendo. Hæc quintuplicis amo-
„ ris insignia impressa in corde meo posuisti, velut signa, ac
„ pignora amoris tui, necnon loco stygmatum, quibus San-
„ ctum, Seraphicumque Patrem Franciscum decorasti. O
„ amor infinite, inuincibilis, immense, incomprehensibilis,
„ ineffabilis, inæstimabilis, inappretiabilis, inexcogitabilis.
„ Quid sunt plagæ, & vulnera in corpore tuo, præterquàm
„ voces, & ora patentia, quæ continuò exclamant; ô amo-
„ rem, ô amate hunc amorem, ô patimini pro hoc amore: ô
„ amate, amate, amate hunc Deum amoris, qui dignatus est
„ pro vestro amore mori?

Digitized by Google

M. DC. LV.

Epistola diei 3. Ianuarij.

ADhuc recenti experientia suauitatem suam gustatam à me voluit benignissimus Dominus in natiuitate sua. Rursum expressit in anima mea speciem, vultum, verba Infantuli Iesu, propter nos in hanc lucem editi. Vtinam fixa pariter remaneant in corde, in sermone, actionibusque meis exempla virtutum, quæ de superis attulit. Nonnulla enim quandoque insurgunt, quæ animo molestiam, & naturæ nauseam pariunt: conor tamen illa æquiore mente, & pulsa nausea ferre, vt sine contradictione obtemperetur decretis Dei, qui hoc pharmaco purgat animas morbis, aut saltem hoc facto docet discernere, quàm sint malè sanæ, ac imbecilles vires nostræ. Quotidie accingo me ad vincendas eiusmodi insultationes, studiosiúsque contendo chariorem habere abiectionem, & ignominiam, quàm laudem, ac dignitatem. Totam, nulla re excepta, me vult Deus. Habitet ergo perenniter in suo nidulo Spiritus, in sua domuncula Pater, in suo throno Filius; quandoquidem statiuam, & perpetuam sedem ibidem elegerunt sibi, si non inde à me malo meo propulsentur. Quid vltra? omnia mihi & super omnia Deus. Ipsius ego similiter tota, & animo, & officiis esse volo: eius arbitria erunt mihi semper sola, lataque regula mearum actionum. Vale.

Epistola diei 24. Martij.

ÆThiopissam lauo, Pater mi venerande: magnis desiderationibus grauida, nil præter abortiuos fœtus edo. Non me producta vsura temporis, non Sororum exempla, non Matris nostræ hortationes ad vlteriora prouehunt; fluxam fidem gero, promissionibus ditior, quàm actis. Stat quo gradu stabat procliuitas ad propria; minùs valens sum, quàm vt hunc infestissimum hostem expugnare, aut à me ablegare possim; de iis præterea adhuc sum, quorum animus adumbrato zelo charitatis detentus, faciliùs de sua sede ad extera vagatur, quàm inde

Digitized by Google

inde ad ſeſe regrediatur. Frequens errorem iſtum meum improbat, & ferula quatit Magiſter, & Legiſlator meus, ſuadens eò traducendam omnem cogitationem, curamque meam, vt propiùs imitatione exprimam ſuam in paſſione deiectionem, dolorum tolerantiam, æquanimitatem, & contemptionis amorem. De hac paſſionis contemplatione duo radicitus hærent animo meo, horror nimirum peccati, quod authori vitæ vitam eripuit, & honor debitus beneuolentiæ Chriſti, qui extinctione vitæ ſuæ, vitam nobis gratiæ, & gloriæ peperit. O amator hominum, vt quid in vnius mulierculæ ſalutem iactura tanta facta eſt? Væ mihi ingratiſſimæ, ſi vſqueadeò præſtans beneficium neglectui, aut obliuioni dedero. Sponſus hoc mane mecum renouauit ſponſalia, protulitque, ac tradidit ſua ornamenta, ideſt imitandas virtutes, quibus ipſiſſimam ſpeciem ſuæ ſanctitatis geram.

Accepi quam remiſiſti propoſitam mihi viuendi normam: oro liceat cum tua bona venia percurram libellum, cui titulus eſt, *Poſtrema certamina Eccleſiæ, excerpta de libro Apocalypſis.* Te inſcio, aut renuente, ne in ipſos libri cortices oculum feram. Stat conſtans cordi voluntas è viuis priùs, quàm ex obedientiæ fide diſcedere. Vale.

Epiſtola diei 20. *Iunij.*

FAuſtos dies Iubilei auidè, ne dicam anxiè expectamus, Reuerende Pater. Faxit Deus, vt ad gloriam ſibi, nobis ad expiationem proueniant. Ego nil tantoperè expeto, quàm vt datis à Deo deſideriis maiori, meliorique modo per me ſatisfiat, vtque cùm ſit omni amore digniſſimus, à me pro merito melius, quàm hactenus diligatur. Sed quid ſtulta audeo? Quid audax dico pro merito? Deum competenter diligere nuſquam, ac nemini dabitur, niſi quos ille inter perpetuos amores in æternitate tenuerit ſibi deuinctos. Vale.

Epistola diei 7. Augusti.

HEu me! orba videor ductore, tamdiu destituta alloquio, præsentiaque tua, non sine aliquo animi fastidio. Profectò absentia tam longa acerbior mihi foret, nisi volente Deo fieri pro certo haberem, cuius mihi ante omnia statutum est voluntatibus obsequi omni cum lætitia, & voluptate. Hanc enim primam, regalem, & generalem lectionem, seu exercitationem sponsus prælibat sponsabus suis, vt totam vitæ suæ rationem ad omnem nutum diuinæ voluntatis componant. Ille me dudum inter auditrices sponsas adnumerauit, quamuis eo gradu, ac titulo indignissimam, eo quod promissa fidei, & amoris tributa antehac non bene persoluerim. Iam transigitur annus trigesimus octauus, ex quo sacrata, & religiosa indumenta suscepi de dextera Beati Patris, & Fundatoris nostri, ipsa die Beatæ Mariæ ad Niues. Iamque clauditur annus trigesimus septimus, ex quo idem Beatus Pater, ac Fundator audiuit in die Sancti Hyppoliti promentem ore proprio vota religiosa, benigneque inscripsit catalogo sponsarum Christi. Inde mihi de fructuum inopia, sterilitateque mea maior animi pudor; inde angor conscientiæ acerrimus, & merita apud Deum, & homines derisio. Ignoscendum tamen mihi spero, & emersuram de me frugem vberiorem, si precibus tuis habueris commendatam. Deliberaui, sic me ille adiuuet, Deum diligere amore constanti, & inter cruces, atque contemptus perseueranti. At ecce iam plaudit, iam lætitia exilit cor meum de proxima profectione in solitudinem: quo die contingat, ignoro, præsentio tamen buccinam progressui insonantem. Ad iter paro me, ita me sponsus manuducat, recipiat, & vt solet, erudiat. Vale.

Epistola diei 13. Octobris.

BOno omini mihi sit benedictio tua, Reuerende Pater. Rationes hîc positæ ratiocinia sunt meæ solitudinis proximè obitæ, cuius effecta, & consulta latiùs capies ex adiuncta breui syngrapha, quam ad te mitto.

Quoniam

Digitized by Google

Quoniam oraculo vocis tuæ iamdudum carui, & careo, dux, & comes itineris mihi extitit amantissimus sponsus meus, deditque sine turbine dies, & sine molestia horas transigere. Ne me hac cura leuaret, obstabat equidem turma non exigua vitiorum meorum; sed obices superauit facilitas ducis, cui satis fuit detexisse, & exprobrasse mihi hostium meorum capitaliores. Arguebat enim me in hac acie non sat vigilanter excursiones sensuum, & impetus passionum compressisse; sibi, spirituique suo campum non planè cessisse vbi liberè operaretur, dum philautiæ, propriæque voluntati locum seruaui suum. Conquerebatur non creuisse virtutes, quia studio non alui; à diuinis quoque, & à conspectu suo ad terrestria sæpius defeciisse me, delusam specie charitatis; oppositque præter hæc alia nonnulla mihi antea, non Deo ignota. Ego difficeri non sum ausa, adscripsi culpæ, negligentiæque meæ, dixi; *Deliqui, Domine, deliquisse pœnitet*: & coram substituto sibi Sacerdote profiteri non timui erubescens.

Facilis pepercit ille, & nouo quasi baptismate lotam Pater redintegrata amicitia etiam hac vice in filiam benignè suscepit; Filius quoque in sponsam, ac seruulam; Paracletus in thronum templi sui. Sicque antiquior illa sedes, atque possessio rursum Sanctissimæ Trinitati in me constituta est. Quid magni animæ in solitudine, vbi bona omnia redundant, aduenerit à Deo, vix cogitatione assequor, ne dicam eloquio: exiguè enim, & obscurè theorias cœlestes enunciant verba nostra. Pridie quàm me in eum locum secretum à cœtu sociarum reciperem, sponsus (quod fusiùs continet syngrapha mea) ad rura me inuitabat, vt ibi apertis cordibus commodiùs colloqueremur. *Egrediamur*, aiebat, *foras; ibi abundantiorem amoris, meique copiam faciam tibi; ibi charitate inebriaberis in cella mea. Egrediamur; illic datis iam donis dona congeram pretiosiora.* Sic ille. Cúmque solitaria secum agerem, expositis thesauris gratiæ suæ potiri sponsam voluit, quam vellem partem capere peramanter passus est; & vt tot diuitias ritè continerem, animæ capacitatem amplificauit; vt animosior spicula amoris sui exciperem, & fortiùs sustinerem ictus, quos tunc eliciebat creberrimos, & acerrimos, pectus mihi firmauit robustius, viribus validioribus præmunitum; à cunctis rebus creatis amorem, & à mente ipsa

ipſa memet abſtraxit, fecitque vt excepto Deo, nulli ego placeam, nil mihi. Inſpirauit prætereà ardentem dilectionem Chriſtianæ humilitatis, ſanctæ paupertatis, ac proprij neglectus; docuit procul abdicare deſideria, curaſque omnes, atque vniuerſa in Deo, & in eius prouidentia reponere.

Sermo tamen, diſciplinaque noſtra maxima omnium fuit in contemplatione reconditiſſimi myſterij incomprehenſibilis Trinitatis, oborta mihi repente, neſcio quo modo, luce fulgentiſſima. Quid ego appellaui lucem? Sol erat in auge cœli mei, ſole noſtro fulgentior, qui typum quemdam inuexit rationi meæ conformatum, & impreſſionem ſupercœleſtis Triadis, in eadem vna, & ſimplici ſubſtantia, aut ſi mauis, eſſentia, de qua audiebam inaudita. Perſtringebat oculos mihi lumen illud indeficiens: verumtamen ita credibilem notitiam, ac fidem myſterij impenetrabilis attulit, ac ſi clarè illud oculis vindicaſſem, relicta in centro cordis eiuſdem Triadis ſpecie per ſui præſentiam. Dicebat verò ſponſus, Deiformem imaginem in homine ratione, atque ſapientia exculto eſſe impreſſam ad conciliandum eius amorem, officiaque amoris omnia erga prototypum ſuum, quem vnicè, plenè, ac perfectiſſimè diligere debeat, & contemplari; cùm nihil ſit homini eo melius, aut dignius, aut maius. In ipſo etenim vigent Theſauri bonorum omnium, deliciæ æternæ, vera requies, ſedes, centrumque ſummæ, ac ſupremæ beatitudinis, quem extra, neque integra, neque vera pax, non gaudium, non beatitas vlla reperiatur, eo quod nulla rerum, ſed nec vniuerſim res omnes appetentiam hominis lenire, nedum explere valeant, præter illud ſempiternum, ac ſubſiſtens bonum, bonis omnibus perfectiſſimum, à quo, & per quod factus, condituſque eſt homo.

Accedo ad calcem epiſtolæ, & ad concepta ex ſolitudine conſilia. Statui ſanctiſſimæ Trinitati ſemper hymnos laudis dicere, inceſſanter tributa cultus, ac venerationis perſoluere: Patri per viuam fidem, Filio per ſpem ſinceram, Spiritui ſancto per ardentem charitatem. Sicut Patre Deo gaudeo, ita gaudebo integram obedientiam, plenamque mei ceſſionem in eius arbitria referre. Vt amor meus expeditior, ac nudus feratur in Filium, res omnes non ſecus ac ſordida, veteraque veſtimenta abiiciam.

Digitized by Google

abiiciam. Ad omnem motum Paracleti mouebor, & ad omnem ſui flaminis motum celeriter fluam, vt videbis in ſyngrapha, quam oro remittas per latorem fidelem. Etiam, atque etiam rogo, & obſecro, Deum optimum Maximum pro me exores, quo data lumina, & omnem eius voluntatem ſedulò, & rectà inſequar. Imbecillitates ſiquidem, inſipientiaſque meas oſtendit ille mihi, quibus ad quemlibet greſſum impingo, ac prolabor, niſi potenti, paternaque manu ſua, vt infantula ſuſtinear: quamobrem omni vt in re mihi diffidam, ſibi verò prorſus confidam, monuit. Vale.

ADDITIONES.

Omiſſis, quæ paulò fuſiùs narrantur in actis huius ſolitudinis, & quæ paucis innuuntur in hac epiſtola de Dei communicatione, & operatione ſponſi, nonnullas tantummodò ſubnectam aſſertiones, quæ ad communem profectum ſpectant, videlicet; Hominem idcircò in hanc vitam editum, ratione, conſilio, & libero arbitrio præmunitum, vt erigeretur ad amandum Deum: atque adeò deperdi, ac deperire tempus illud omne, quod amando Deo non impenditur.

Eum qui declinat à lege diuina, expoliari titulo, & prærogatiua filij à Patre; iure connubij, & honore ſponſaliorum à Filio; gratia, & decore manſionis à Spiritu.

Dixiſti Domine ſeruæ tuæ; *Indue cæli puritatem munditia, vices, & eiuſdem cæli firmitatem conſtantia boni; nam anima pura, & conſtans, cælum mihi, & ſedes eſt, vbi molliùs quieſco.*

Quàm ſublime, ac pretioſum eſt adiungi familiæ Dei! Baptiſmo filiæ, Religione ſponſæ efficimur.

Sed neque tacenda eſt illa modeſti exempli præparatio ad hæc ſpiritualia exercitamenta, ad quæ vocata à ſponſo ſub ſpecie egreſſionis in villas, vt narrat epiſtola, variis ſimul & nobilibus titulis ab eo affecta eſt, deſumptis ex eodem fonte Canticorum 2. *Surge*, aiebat ſponſus, *amica mea, columba mea, ſponſa mea, veni in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Quæ encomia non potuerunt audiri à ſponſa abſque magna cordis amaritudine, & abſque repulſa: oppoſuit enim ipſamet minùs ſauens ſibi; *Quid amicam dicis? Dic inimicam, quandoquidem ritu inimicorum te toties, & tam grauiter offenderim. Columba minimè*

ſum, quia minimè ſimplex. Sponſa dicor fruſtrà, quia datam dilectionis mutuæ fidem tam ſæpè violaui. Diuortio potiùs, & thalami expulſione digna ſum, & de violatæ fidei culpa multari. O quàm mihi erit iucundius, ſi cruces, & ſpinas, ſi clauos tuos exhibueris, ſique ad ea caſtigationum genera præpares, quæ meis infidelitatibus congruunt, & ſolent à tua iuſtitia proficiſci: id ſi feceris, maximum à te beneficium conſecuta videbor, & gratias agam. Ad hæc ſponſus immiſſo fulgentiſſimo, atque efficaciſſimo radio lucis mentem modeſtiſſimæ ſponſæ colluſtrauit, & demonſtrauit, quàm infinitis ſpatiis diuina miſericordia ſuperexcedat hominum offenſas, quàm prona ſit in humiles, quàm piè ſuſcipiat ſacrificium cordis contriti, cuius etiam cauſa perquàm celeriter offenſas omnes memoria deponat. Fulgori autem eius radij inerat igneus ardor amoris diuini, qui vltra duas horas animam patientis exagitauit. Ea commotione ſponſa ſenſit ſe permultum inualuiſſe ſpiritu, reparatam in anima imaginem Dei, reluxiſſe in corde litteras diuini Nominis, ſeque multò magis vnitam diuinitati. Dulcia tamen colloquia, & vim operationum dicto recolere nequiuit.

Extremum ſolitudinis Beatiſſima Trinitas clauſit hoc colloquio: *Crede, ſpera, & ama: & quoniam quæ in te eſt noſtri imago, prædicat, te è re noſtra eſſe; quod hac ratione debes tributum, diligens ſolue.* Speciatim autem Pater dicebat; *Crede mihi omnipotenti; pro tributo redde fidem viuam, integram obedientiam, & prouidentiæ meæ ſubmiſſionem.* Filius; *Spera in meis pollicitationibus; pro tributo imitare meam humilitatem, paupertatem, patientiam, benignitatem, perſeuerantiam.* Paracletus; *Ama amore puro, & recto; pro tributo redde puritatem, ſimplicitatem, tranquillitatem, charitatem ardentem, & doctam tolerare. Quicquid agis, amanter age, & ex arbitrio Spiritus ſancti.*

Epiſtola diei 29. Decembris.

ABiens ad metam ſuam procurrit annus, in limine ſtat alter. Hunc à te multis benedictionibus inauguratum precor, ſi hac momentanea, & dubia vita longiùs vti dederit Deus. Profectò illa mihi per dies ſingulos inſuauior, infeſta, & exoſa magis obuenit, eo quod languorem, & imminutionem afferat amoribus

Digitized by

amoribus in Deum meis. Mane me hodie, dum sola agerem, & meditabunda, præuenit Deus sensu charitatis suæ, seu vt idem aliter dicam, præsentia sua; quid enim interest inter Deum, & charitatem? Natiuitatis suæ documenta tradens aiebat; *Ego qui deliciæ sum Patris, quique in eius deliciarum sinu recumbo, modò in brutorum præsepio vagiens infantulus iaceo. Quorsum? nisi vt amatores mei ablegatis rebus omnibus discant in eodem sinu Patris requiescere; sciant sese amoribus cælestibus sacras velut hostias immolare, vt demùm in diuinam Naturam traducantur? Hominum ego speciem non horrui, ne meam speciem horrescant homines. Acuat illos ad simplicitatem, ad humilia, ad innocentiam, ad silentium, mansuetudinem, & obedientiam infantia mea.* Hæc, & alia documenta multa de sede sapientiæ suæ prælibauit discipulæ puerulus, doctor, & sponsus meus. Ipso fauente renouauimus vota nostra; vt illa, & quæ in solitudine præmeditata sum, opere compleam, precibus faueto tuis, cui, vt par est, deuotam antiquitus obedientiam in sequentem annum recenter voueo. Vale.

M. DC. LVI.

Epistola inchoante Iulio.

Mediolanum.

MAximè Reuerende Pater. Accepi ab remeante ex Italia Præposito Parisiensi litteras tuas, de salute quidem tua iucundas, sed de futura absentia acerbissimas, dum me monent fore viduatam beneficio, & gratia charæ, paternæque præsentiæ tuæ. Heu me! iam satis diu te mihi subreptum defleueram, & licet diuinis arbitriis omnia cedere conarer, ægrè tamen filia patiebar diuortium ab amantissimo parente, & educatore animæ meæ. Hei mihi! posthac inter ancipites huius vitæ vicissitudines non alia supererit spes, quàm in Dei misericordia, in ope Beatæ Virginis, & in Præpositæ meæ oraculis. Quid porrò agam, quum æquissima Dei prouidentia mulctabit perfidias, delictaque mea, quæ à pluribus annis apud te cognita sunt, sicut & omnis ratio animæ meæ.

De qua vt aliquid innuam, scito me eadem pacis, ac tran-

quillitatis dulcedine frui, quam abſcedens vidiſti. Nonnunquam tamen ſpiritu frigeſco, ariditatis damna ſentio, & ab ſcopo meo interdum diſtrahor, diſtrahente me ingenti negotiorum turba. Verùm quoties ad me redeo, cæleſteque Numen per iteratos actus fidei, ſpei, charitatis, & cæterarum virtutum reuoco, celerrimè ad me quoque redit.

Per hæc proxima feſta Corporis Chriſti incubui in contemplationem venerandi cordis ipſius, in quo poſiti emicant omnes theſauri Diuinitatis, Humanitatiſque ſuæ; in contemplationem item admirandæ charitatis eiuſdem, quem pius erga nos amor in illud inanitatis ſpecimen induxit, vt corpus ſuum tanquam quid viliſſimum ſub ſpeciebus panis tegeret, remotum ab oculis noſtris. Diſcuſſi prætereà arcana ſignificata litterarum nominis ipſius, vnde ſoleo maximam animo carpere voluptatem. Denique nonnihil temporis in recognitione, ac veneratione ſupremi imperij ſanctiſſimæ Trinitatis inſumpſi.

Propoſita fuere, geſtare cor vacuum omni eo, quod non eſt Deus, Deum diligere tota virium contentione, amore puro, recto, fideli, & inter vniuerſa contingentia conſtanti. Poſtremò ſubſtare omnibus conſiliis, & decretis diuinæ voluntatis, abſentiamque tuam vtvt potero æquo animo ferre. Vale.

Additiones.

Director cœlum Gallicum mutauerat Italico, atque adeò quæ poſtmodùm miſſæ ſunt ad eum litteræ, Mediolanum, aut Romam miſſæ ſunt; ex condicto autem binæ quolibet anno.

Epiſtola diei 10. *Octobris.*

REuerende, ac vnice Pater. Quieſcebam in dilectiſſima ſolitudine Deo vacans, quum litteræ tuæ ſextiles ad nos peruenerunt, meque grato nuncio valetudinis tuæ exhilararunt. Non mediocres egi gratias Deo optimo maximo, qui te tam benignè ſoſpitat, vt officij tui grauamina ritè perferas: quin eumdem frequens exoro, amplioribus te donis Spiritus ſui ditet, queis valeas cuncta eius placita adamuſſim complere; in eo enim ſtat ſumma bonorum noſtrorum.

Quæ

Digitized by Google

Quæ mihi in ea solitudine euenerint, tibi, vnice Pater, paucis refero. Primo loco diuina misericordia obiectauit errata, infirmitatesque meas mihi, videlicet ignauiam in vsu, studioque virtutum, ingrati erga se animi labem, acceptis beneficiis non respondentia officia, obliteſcentem nimis de Deo memoriam, non satis cohibitam amoris, ac voluntatis propriæ petulantiam, non arctè positam metam propensionibus, & stultis habitibus meis, non strictè seruatas votorum, Ordinisque leges, quotidianas diuagationes sensuum, & cogitationum, atque eiusmodi alia sexcenta. Demissis ego oculis, & pudibunda fronte obiectata dedecora mea auscultabam; mœrens, & exosa ipsa mihi amarissimè de offenso Deo dolebam: veniam perquàm enixè deprecata sum, resipiscere proposui, emendare promisi suffragante gratia ipsius, qua deficiente deficiamus omnes necesse est.

In ipso limine solitudinis sic alloquebar magistrum, legislatorem, consulemque meum; *Loquere, Domine, ecce emptitia serua tua audit, ostende quid me vis facere.* Respondit ille præ benignitate sua; *Tria nunc à te peto, his volo incumbas attentissimè. Primò, summoue te moribus, vanitatibusque sæculi. Secundò, fuge, heu fuge tenuissimas quasque vmbras peccati. Tertiò, te à te ipsa conare dissoluere, vt summo semper bono tuo nunquam dissoluenda cohæreas.* Hisce basibus nixa consurrexit deinde tota exercitationis meæ disciplina; nam bonus ille Magister dictionis suæ veritates in dies latiùs diuidebat, definiebat, & enucleabat, tam dilucidè, tam amanter, & tanto animi mei sensu, vt ad eorum descriptionem non suppetant verba. Plus semel sacri Nominis sigillum in corde meo restauratum est: synaxes extitere insignes notis beneuolentiæ, & variis diuinæ bonitatis insinuationibus, illapsibus, atque vnitionibus. Accesserunt cordi crebra, eaque violentissima iacula diuini amoris, quorum aciem pungentissimam vltra perpeti nequibat animula mea, à sede sua ferè discedens. Oh quàm lubenti, hilarique voluntate liquisset vitalia hæc lumina, & carnis ergastulum, vt exsolutus spiritus ad æterna cœli bona demigraret, illic apertò fruiturus Deo! cuius ego interim à longè spectabam, & magno mentis stupore admirabar pulchritudinem, bonitatem, atque sapientiam. Admiratione verò correpta conclamabam tum quæ in

cœlis, tum quæ in terris extant, ad concinenda eius præconia. Languida moriebar propter æstuantem cupiditatem moriendi, vt tandem vnica amoris æterni vita viuerem. Eam consolationem dum spe magna expecto, aliquid pati pro illius amoris amore in grauissimo mihi desiderio est.

Ex his tria hærent in mente mihi suscepta proposita, seu meditationum emolumenta. Primùm, quarumlibet rerum desideria reiicere, & caduca omnia penitus despicere. Huic proximum, curas, rationesque meas in prouidi Patris cœlestia consilia demittere; vniuersis proculdubio prospiciet, consuletque omnium altor Deus, qui me Filij sui casto connubio iunxit, qui sinum suum perfugio mihi, & quieti parauit, qui denique tutamine suo imbecillem fouet. Postremò statui religiosè semper, atque humiliter oculis, legibusque Regis mei subiacere; ille enim perenniter in hoc corde quiescere, viuere, ac regnare gestit; iure quidem omni, sed peculiari iure amoris. Inter hæc discipulam monebat, nouos amores para, veteribus vegetiores, quicquid illos tantillum dirimat, pelle procul. Hæc sunt, quæ dicto consequi potui, elinguis ad cætera, quoniam in imo centro cordis deliteſcunt, nec in lucem promere lingua, aut calamus potest.

Quod immeritæ tanta cœlestium bonorum copia fiat, diuinæ liberalitatis est, optime Pater. Ego illi laudes, gratiasque perennes ago, quin etiam vt agat ipsa sibi, rogo, scilicet sine contentione digniores, vt hoc modo pretia donorum ad suum fontem redeant. Adiicito ipse quoque pro me tuas, & sacrificiis impetra gratiam, vt vnicè amem, ac inseruiam Deo. Vale.

Additiones.

Vespere diei sancti Nicolai Tolentinatis sponsa præmeditabatur, quo animo, quóve duce, & fructu proximam solitudinem peragraret, iacebatque percussa non modico timore delictorum suorum; sed sponsus aduolans animos addidit, & promissione facilis indulgentiæ ad progressionem stimulauit versu Dauidico Psalmi 117. *Veni*, inquiens, *audacter, & bene sperans: veni, dextera Domini faciet virtutem, dextera Domini exaltabit te, non morieris, sed viues, & narrabis opera Domini.* Itaque primo

mo diluculo se dat viæ, comite, ac duce eodem sponso, & dr-cem dierum curriculum cum eo peregit, iis acceptis doctenis, quæ referuntur in epistola. Reliqua apponentur quambreuissimè, nullo ordine, & per modum affectuum, eruntque quasi manifestationes sensuum internorum, & quidam velut delectus rerum agendarum.

De nihilo prodiui nihilum, an poterit aliqua de re eleuari cor meum? ferat potiùs, nec inuitè ferat omnem contemptum, omnem depressionem, omnem oppressionem.

Opus manuum tuarum sum Domine; tu summus sis, & vnicus Rex cordis, & animæ meæ.

O à Deo, & pro amando Deo conditi homines, amate, amate Deum vestrum, quo nihil amabilius est, aut iucundius.

Etiam nomen tuum toto pectore detestor, peccatum, eo quod exosum sis suprà omnem modum Deo meo; & quia Filium eius innocentissimum atrocissimis tormentis subdidisti.

Execror pariter te, inferne, in quo extincta sunt pietas, & amor Dei, & in quo sola peccata regnant, inflammantia tuos voracissimos ignes.

Rea læsæ Maiestatis diuinæ, nullum respuo atrocissimæ mortis genus: moriatur in me quicquid habet vitiata natura, vt solus habeat in me sua oblectamenta Deus.

Altissima est Dei statio, & humanis accessibus imperuia: assume anima mea scalam virtutum, perge, & scande per gradus humilitatis, simplicitatis, mansuetudinis, commiserationis, patientiæ, mortificationis, & charitatis, & tutò ad eam pertinges: reserabit autem ianuam crux Christi pro claue.

O anima mea, vt castissimo sponso propiùs assimileris, fiat cor tuum Caluarius mons, statue tibi vmbraculum sub eius cruce, habeas pro margaritis clauos, & in spinea corona pone delicias tuas. In plagis illius sit solitudo tua, in cibum sit expansus cruor, in potum fel sitientis. Sit tristitia patientis iucunditas tua, & illius mors vita tua. Morere & tu cum moriente, & perpetuò quiesce ad pedes eius ligni vitalis.

O Iesu amor cordis mei, & cor amorum meorum, tu deseruisti gloriam Maiestatis tuæ, vt eam mihi comparares; deseruisti sinum Patris tui, vt in eo mansionem mihi dares; quidni

ego

Digitized by Google

ego meipſam, & omnia deſeram, vt tibi ſim in omnibus addicta? Parum tibi fuit ornaſſe nos imagine tua, induiſti & noſtram; quidni ego propero exuere meam, & inueſtiri tua? moriens ſpiritum in manus Patris tradidiſti, in tuas ego meum, vt illum in cruce ſacrifices; decet enim ſponſas, ſponſorum vitam viuere.

Vita mea ſit pro ſponſo mori, qui pro ſponſa mortuus eſt, & in cruce ipſius ſit omnis gloria mea. Sponſæ amantes non aliam gloriam habent, quàm in ſponſorum gloria.

Terruiſti me Domine laruali vmbra, & aſpectu vitiorum, mox lætificaſti ſplendore virtutum. Quàm te vidi ſpecioſam, & amabilem cordis humilitatem? Quàm venuſtam vidi manſuetudinem? Quàm decora enituit obedientia, ſimplex, & ad Deum ſolum tendens! nec minori luce fulgebant paupertatis, & abiectionis amor, patientia, puritas cordis, modeſtia, conſtantia, & charitas. O ſi veram charitatem poſſideam, gaudia Paradiſi in hoc ſæculo poſſiderem.

O dilectiſſime amor, quicquid non tendit ad æternum amorem tui, ad æternam mortem tendit.

O quàm amabilis, & ſuauis eſt lex amoris tui, cui me obligaſti! an non ſatis erat, ſi te amari permiſiſſes?

O bonitas! ô dulcedo! ô charitas! ô amor! nunquam te amare potero quantum velim, quantumque ipſe mereris. Gaudeo tamen, hoc enim modo probas tuas perfectiones eſſe infinitas, & incomprehenſibiles, & tibi ſoli æquales.

O eſſe omnium eſſe! lubenter volo ego nihil eſſe, vt tu omnia ſis; ſim ego debilis, tu potens; ego inſcia, egena, & miſerrima, tu ſapientiſſimus, ditiſſimus, & miſericors. Satis mihi eſt, Domine Deus, te eſſe quod es, me verò eſſe id quod non ſum, vt ſit triumphus gloriæ, atque potentiæ tuæ, mihi verò abiectio, & inopia rerum omnium.

O quàm dulcis, & ſuauis eſt lex tua de amando proximo: quemlibet hominum propter te diligere, ac iuuare ſtatui, amicum, inimicum; beneuolum, moleſtum; diuitem, ac inopem. Amabo etiam propter amorem Genitricis tuæ, quæ redemptionis meæ fuit particeps; de ſucco enim lactis eius eſt ſanguis ille, cuius pretio me redemiſti.

Digitized by Google

M. DC. LVII.

Epiſtola diei 3. *Iulij.*

VNice, ac Dilectiſſime Pater, redditæ mihi fuere litteræ tuæ de menſe Decembri à Præpoſito Pariſienſi; ne citò reſponderem vetuit inopia eulogiorum, quibus optabam ornare epiſtolas meas. Nunc his ipſis litteris mala mea, & bona, ſi quæ ſunt, breui perſtringam.

Sed heu me! vnde incipiam palam facere ingentes aceruos maleficiorum meorum? Suppudet me, & rubore confundor, quòd conuenientem frugem de monitis tuis non collegerim; nam adhuc indulgentior ipſa mihi ſum, & Deo infidelis, ita nimirum compellentibus priſcis habitibus meis. Silentium leui de cauſa violaui, ſenſibus permiſi vt ad ſupervacanea excurrerent, & cogitationibus vt implicarentur in iis, quæ rei meæ non ſunt, decepta prætextu zeli, aut impendendæ charitatis; in agendis inconſiderantia præcipitem, in ſermocinando verba otioſa loquacem me oſtenderunt: exercitationes ſpirituales non ſine vituperanda negligentia aggreſſa ſum, exile fœnus de orandi ſtudio ſumpſi, paſſim quoque intepuit ſolitus orandi feruor, ita vt repetenda fuerint ſubſidia propriæ meditationis, quo ſanè remedio vti ſoleo quoties vel in alta à Deo non tollor, vel dulci eius præſentia deſtituor: ille enim nonnunquam iuſto ſuo iudicio deſerit ſolam, ſine duce, ſine viatico, ingredi in occultas contemplationis vias, & vltra incedere neſcientem. Tunc ego indiga opis alienæ de læſa diuina Maieſtate doleo, & inſtar ouis errantis Paſtorem per omnes anfractus perquiro; vt ſe det obuiam inclamo ſuſpiriis, lacrymis, obſecrationibus, vtque honeſtiori loco iterum in me recipiatur, cunctas cordis latebras, & animi ſecretiora omni labe expurgare contendo.

Quid enim? Inexcogitabilis illa bonitas diutiùs angi ſeruulam ſuam non ſuſtinet, placida, benefica, & vltrà fidem benigna ad ſolam, & ſollicitam ouem remeat: Pater ad hoſpitiolum ſuum, Filius ad Thronum Regium, Spiritus ad nidum, templumque ſuum. Ibi illi concorditer intuentes trementem,

doloribus attritam, & abiicientem ſe, priſtinos actus beneuolentiæ, & conſueta magnificentiæ ſuæ opera redintegrant: opera, inquam, ſibi ſolis nota, mihi non æquè, cùm in ſuprema acie mentis latitent, aut in imis penetralibus cordis, cuius vires vniuerſæ in oceano Diuinitatis merſæ penitus abſumuntur.

Hic altiſſima, atque flammantia ſurgunt deſideria amandi Dei, ſatis nunquam dignè amati, ſed nec vnquam ſatis dignè amandi. Hic anima ſuſpirat duram corporis ſeruitutem, durioremque huius carceris legem, quæ ſibi, ne optato bono ſuo perfectè coniungatur, libertatem præcidit. Interdum quoque tam effuſo, & inſolito gaudio efferebatur cor meum, menſque ipſa tam repentino, ac vehementi iubilo exhilarata fuit, vt non niſi à ſupremo fonte amoris puriſſimi manaſſe pro certo haberem. Hoc mihi in primis contigit in feſto Principum Apoſtolorum, dum ſub ſero glorias ipſorum, & beatitatem animæ diligentis Deum attentiùs ſpecularer; iubilo ſubinde ſucceſſit quies, & tranquillitas animi permaxima; tranquillitati verò ſol iuſtitiæ, ſed modo, & influxu inaſſueto, ac verè inexplicabili; hinc pariter longo tempore repetita diuinæ communicationis officia, vnitiones, & oblectamenta: vnde rediit animus mihi, reſumptæque vires ad ſublimiora, & potentior ſenſus diuinæ præſentiæ. Ille quidem ſubducta pauliſper fronte ſeſe ſubtrahit oculis meis, ſed illos mox ſerenat oſtenſa. Prouidè id quidem, ac ſapientiſſimè, vt videlicet animam ad frequentiores, ac feruentiores actus amoris ſuſcitet. Audi quibus ego familiariter cum ipſo agere ſoleo. *Pater, ô Pater æterne, ab æterno viuens, æternum viuas in corde ſeruulæ tuæ! O qui perenniter regnas Fili, regna perenniter in throno, & regno cordis mei. O qui es amor Patris, & Filij Spiritus ſancte, fac ſuccendar, comburar, conſumar ignibus puri amoris tui; protegar ego ſemper vmbra alarum tuarum: O in nido, in templo animæ meæ perpetuò recumbe.*

Per octauam Corporis Chriſti adiunxi animum reuoluendis, meditandiſque litteris ſacri Nominis Ieſu, quas ille à poſtrema ſolitudine, terque, quaterque mihi in corde renouauit. In hac inſuper ſolitudine vltima efflagitaui mihi à puri amoris Deo virtutes cordis ſui, vt ſecum fiam mitis, & humilis corde. Donum item pretioſum præſentiæ ſuæ, & in me augeſcere fidem,

dem, spem, & charitatem, quas reipsa non parum adauctas experior; nam earum beneficio hæret menti meæ præsentior Dei imago, cui dum ipsa quoque præsentior adesse studeo, minùs aliò rapitur cordis mei attentio. Non mediocris prætereà creuit in animo mihi pax, atque tranquillitas, ex quo me, resque meas omnes legibus æternæ Dei prouidentiæ amanter submisi, comparans meipsam æqualiter ad omnia, non alio cruces, atque alio consolationes oculo spectans, vtrasque nimirum porrigente Dei dextera. Solet enim ille pro sua rerum omnium moderatrice sapientia iucunda tristibus, amara dulcibus intertexere, vt dissociet corda mortalium à concupiscentia, & dilectione huius labilis, & inconstantissimæ vitæ, vbi nullum subest verum, solidumque gaudium, si Deum exceperis. Oh quàm calidis agitor suspiriis ad eum! Quàm præcipiti cursu spiritus meus præuolat ad summum illud, æternumque bonum, à quo se luget tamdiu remotum! Moram tamen etiamnum pati cogor, oculos, & aures intendens, donec insonet postrema illa hora, expectati exitus nuncio gratissima. Nuper præludia, pompamque mortis cogitatione velut præsens lustrabam. Quanta exarsit sitis visendi excelsum illum, vnicumque Regem meum, vbi possim illum amore nunquam interrupto, laude, & exultatione complecti, & de susceptis beneficiis gratias immortales habere?

Hæc paucula sunt, quæ de internis cordis mei affectibus, deque occultis animi motibus intercisè ad te scribere licuit; nam de his, vt verum fatear, propediem aut nihil, aut vix aliquid scripto, seu verbo efferre licet, in eminentissimo etenim apice mentis voluuntur omnia, & illis exarandis non satis congruunt verbula nostra, quamuis agente Deo, sensu, ac gustu percipiantur. Acta ego sentio, acta scio, sed ea proloqui nescio. Sit Deo Optimo Maximo apud omnes gloria, & collaudatio, mihi verò erratorum condonatio. Pater mi magnum illud numen in mea vota sacrificiis accerse, ego precibus in tua vocabo. Vale.

Epiſtola diei quartæ Nouembris.

MAximè Reuerende, & vnice Pater. Vt dignè memoria, ſcriptoque complectar, quod iubente ſponſo tibi ſignificare debeo de ordine, deque euentis ſeceſſus mei, tua mihi primùm benedictione opus eſt: hanc ego humillimè à te poſtulo, tu quoque pro me à Deo expoſce.

Optatiſſimos dies annui, religioſique ſeceſſus mei aperuit feſtum Sancti Michaëlis Archangeli, inuitante ſponſo illis verbis; *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Aurem cordis præbenti mihi ſubiecit; *Abſcondam enim te in abſcondito faciei meæ:* indicans velle ſe imaginem ſuam reformare, quam ego peccatis, infidelitate, & rerum temporalium affectu, quaſi quibuſdam lituris deturpaueram. Demonſtrabat itaque ille, cuncta errata mea ortum cœpiſſe à negligentia, à datæ fidei defectione, & ab ingrati animi vitio. Proindè arguebat in primis, quòd ſæpenumero à Dei conſpicientia longiùs abſceſſerim; quòd opera quotidianæ pietatis, vel non ſatis accuratè, vel non ſatis animo præſens peregerim; item quòd Diuino Numini, eiuſque in me operationibus campum cordis non benè expeditum, liberumque reliquerim, pugnantibus contrà flagitiis meis, quæ ne in hanc epiſtolam reuocem, vetat ea, quam de illis tenes, priſca, claraque notitia. Auſim tamen dicere, nonnihil, vt mihi videtur, imminutum de priſtinis illis lapſibus meis: nam (meo vtique iudicio) & ſolito rariùs, & caſu non adeò graui lapſa ſum, opitulante nimirum fortiter dextera Dei, quæ vt pullulantes, & in ipſam rationem inſurgentes ſenſuum, animæque prauas commotiones coercerem, vel etiam in ipſo ortu comprimerem, plurimùm iuuit. Huic præterea beneficio permultùm contulit alta memoria cruciatuum, ac pœnarum Chriſti mei. Quo factum eſt, vt proſtratis, profligatiſque hoſtibus, tandem eximia cordis tranquillitas, & animi æquitas in me triumpharent.

Biduum, ac fortè triduum triſtitiæ, ac lacrymis primò tradidi, deplorans infauſtam illam ſortem, cui per peccatum ſubiugantur mortales, conſtituti ſub nihilum, & quod caput eſt, exoſi Deo. Deus Optimus Maximus vniuerſorum opifex animam

mam hominis ingenio, ratione, ac voluntate nobilem, ea lege condidit, vt viueret solius Dei amantissimus, & ei vni obsequendi studiosissimus. Hic porrò peruersitate nimium detestanda dono mentis liberæ, & facultate arbitrij sui abutens, pro Deo in libidinem, & in propriæ voluntatis placita præceps animam ipsam deuoluit impudenter, illam dilectione, & sordibus rerum creatarum inficiens, ac potissimùm propria, auaraque nimis philautia, qua nullus est homini inhumanior, infensiorve inimicus.

Hic ego memoria repetens cœlestes opes à Patre dulcissimo, à Filio amantissimo, & à Spiritu amoris fonte purissimo vberrimè quidem, sed vitio meo infructuosè acceptas; memor itidem denegatæ per me obedientiæ Patri cunctorum potentissimo fabricatori, ac Domino; memor pariter læsæ sapientiæ Filij, cui arrogantia mea, rerumque humanarum cupido non rarò restitit; memor denique offensæ bonitatis Spiritus sancti, cuius charitatem per incuriam, teporemque meum contemptisse memini, pudibunda iacebam, & in abyssо nihili mei detrusa latitabam.

Diuinus ille Senatus vt vidit ream luctu, mœroreque multo confectam, & infrà quicquid est abiectam, inaudita cum clementia celerrimè ad eam conuolauit, prodigam, infidelem, ingratissimam, atque rebellem pristinæ reddidit amicitiæ: non tamen nisi præviis largis imbribus lacrymarum, acerbo dolore cordis, & accepta per sacramentum pœnitentiæ indulgentia, datis quoque de meliori vita firmioribus promissis.

Tunc illa clementissima, & semper propitia bonitas vestem gratiæ, & charitatis afflictæ restituit, apparauitque iis omnibus ornamentis, quibus conspicua, gratiosaque veniret in conspectu Dei sui, in ea verba erumpentis; *Quoties peccator pœnitens ingemuerit, memoriam cunctarum eius iniquitatum delebo, & oblitione perpetua consepeliam.* Quibus sanè verbis non solùm corde molestias abstersit meo, sed & ingenti consolatione permulcebat animam, criminibus quidem obnoxiam, criminum tamen affectu, ac seruitute obrui perhorrentem. Verùm isthæc visa sunt minoris pretij argumenta diuinæ munificentiæ. Certatim vnusquisque parabat ornatui meo cœlestia bona, & inopiæ subleuandæ maiores diuitias; congeminantur donaria, fauo-

res, cœleſtia lumina, & ſuperni Numinis illapſus. Ab altiſſimæ illius eſſentiæ communicatione nulla fit intermiſſio, nullum diuortium à diuinis amplexibus, & blanditiis: modò inſtar guttulæ aqueæ in vaſto Diuinitatis oceano demergor, & abſorbeor; modò ſponſus inebriat me potenti vino cellæ ſuæ, modò deſponſat, dotemque, ac nuptialia paraphernalia dono dat; mox vnà ſecum recondit in beatiſſimo ſinu Patris, mentem inſolitis ſplendoribus illuſtrat, & cor ipſum facibus torrentibus puriſſimi amoris inflammat. Quid plura? Colligi ſingillatim, & ad numerum exponi nequeunt, quæ intrà illos pauculos dies ſeceſſus mei experta ſum diuinæ bonitatis acta. Hîc inter plurima iterum, atque iterum renouata ſenſi in corde diuini amoris ſacratiſſima ſtygmata, ſuperimpreſſo ſigillo nominis ſponſi: hîc denuò repræſentari Caluarium Montem; hîc rememorata ſunt monumenta paſſionis ſponſi, & ſimul exhibita eius inſtrumenta, quæ dicebat eſſe ſponſæ monilia, & ſtare pro pretioſiſſimis gemmis. Quoad inſtrumenta, ſufficiat, ſi placet, de ſola arundine verbum fieri. Arundine indicari dicebat deſpectum, & contemptionem rerum humanarum, cui ſpeciatim in huius anni curriculo ſtudere debeam; vtque in eam palæſtram generoſior deſcendam, ardentiſſimorum deſideriorum faces mihi ſubiecit. Cæterum mihi videntur nonnulla, putà bina, vel terna inſtrumenta adhuc in corde deficere, ſed & iis in tempore ſuo apponendis animam apparo.

Addam eodem loco illuxiſſe mihi clariores irradiationes, & ſingularia ſenſa ſuper amabili myſterio incarnationis Filij Dei, necnon ſuper eiuſdem operibus, laboribus, atque anguſtiis, dum nobiſcum viator eſſet. Sed hæc protinus, prorſuſque inexplicanda ſunt. Potiùs dicam crebrò inculcatum fuiſſe auribus meis; *Tui iuris vltra non es, ſed ſponſi*: adductis eodem tempore pluribus, iiſque æquiſſimis eius veritatis rationibus, quarum præcipua erat meritum diuini in me amoris: ex quo inferebatur, mihi integrum minimè eſſe quicquam facere ex propria ſententia, & voluntate, ſed cuncta ſuſcipienda de iuſſu, aut permiſſo Creatoris, Saluatoris, ac ſponſi mei, quicquid ſim, quicquid futura ſim, cùm de me nihil ſim. Contrà pro argumento ditionis, ac poſſeſſionis ſuæ potitus eſt ſine vlla diminutione cunctarum virium ipſius animæ, pollicitus abſconſurum

ſe

ſe eam in abſcondito diuinæ faciei, quod eſt ſacrum ipſius cor, vt ſponſæ dicere liceat cum Apoſtolo; *Vita mea abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*: ideſt in ſinu Patris, vbi ille perenniter conquieſcit.

Ne autem poſthac ſponſa iterum ineptè effluat poſt curas, & inania pereuntis ſæculi, ſponſus patrocinium ſpopondit ſuum, & legibus quibuſdam aſtrinxit, his verbis; *Ego tui, rerumque tuarum attentiſſimè ſatagam; nam in ære meo modò es, non tuo: vtque poſtmodùm mihi, Patri meo, ac Spiritui ſancto, qui vtriuſque amor eſt, & nexus, fideliter, atque ex integro viuas, his te legibus obſtrictam volo. Tu illas ad vnam memoriæ inſere, & amanter obſerua. Leges hæ ſunt leges infantiæ ſpiritualis, & animæ tendentis in cælum documenta.*

Locus commorationis tuæ ſit cor ſacratiſſimum Sponſi.

Pro domo eſto ſinus Patris cœleſtis.

Protectio tua, & defenſionis perfugium ſit vmbraculum Spiritus ſancti.

Habeto pro auguſta matre ſanctiſſimam Dei voluntatem.

Pro nutrice anume ſacroſanctum Sacramentum Altaris, & piam Dei charitatem.

Eius miſericordiæ ſint tibi mammæ.

Pro lacte ſuge eiuſdem benignitates.

Moderatricis, & pædagogiæ munere fungatur ſapientiſſima Dei prouidentia.

Operi te pauperie, laboribus, & tui ipſius deſpicientia, & ſic eleganti veſtitu ſplendeſces.

In ligno Crucis, & monte Caluario recumbe, & mollem lectulum habebis.

Quies vnica tibi ſit in oratione, & cœleſtium contemplatione.

Iucunditas omnis in conſpicienda Dei præſentia, crebriſque mentis aſcenſibus in cœlum.

Dulcis receſſus tuus ſit in plagis Sponſi, Regiſque tui crucifixi.

Balneum eluendæ animæ ſit ſanguis pretioſus Agni immaculati, cum frequenti confeſſionis iteratione.

Animi ſolamen ſit diuini officij opus piè peragere.

Refocillatio cum Angelis, atque cum Cœleſtibus verſari.

Numquid non

Numquidnon præclaras, diuinaſque lectiones puſillulæ ſeruulæ ſuæ tradidit Magiſter ille magiſtrorum ſupremus? Inſpirauit præter hæc nouum, ardentiuſque deſiderium purioris erga ſe amoris, ſeuerioriſque obſeruantiæ, ac ſeruitutis. Scito ea, quæ nunc temporis in mentem mihi conſcendunt, ſpeciebus rerum inferiorum plurimùm expurgari, & in ſublimiori tantummodo ſpiritu inſidere. Teneor autem, ac ſæpenumero torqueor tam feruenti flamma magis, magiſque amandi, viſendi, ac potiundi Dei, vt deſipiant cuncta terrena mihi, tædeatque plurimùm longioris vitæ, dum in terris elangueo, cupiens Dei, cupiens incomparandæ pulchritudinis illius, bonitatiſque inſatiabilis. Rogo te, optime, atque vnice Pater, obſecres diuinam illam Maieſtatem, nequando vlla re ſibi diſpliceam, vniuerſa eius arbitria perferam, proficiamque. Viuat ille in me ſemper, viuat pariter rebus in omnibus. Ecce quod per epiſtolam notum facere poteſt lingua cordis: antehac alias dedi, quas in manus tuas perueniſſe reor cum eulogiis donorum Spiritus ſancti. Vale.

Additiones.

Sat copiosè in epiſtola recenſita ſunt acta huius ſolitudinis, nil addo præter paucula dicta ſponſæ.

O ſolitudo, quàm lætè, & auidè amplector te! Exemplo „ ſponſi mei amabo te ſemper. Apud te docemur non humana „ negotia gerere, ſed ad cœleſtia animum traducere. Deum diſ„ cimus, & nos ipſos dignoſcere; illum amare, nos ipſos contem„ nere: eſtque hoc maximum negotium ſolitudinis, à quo quan„ documque diuellor, doleo, ac defleo diuulſam.

Granulum es, anima mea, ſemen ab eſſe ſupremo, & guttu„ la aquæ ab immenſo pelago Diuinitatis. Authori tuo quod „ ſuum eſt, redde: tu interim quieſce, aut in centro tuo, aut „ in nihilo tuo.

Iterum, atque iterum te diris deuoueo peccatum deteſtabi„ le; tu enim ſpecioſam imaginem Dei deturpas, & vineas ipſius „ demoliris.

Quis vos non effugiat bonorum omnium deprædatrices phi„ lautia, & voluntas propria, quæ contra Deum pugnatis, &

ſpiritum

„ſpiritum eius contriſtatis? Plora anima mea, plora, funde ri-
„uos ſanguinis, quoniam illas ſectata es.

Animæ caſtæ conciues ſunt Angelorum, cuſtodiunt lectum
„Salomonis, introducuntur in eius cellaria, & inebriantur
„pretioſo vino charitatis.

Effundo ante conſpectum tuum, mi dilectiſſime Sponſe,
„quas poſſum maiores gratias, quoniam & animo videre, &
„guſtu experiri me feciſti, qualis, quantuſve ſit amor in nos
„tuus, ſiue in infantia tener, ſiue in paſſione fortis. Qui enim
„fuere carnifices, qui te cruci confixere? Dulcis amor Patris,
„dulcis amor hominum. Idque vt maiori experientia tenerem,
„aperuiſti, Domine, cor tuum transfoſſum, & in eo repoſuiſti
„corculum ſponſæ tuæ; reſtauraſti characteres Nominis tui, &
„docuiſti viuere per amorem, in amore, & pro amore. O ſi re-
„ciprocum, ô ſi generoſum, ac fortem amorem ſponſæ tuæ con-
„cedas! Quam iuſſiſti redire ad innocentiam, ad ſimplicitatem,
„atque ad obedientiam infantium, eandem doce ad vnguem
„ſeruare, quas præſcripſiſti infantiæ leges. Cætera patent in
epiſtola.

M. DC. LVIII.

Epiſtolæ particula diei 19. *Ianuarij.*

DIuina bonitas conſilij tenax continuò ſua in me proſequi-
tur opera, maioraque in dies beneficia ſeruulæ inopi ap-
ponit. Eorum mihi copia, magnitudoque verba, & vocem
comprimunt. Inceſſanter enim Creator iſte meus, Redemptor,
fidus amator, & ſponſus caſtiſſimus, miſellam ad ſe attrahit, &
attractam omni parte occupat, ſiue ipſa ægrotet, ſiue benè va-
leat; ſiquidem per dies decem, ac fortè duodecim in ſtrato, &
in valetudinario iacui, propter profluuium ſanguinis è nari-
bus. Non ideò tamen ille ab opere ſuo deſtitit, ſed vſus op-
portunitate temporis, quammaximè blanditias ſuas frequen-
tauit.

Quæſo, dilectiſſime Pater, mecum grates debitas munifi-
centiſſimo largiori de cumulatiſſimis tot donis agas, deprece-
miſque inſtantiſſimè, ne vnquam contingat mihi datam fidem

Digitized by Google

tantillo labefactare, plenè potiùs respondeant facta promissis meis, atque collatis ab eo donis, studeamque implendis institutionibus tuis, quas postremis litteris præscripsisti. Faueat impensiùs quotidie Deus optatis tuis, & nouis augeat te auxiliis. Salutant te quotquot sunt de Monasterio, præ omnibus Præposita, quæ vt pinguiùs in me nutriatur Dei dilectio, & reparetur animæ imbecillis vigor, me crebriùs refici edulio Eucharistico benignissimè annuit. Vale.

Epistola diei 23. Martij.

AMantissime, atque vnice Pater, paternam à te mihi benedictionem submisè imploro: reor scribenti vltimam impartieris; nam recens à diutina, & mortem minitante febri scribo. Inuaserat me illa ante natalem Domini, accesseratque per diem penè totam continuata cruoris effluxio è naribus, cui sistendæ, sæpe, ac sæpius mihi de vtroque brachio detrahendus fuit sanguis. Igitur die septima exhaustis cum sanguine viribus ad extrema animam paraui, generalem totius anteactæ vitæ expiationem obiens apud N. Languenti tamen nonnihil firmitatis restituit Deus, vnde per festa Natalitia, præcipuè in festo nostri Beatissimi Patris, & Institutoris, potuerim benedictione Eucharistica recreari. Necdum benè confirmatam recalescens febris iterum prostrauit, iterum lecto addixit in die sanctæ Agnetis; inde tamen breui conualui. Propè aduentantibus diebus Quadragesimalis pœnitentiæ, escis eius temporis non mihi interdictum iri sperabam; interdixit tamen Medicus, tum is qui corpus, tum is qui animam curat. Parui, verùm post pauculos dies legem sacri saltem ieiunij mihi subeundam absque detrimento censui; vnum, ac alterum seruaui. At ecce eneruatæ iam corporis vires subito deliquio fluxere omninò omnes, dubia spe vitæ, superuenientibus etiam lethi sudoribus; quamobrem refocillationi necessariò vacandum fuit.

Accipe Pater, quid hic mihi acciderit. Dum intempesta nocte aliquid restaurandæ paratur, venientem quempiam audiebam, nuncium opinata sum propinquæ mortis; nam ad exitum nulla non hora accingor. Verùm aliter se res habuit; nam eodem momento sensi me sauciatam repentina, eaque acutis-

sima

sima sagitta amoris diuini; vulnus reuerà accepi, quo id modo, non percepi. Quare ex eo tempore duplici igne, & flammis inter se valdè discrepantibus torretur pectus meum: ignium alter naturalis, alter supernaturalis est, lucta interminabili mutuò contendentes. Hic irrequietus sursum ad Deum tendit principio iungi suo quærens, & cupiens exsolui de carnis hisce retinaculis: præstat enim Deo per mortem iungi, quàm per vitam ab eo seiungi. Ignis alter exedit stomachi virtutem omnem, membra debilitat, & imbecillitatem intolerabilem parit: quare ingraueſcente pondere corporeæ molis, etiamsi lento gradu, tamen grauatè incedo. Cadaueritium vultum mihi obiectant omnes: facilè crediderim, oneroſum enim cadauer traho, non gero; quod si diutiùs prorogetur ægritudo, litteras vltrà ad te dare nequibo. Pabulum non odi, deguſto potiùs: ſed oh duram crucem! Oua in Quadrageſima deglutire cogor, & iuſcula pinguia. Oh crucem aſperam! Nouit ipſe Deus quanta id cum nauſea, quo cordis, & animi faſtidio faciam. En Pater mi, corporis caſum, & quo nunc ſit ſtatu.

Venio iam ad animæ rationes. Hæc flammis aduritur vehementibus conſpiciendi Beatiſſimam faciem eius, in quo emicat omne verum, æternum, ſummum, ac vltimum bonum, quem interim mœrens contemplor in cruce oppletum doloribus, ac malis omnibus. Nuperrimè oſtendebat ille mihi ſe amanter, & propter amorem dilectæ diſcruciari, tum vt ipſa ſe totam eius amoribus aſcribat, tum vt reciproca amoris conſpiratione ſecum aliquid perferat, animo ſaltem, ac deſiderio, ſi nequeat reipſa. Reipſa, inquam, ſi nequeat; etenim vt ingenuè profitear, nil ego in terris aſperum perfero, nil videor pati, cùm omnia mihi ridere videantur, & nihil offendam, quod mihi laborem, aut negotium faciat. Cuncta namque voluntati, ac prouidentiæ Dei ſubiicio: trahat, retrahat; vocet, reuocet, deliberata ſequor, in ſacroſancto ſinu Patris cœleſtis conquieſco tota, appenſa binis eius mammillis, bonitatis nempe, & miſericordiæ.

Si me hinc migraturam euocet, ores velim, vt actu amans inteream, perfodiente nimirum pectus meum lethali iaculo amoris, aut conterente dolore de Deo offenſo. Sit ille tunc mihi propitius, & clementia ſua oblitteret ſeriem longiſſi-

Digitized by Google

mam offensionum mearum. Tui autem, atque paternæ curæ tuæ nusquam obliuiscar; nam secundum Deum proximus es salutis meæ author. Tantæ pietatis mercedem æternam à remunerante Deo accipias. Vale.

Epistola diei 14. *Iunij.*

PEnè excesserunt tres menses, ex quo litteras ad te transmiseram, nuncias inualetudinis meæ; ea modò mitiùs vexor, quàm cùm litteras scripsi, nisi quod edacium more esca mihi terque, quaterque in die ad sustinendas vires porrigitur, cogente Medicorum decreto. Tuas intereà recepi, quibus indicabas destinatum iter Romam versus non fuisse à te susceptum, quod quidem non mediocris molestiæ mihi causa fuit.

His litteris de more nostro nonnihil de arcanis cordis mei leuiter, ac breuiter attingam. Sed quid boni dicam? Facilè de propositis dilapsa sum, desideriorum superflua non bene amputaui, insanos motus amoris proprij non firmiter sub fræna recti, nec sub iuga rationis misi, etiamsi à sponso commonita. Heu me miseram, & perfidam! mutor in horas. Propterea rarior illuxit mihi Dei præsentia, egitque remissiùs manus operantis Dei; quamvis ille pro sua bonitate non desinat per iteratas vices infidam reuisere.

Provt speciatim contigit solemni in die triumphi sui, quo die ad astra conscenderat, & mecum de gaudiis æternitatis, deque felicitate animæ puræ, & vnicè Deum diligentis differebat, exarsit in id bonum cogitatio mea; sed quis liberabit me de corpore mortis huius, vt pergam ad æterna gaudia Dei mei, vbi nunquam sileam à laude eius, & ab eius dilectione ne momento vno dissoluar? Heu! creatæ res, quæ sensibus occurrunt, longiùs animam à Deo separant, & deprimunt mentem multa cogitantem. Verùm quid ego creatæ res dico? Egometipsa rerum creatarum pessima memetipsam huic bono surripio, & alienis intendens intellectum effundo, cùm competat homini esse simplicem, & simplicem ad Deum ferri, quem vbique, ac semper obuium habere potest.

Vt animam aliquatenus pietate instaurarem, ante Pentecosten solitaria recessi à communi consortio, implorans benignos

afflatus

afflatus Sancti Spiritus: inde videor mihi Deo præſentior, Deo attentior; ibi enim ſpiritu renouata fui per baptiſmum pœnitentiæ, & per donum pietatis, quo maximè indigebam, quodque mihi ſorte contigit. Vale.

ADDITIONES.

Etiam hoc anno percepta priùs voce, & interno impulſu ſponſi in ſolitudinem perrexit. Vox ea erat; *Accede, ego Rex, ego Dominus, Magiſter, Legiſlatorque tuus: accede auditura æternas veritates. Verùm ego te volo dictis audientem, volo tractabilem velut ceram ad ignem, velut niuem ante radios ſolares, vt in omnibus ad motum mouearis meum.* Ita magna cum lætitia, & fructu ſecundùm priſtinam conſuetudinem dies illi exacti ſunt. Vix tamen aliquid noui chartis conſecratum eſt, præter hæc pauca internorum ſenſuum teſtimonia.

Non te pudet anima mea prætuliſſe teipſam, aut quidpiam „ creatum Sponſo, Regi, Deoque tuo? Nec leue putes, etiam „ leuiſſimas offenſas Deus odit. Quid feceris ampliùs? occi„ diſſe?

O fauſtam, feſtiuamque mortem, me de iſto carnis erga„ ſtulo in libertatem vindicabis, & dabis poſſe inuiſere ea loca, „ vbi latet theſaurus meus.

O ditem paupertatèm, quæ iungendo nos ſponſo, das illius „ diuitias poſſidere.

Læta ſum, quòd nihil ſum; lætior, quòd ſit omnia Deus.

Qui cupis Deum in te & viuere, & regnare, nihili ducas „ te, ingeniumve tuum, vel naturæ dotes; proſpice quem ad „ finem referas conſilia, operaque tua: nutus ac voluntates „ Dei in omnibus ſectare, & ne vnquam oculos tuos ab aſpectu, „ & præſentia ipſius retorqueas.

M. DC. LIX.

Epiſtola diei octauæ Martij.

NActa opportunitatem fidi, amicique latoris has ad te mitto, Mediolani, vt puto, accipiendas. Quas tu ad nos Roma direxiſti, periucundæ, & multæ hilaritatis cauſa mihi

fuere, narrantes quàm humanè, & quàm amanter Summus Pontifex in noſtri Inſtituti, Inſtitutoriſque rationes propendeat. Pro eius ſalute quotidianæ apud nos preces fiunt: ſoſpitet illum Deus in longiſſima tempora, adſitque ſemper iuſtis eius deſrderiis; quandoquidem toti Reipublicæ Chriſtianæ tantoperè vtilia, & condecora ſunt.

Quod ad hanc ſeruulam attinet, vno verbo expedio. Paterna illam ſollicitudine, & affectu etiamnum proſequitur Deus Optimus Maximus, pretioſiſque micis de ſua cœleſti menſa cadentibus paruulam, atque famelicam reficit, quod & in corporis refectionem tranſit. Inde enim corpus extenuatum, & ſolitum pati grauedinem laborioſiorem, frequentioraque deliquia in decliuiis lunaribus, experitur aliquid maioris roboris.

Hac via moneor vigilantiores, attentioreſque excubias facere, donec tuba cœli receptui canat. Intonet illa quandocumque iuſſerit arbiter vitæ, & mortis, tutè innixam prouidentiæ diuinæ, & fidiſſimè quieſcentem in ipſius patrocinio inueniet me. Interim bono, & æquo animo doloribus premor, arbitriis ipſius ſubacta, terrenaque pedibus tero, ſoli æternitati aſpirans. Synaxim penè quotidianam mihi Mater Monaſterij gratioſè indulget: inde videor reſpirare, inde reuiuiſcere. Hucvſque per Quadrageſimam continui me à cibis vetitis: ieiunium grauis ætas, virium defectio, & inhibitio maiorum non ſuſtinent. Ego quidem alienis placitis me ſubdo, æſtimans obedientiam acceptum Deo ſacrificium.

Tantùm autem mihi de tua bonitate perſuaſum habeo, vt credam me, ſociaſque meas à te Deo in gratum ſacrificium nulla non die offerri. Illæ ſub auſpiciis Matris, ducisque noſtræ alacriter, & magna cum fruge ad alta virtutum proficiſcuntur. Cor vnum, & animam vnam in toto Monaſterio diceres, connectente ſcilicet animos ſingularum eximiæ charitatis vinculo. O vtinam ego ab earum profectu non longè deficerem. Vale.

Digitized by Google

Particula Epiſtolæ diei 24. *Sepembris.*

Romam.

ÆGrotis opprimitur Cœnobium noſtrum, mihi autem ſanitatis, etſi non integræ, ſatis ſuppetit, vt poſſim communem viuendi rationem cum commenſalibus ſubire: quin etiam ſpes mihi multa ſubeſt, ſi Deus iuuerit, peragendi conſueta exercitamenta annuæ ſolitudinis, quibus peractis fusè cogitata, & ſenſa cordis per litteras ſignificabo tibi. Interim ſcito aliquantulum ſiccè mecum deſuper agi, & parca manu. Non ideò tamen à trito viæ meæ tramite declino: filiali obſeruantia authoritatem, ſanctiſſimaſque voluntates Patris cœleſtis inſequor. Deſiderium certè maius non fouet pectus meum, quàm pernoſſe, & exequi velle Dei, ſiue illud moleſtum quid ferat, ſiue conſolatorium. Dummodo ipſi fiat ſatis, ſat habeo, ſat eſt. Vale.

Epiſtola diei 29. *Octobris.*

ELapſus eſt iam menſis à poſtremò ad te datis litteris: ad temetipſum redeo, acta ſolitudinis meæ conſcriptura. Erat tunc mihi non tam aduerſa valetudo, quàm extremis hiſce diebus, quamuis opitulante Dei miſericordia, adhuc communibus domi ſtatutis, atque functionibus intereſſe facilè poſſim, ſi exceperis nocturna chori officia, & ieiunia, cum reliquis carnis afflictionibus, quas Monaſterij Mater propter nimiam corporis extenuationem contraxit. Robur aliquod, animumque adhuc ſuppeditat diuina clementia; auget verò vltra fidem ſacroſancta Altaris eſca, vnica afflictæ fortitudo, & vita. Benè ſit Matri noſtræ, quæ per hebdomadas ſingulas ſupra communem vſum ſociarum debilitatem meam peculiari ſolatio huius cibi angelici reſtaurari beneuolè conceſſit.

Accedamus iam propè ad rem noſtram, ſi placet. Maxima cum animi voluptate octo continuos dies in ſolitudine traduxi. Væ miſeræ mihi! contrario motu verſari videor, retrogredi, non progredi; turpiter adhuc vigent animæ paſſiones; non continui fortiter impetus naturæ procliues in mala; pietate, cura,

Digitized by Google

cura, & feruore vacua ſacris actionibus adfui; ieiuna mihi, ac penè infrugifera extitit copia Sacramentorum; ſegnis, infida, & ſenſibus blandula cœleſtes inſpirationes paruipendi; perſtiti linguax; ingenij, ac priuati iudicij tenax, cui nihil prius amore proprio ineptè in acta mea omnia irrepente.

Triplicis autem criminis à conſcientia potiſſimùm damnor. Primum imprudentiæ eſt, quo anſam offenſionis Præpoſitæ meæ dedi. Non longè ego cum ſocia aberamus à loco vbi illa Directori conferebat ſecreta cordis ſui, nec inde pedem mouere decebat nos. Aures ſanè non admoui, & ad nos ne vocula quidem venit; ſed per inconſiderantiam vicinior eram, quàm fas eſſet, ne dicta auditu acciperem. Altero ſimplicitatem obedientiæ læſi; optabam enim ego æſtiuo tempore diurnas actiones, offenſaſque omnes meas cum ſociis ante Altare Sacramenti ſub examen nocturnum reducere; non placuit ſociis, interdixit Mater. Acquieui ego quidem, verumtamen non facilis, nec plenè volens, ſed querula, & de repulſa ſecretò cum comite obloquens. Denique tolerandi verbi iniqui minùs fui patiens, acerbè tuli, querimoniam inſtitui, tum apud auctricem, tum apud aliam Sororem; videbatur namque verbum decoro meo aduerſum. Vide delicatulam, & inſolenti ſuperbiæ meæ dignè ſuccenſeas. Leuem iniuriam pro Deo non ſuſtinui, qui pro viliſſima ſeruula tot inhoneſtiſſimas calumnias tolerauit. Quodque me magis mouet, tantum nefas admiſi poſt ſolitudinis concepta bona propoſita. De his tamen, deque aliis noxis meis profundè conteri, permultùm ingemiſcere, ac deflere docuit Deus Optimus Maximus; inſtillauitque noua deſideria puniendi, dum vita erit, præterita per me malefacta. Interim meipſam compono morti venienti, atque reddendas vitæ meæ rationes digero.

Cæterùm ſponſus veteri, familiarique conſuetudini inhærens, præcepit figerem anchoram ſtationis meæ in Monte Caluario ad radices Crucis, cum Maria Matre, Ioanne diſcipulo, & Magdalena pœnitente. Domicilio aſſignauit impreſſas corpori ſuo plagas, in quibus mecum ſemper reſideant humilitas, innocentia, puritas, obedientia, & rerum omnium interna, atque externa abiectio. Patientiæ locum ſcripſit inter ſpineta

capitis

capitis ſui, vbi molliùs vt quieſcat, comites adſtare iuſſit manſuetudinem, & imperturbatam animi tranquillitatem. Poſtremò amoris, & charitatis manſioni diuinum latus aperuit, illic me dulciter recumbere vult inſtar columbæ meditantis illas cogitationes pacis, quæ in corde ipſius ſedent ad generis humani commoda, maximè verò erga humiles, ſimplices, & conſtantis fidelitatis cultores.

Præter hæc triformem mihi amoris ſpeciem iniunxit; amorem videlicet fortem ad ſuſtinendam infenſorum caſuum grauitatem, & audacter ſubeunda cuncta ſuæ prouidentiæ decreta: amorem calentem, ſeu potiùs feruentem, qui neque ariditate vlla tepeſcat, neque tædio, vel deſertione vlla lenteſcat: fidelem denique amorem attentiſſimè omnia, ſiue parua ſint, ſiue magna, obſeruando, & præſenti ſemper Deo placere ſtudendo. Ego quidem altè radicatam in corde ſententiam hanc ſentio rerum terrenarum ſarcina mentem exuere, vileſcere mihi ipſi, quodamque modo in nihilum perire; totam ab ore, totam à dextera Dei pendere, ne quando contingat ab eius placitis aberrare. Ornauit autem ille me iterum inſignibus liberalitatis ſuæ, priſtina dona, atque priuilegia rurſus erogauit, pictoſque in corde characteres nominis ſui coloribus viuaciſſimis renouauit.

Hæc ſunt, quæ de intimis penetralibus animi depromere, tibique, Pater optime, edicere valeo; niſi addiderim, aliquid mihi videri ſubductum de priſca illa ſuauitate, & fluiditate contemplationis; nam interdum arentem animam experta ſum. Ni fallor, magna ex parte in cauſa ſunt ingruentes corporis ægritudines, parte verò alia frequens receſſus à conſpiciendo Deo, in pollicitis inconſtantia, & in oblatis benefaciendi opportunitatibus debito minor vigilantia.

Rogo, enixè rogo te, Deum preceris pro indigna filia tua, vt vitam in meliùs mutet, nunquam à Deo data fide cadat, nouerit voluntatem ipſius omnem animo volenti ſuſcipere, ſeque ad extrema, expectando quid velit Deus, componere.

A duobus annis pauca ad te ſcripſi de iis, quæ acciderunt in poſtremis ſeceſſibus meis, quia alibi ſatis multa. Adde quod hærent voxque, manuſque vbi enuntianda, aut exaranda ſunt, quæ inter Deum, & animam in ſecreto mentis actitan-

tur: & nisi me tua Patris authoritas loqui de iis cogeret, omninò silerem; satis arbitrata de iis contulisse cum Directoribus vicinis, qui mihi in terris pro Deo sunt. Repleat ille pectus tuum pretiosioribus donis Spiritus sui, protrahatque vitam in annos longissimos. Vale.

ADDITIONES.

Morbi ingraueſcentes præpediebant seruam Dei, & retrahebant à scriptione gestorum; quare inopes rerum cogimur etiam nos hîc sistere adnotationes nostras. Præter inuitationem sponsi nil subest nouum, aut insigne, quod addam: aiebat itaque sponsus.

Heus sponsa! secede à tuis, & recipe te in arcem cordis mei; ibi conquiescens speculare cogitationes patis, quas pro te, atque pro amatoribus meis apud me habeo; ibi cunctas cogitationes quoque tuas ad me conuertes, ibi colloquemur, ibi disces rationem habere rerum mearum magis, quàm tuarum.

M. DC. LX.

Ex epistola diei 15. Aprilis.

QVid certò dicam de præsenti statu animæ, & quanam arte regat illam Deus, anceps ignoro; nam conscia sui nunc humi abiecta, & prostrata iacet; mox erecta ad æthera amore duce conscendit; quandoque vritur cupiditate patiendi pro Deo; interdum quoque arescit; vna re semper felix, quod ad speculanda cœlestia libera sit mens, vnde cor ad amandum Deum excitetur. Verumtamen, vt saniùs loquar, sub infesta morborum frequentia langueſcit ingenium, & corpus ægritudinibus pressum oneri sibi est, quo mihi speciatim lenteſcit gradiendi vigor. Ingraueſcit ætas, procurrunt, labunturque anni mei, & propiùs quotidie obuia appropinquat mors. Ego venienti occurrere apparo, in gradu sponsum expectans, metum inter, & spem, sed subnitens Dei misericordiæ, & meritis Redemptoris mei Christi. Ægritudines, dolores, & cruces appeto quidem, sed reluctatur natura. Spiritus

Deum

Deum, quem ſuprema parte ſui quæritat, oculo nunquam retorto inſpicit, & ad eum continuò aſpirat, ſed quin in eam partem liberè conuolet, caro pondere ſuo remoratur. Ora Deum, Pater mi vnice, vt ſim ipſi fidelis vſque ad metam, vtque ille multa mecum clementia vti velit. Vale.

Epiſtola diei 11. *Iulij.*

SVpplici, & in genua proſtratæ filiæ tuæ benè precare, Reuerende, atque vnice Pater; ſeriùs verò ſcribenti ignoſce: intermiſſum eſt ſcribendi opus valetudinis causâ; nam menſtrua me febris contorſit, & vltra menſem in valetudinarium inter ægrotas coniecit; impedimento quoque fuit, quin debita eulogia ad te tempeſtiuè tranſmitterem. Perferuntur autem modò hiſce cum litteris, tardiùs quidem, quàm par erat, propter longinquitatem morbi; non idcircò tamen leuioris apud te gratiæ, ac pretij futura ſpero.

Nuper de hoc Monaſterio migrauit ad cœlites, vt reor, vna ex commilitonibus noſtris, ſingularis illa quidem innocentiæ, & præclaræ virtutis adoleſcentula: nuſquam parem vidi. Ego verò quamdiu elangueam in his plagis? Quandonam rumpentur exilij mei moræ? Protrahi arbitror à diuina prouidentia ad expiationem, & emendationem flagitiorum meorum; qua de re profundè inſidet menti meæ dies, noctesque omnes, dum vita ſinet, huic me ſtudio, & curæ dicare, atque ita æternitati conſulere. Timeo ſtrictam legem, timeo accuſari de debitis meis, iudicium timeo, & niſi timorem ſiſteret amplitudo diuinæ miſericordiæ, niſi bonam expectationem erigerent pretioſa merita Saluatoris mei, prorſus animo, & cauſa caderem, penſitando præterita diſpendia temporis, & malos famulatus erga Deum, ſiue dum me teneret ſæculum, ſiue dum in cœnobio vixi. Vnde, & magnoperè miror, quo pacto Deus tamdiu impunitam terris dimittat, & inter mortales liberè verſari ferat. Vicem meam doleas, amantiſſime Pater, miſeræ filiæ tuæ miſereat te. Indulgentiam, oro, mihi de cœlis implores, & gratiam, qua tandem animam maculis integrè eluam, vitam in melius vertam, & ad omnem Dei voluntatem nouerim me citò, ſpontè, & perfectè totam conuertere.

Quis ſit hoc tempore ſtatus animæ, & quomodo ſe habeant res meæ, compendio declarabo. Recta, & ſimplici via ad Deum pergo, ſimplicique oblector veritate, conquieſco inſtar infantulæ inter brachia diuinæ prouidentiæ, in quam abieci omnia mea, pendens de geminis vberibus bonitatis, & miſericordiæ ipſius: quicquid incidat, nomine, & à manu eiuſdem incidere æſtimo, & approbo: amando Deo inſiſto, & cordis intentionibus dirigendis, ne accidat vt cuipiam præter vnum Deum curem placere. Vale.

Epiſtola diei 4. Nouembris, duos ante menſes, quàm moreretur, eſtque vltima.

MAximè Reuerende, atque vnice Pater. Aliquid de ſeceſſu meo ſcriptura rogo æqui, bonique conſulas deformem ſcriptionem, exhauſtis iam viribus non parum hebeſcit mihi acies oculorum.

Conſuetos dies ſolitudinis, Deo dante percurri: ægrè quidem, propter grauem corporis valetudinem, quæ contenſiorem contemplationem præpediebat. Dominus etiam parum calefecit frigidam, & arentem leuiter irrigauit rore ſuo. Non ideò tamen à cœptis reſiliui; ſed præſidio fidei, & ſtudio intelligentiæ vlteriùs progredi conata ſum. Interdum quoque bonitas diuina meditanti glorias, momentaque virtutum, procliuem ad eas excitauit voluntatem, ad cordis pariter humilitatem, & ad tantam mei ipſius abiectionem, vt in nihilum recidiſſe videar. In cuius diſciplinæ exordio hanc me primùm lectionem per hæc verba docuit ſummus ille, & ſapientiſſimus Magiſter: *Exue veterem hominem, & noua, qui Chriſtus eſt, induere, in veritate, in iuſtitia, & ſanctitate.* Quæ tria poſterioribus diebus dum orarem, latiùs diuinus ille Magiſter explanauit, erudiens quo vnaquæque earum virtutum conſtaret, quidve complecteretur.

Veritati ſubeſſe docebat ſinceram, non fucatam ſui ipſius notionem, & nihili noſtri palpabilem diſcretionem, ſiue naturam, ſiue gratiam ſpectarem. Nudam tamen eius veritatis ſpecularionem, aut fidem nequaquam probabat, ſed ſi quis, quantumuis donis cœleſtibus diues, nil de ſe altum, vel magnum ſapiat,

ſapiat, ſi ad ſuum nihilum redire nouerit, ſi pro nihilo ſe habeat, ſi nullius ordinis, nullius pretij, nullius rei apud omnes haberi gaudeat, tanquam nihil de ſuo habens. Venire præterea in veritatis partem, aiebat, proprij iudicij, ac voluntatis facilem ſub aliis demiſſionem, expoliationem quoque vltronei cuiuſdam affectus ad ea, quæ ſunt ſpiritualis ſenſus, ac vitæ, vbi quis immoderata quadam propenſione, & priuata auiditate conſilia diuinæ voluntatis præueniens in amata exercitia fertur; cùm Dei paternæ, iuſtæque prouidentiæ cuncta filiali, fidentique animo ſint remittenda.

De iuſtitia leges eiuſmodi vniuerſim ad omnes ſanciebat. *Vt iuſtè viuas, auerte dulcia; blanda, & amica ſperne; ſectare dura, & auſtera; natura ne parcas, nec propenſionibus illius: edoma audacter, frange; aduerſa omnia perfer, contemptiones, ludibria, ægritudines, dolorum contorſiones, & ſi quid aliud eſt naturæ alienum. Amplectere lubens, & tranquilla ſuſtine quicquid obtigerit: iuſtè & ad profectum mortales plectit Dei æquitas: ergo æquis eius voluntatibus ſtrenuè ſubiice te, & conſtanti, æternaque pace frueris.*

Sanctitatem conſiſtere dicebat in imitatione Chriſti Ieſu, & concordia noſtri velle ad eum; Deo item in cunctis ſubeſſe ſine luctamine; eius regimini, atque ductui more infantium ſe dedere: nam progredientes ad regiam cœli præcedat neceſſe eſt hæc infantia ſpiritualis.

His ego virtutibus bene affecta receſſi, ſtatque firmiſſimo propoſito mihi his immorari, ingeniumque, ac manus iiſdem exercere, vt acceptæ à Deo gratiæ, & doctrinæ aptè reſpondeam. Contendam ante omnia datam Deo fidem de eo amando, & omnium officiorum genere colendo, nulla re commaculare; præſenti præſens ſemper adeſſe; omnem guſtum, ſenſumque ſpiritualem nihili facere; excubare quoque attentiùs mihimetipſi, tanquam in dies morituræ. Inter hæc omnia Magiſter cenſorem egit, delicta mea punxit nota. Opponebat quem feci de hiſce tribus virtutibus neglectum. Increpitabat longa ſui obliuia, frigidum pectus ad pia, manum remiſſam ad opus, non benè ſolutam religionem votorum, non relatam frugem ex horreo ſacramentorum, præcipuè non ſatis conſtantem dolorum, & morborum tolerantiam. Nam vt verum fatear, fio quotidie grauior ipſa mihi, greſſum lentiùs, ac penè

moueo, nauſeo omnem eſcam, impoſitam mihi à Chriſto Domino crucem ſecum geſto, etſi leuiuſculam; ſed ſubdo me ſuperioribus Dei ſtatutis, & in eius vlnas me totam coniicio, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem.

Cæterùm, Pater mi amantiſſime, mi optime, & vnice Pater, illacrymans, & prouoluta pedibus clementiæ tuæ pacem poſco. Tu gementi da gratiam, da veniam. Dum vixi, ſæpe, ac ſæpius offenſioni locum inſipiens dedi, iuſſa, conſiliaque tua neque quo decet loco, neque qua par eſt veneratione habui. Benè memini, doleo, heu grauiter doleo. Dolenti precor condonet benignitas tua, ſoluat omni reatu miſeram. Momentum mortis ignoro, vereor repentinam; nam non pauci hoc tempore, & hoc loco inopinatè excedunt. Quapropter ipſa quotidie mortem adire piis exercitationibus paro hoc anno, qui eſt vitæ meæ ſexageſimus nonus. Vale.

Additiones.

Obiit die tertia Ianuarij 1661. Quæ autem ſpectant ad eius obitum, deſcripta leges in poſtremis capitibus libri primi.

IDEÆ DIVINÆ BENIGNITATIS LIBER TERTIVS:

De Virtutibus.

Præmonitio, & caput primum.

COMPENDIO vitæ ſeruæ Dei Annæ Margaritæ Clementis non fruſtra adiiciuntur hoc tertio libro ſtemmata virtutum ipſius. Siquidem, etſi ſimplex cœlorum facies mira paſcat oblectatione oculos ſpectantium illorum formam, altitudinem, atque amplitudinem; longè tamen maiori exhilarat, vbi ſtellantia lumina expandit, ſydereoſque ignes certis inter ſe ſedibus ſeiunctos. Idem mihi planè euenturum ſpero, vt dum breuiter digito demonſtro quibus virtutum luminibus colluceret mens ſeu cœlum huius famulæ Dei, legentium animi oblectatione maxima paſcantur. Id verò operis eò lubentiùs amplector, quod quemadmodum cœleſtes orbes, non ſolùm recreant intuentium aſpectus, motibus, ſpendoribuſque ſuis, verùm etiam influxibus viuificant corpora vegetantium, & telluris fruges; ita dum euoluenda expono exemplaria virtutum huius ſtellati cœli, maiora inde ſuccreſcant ſtudia, & auxilia conquirendæ virtutis: ipſa quippe bonorum exemplorum lectio maius infert imitandi deſiderium, cùm nobiliſſimum docendi genus ſit ipſa exempli exhibitio. Quamuis enim plerumque proſint ad ſuadendum ſine operibus verba, plurimùm tamen ſemper valet ſine ſermone expoſita vita commendabilis; quod luculenter teſtatur Laurentius Iuſtinianus *tract. de compunct.*

compunct. illis verbis: *Vita laudabilis, & mens composita, quidam Præceptor dignissimus est, qui siue taceat, siue loquatur, semper vtiliter monet.*

Non ea tamen mihi mens est cuncta virtutum genera, cunctaque gesta huius seruæ Dei singillatim hoc libello consectari; immensa nimis, atque superflua repetitione implicarer, cùm nulla sit in prioribus libris pagella, quæ non aliquo virtutis radio effulgeat: vnde nil ego hoc postremo libro feciſſe existimarer, quàm scripta huc transcripsisse. Referam ergo me ad paucas, quarum acta hucvsque non ita distinctè, vel expresè recensita fuere. Et sanè debueram hanc seriem ab iis virtutibus auspicari, quæ quia mentem hominis ad Deum recta via, & proximè ferunt, Theologicæ nuncupantur, principes, & causa cæterarum: sed si id egerim, in præfatum errorem relapsus dicar, quandoquidem non sit in tota hac historia locus, vbi non maximè eluceat fulgor diuinæ charitatis, exemplar erectæ spei, & vestigia firmissimæ fidei. Satis accuratè, & sufficienter narrationi, quam instituì, factum esse arbitror, si nonnullas dumtaxat earum virtutum prosequar, quæ à Theologicis emanant, suntque illarum effecta, & testimonia. Quis verò neget pietatem, atque religionem in Deum à fide oriri, & fidem ipsam manifestari per pietatem? Pietas namque, seu religio hominis colentis eum, quem credit esse rerum omnium principium, Patrem, ac prouidum gubernaborem, cultu, veneratioque sua protestatur intimam fidem, quam habet ad Deum, veneraturque ea, quæ sunt à Deo, & ad Deum, veluti Sanctos, sacramenta, sacram scripturam, & eiusdem meriti alia. Quocirca pro fide substituetur fidei soboles, ideſt pietas, seu religio. Pro spe inducetur filia spei, patientia, seu mortificatio. Ardor enim patiendi, & ipsa malorum perpessio altitudinem spei testantur, iuxta Apostolum scribentem *ad Romanos cap.* 8. *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Nulli autem dubium est charitatem erga proximum prolem esse, & fœtum supremæ charitatis in Deum, quatenus pro Deo Patre beneuolentia, & beneficentia complectimur eius filios. Quare prætermissa charitate in Deum fistemus calamum in charitate ad proximum, cui pauca adhuc scitu digna, bonique exempli subnectentur.

De

De pietate, ſeu religione.

CAPVT II.

Pietas, ſeu Religio eſt, qua mens humana dirigitur ad colendum actibus latriæ, æquè internis, ac externis præeminentem illum rerum omnium Authorem, & adminiſtratorem Deum. Hac potiſſimùm excelluit ſerua Dei Anna Margarita, non tanquam parta humanis artibus, licet alioqui magno ſtudio exculta; ſed quaſi ſibi congenita, & quod maius eſt, ſingulari Dei dono data, vt ad omnem Spiritus ſancti pulſum facilis, ac celer moueretur. Quid enim fuit prolixus vitæ eius curſus, quàm aſſidua orandi, atque colendi Dei exercitatio? Non iis tantum momentis quibus ſtato tempore, & loco vnà cum collegis laudando, aut contemplando Deo conueniret; ſed quatenùs nunquam ab eius aſpectu, nunquam ab eius cultu recedebat, filiali affectu apud Patrem Deum omni loco, & hora detenta, vt eius ſapientiam, magnificentiam, charitatemve collaudaret. Nulla quippe re, vel actione ita placidè paſcebatur, quàm quæ ad Dei cultum tenderet. Quoties hora vocaret ad hymnodiam, feſtina greſſu, & exultans animo in odæum conuolabat. Procul hinc, procul omne tædium cordis, procul omne pſallendi faſtidium, etiamſi vltra præſtitutum tempus pſalmodia traduceretur: vocis potiùs exaltatione denotans, quàm potenti affectu intus arderet, etiamſi organa vocis ſenio iam, ac morbis plurimùm langueſcerent. Debilitas corporis, præter extremam, nunquam eam, aut à pſallendo diuertere, aut pſallentem à choro emittere potuit, laudabili arte, ac nexu doctam copulare obſequium oris aſcenſui mentis, vt vnum altero confoueretur. Quocirca monita ſaluti corporis aliquantulum parcere, non acquieuit, quicquid potiùs reſideret in ſe virium, pſalmodiæ in conſortio cantantium exprompſit; ædificationem maximam contubernalibus ingerens, dum zelo religioſæ pſalmodiæ magis ſtudet inſtitutioni Ordinis, quàm incolumitati propriæ parere, donec in lectum proſtrata, omninò prohibita fuit in odæum deſcen-

dere. Tunc priuatim inter ipsos ardores febrium, solitaria, & genibus super strato positis officium Beatæ Virginis omni die persoluit; ita vt si extremas horas exceperis, nulla vitæ dies officio non soluto abierit. Taceo nocturnas horas diuinis laudibus datas, luce clariùs patent ex antedictis.

Ne quid autem cultui, aut reuerentiæ detraheret erga semper, & vbique venerandam sponsi præsentiam, nunquam visa est coram sanctissima Eucharistia sedens, quantumvis longa foret ibidem mora. Secretam verò animi religionem enunciabat oculorum continentia, necnon modestissima totius corporis effigies: siquidem vt monet Beatus Iustinianus, etsi Maiestas Dei ex dignatione sua fiat familiaris, est tamen ex Diuinitatis celsitudine cum veneratione colenda. Quotquot in Ecclesia Monasterij fierent sacrificia, iis studiosè quærebat interesse, summoperè dolens de omissis, si quando manifesto impedimento abriperetur. Parem afflictionem non patiebatur, quàm cum decumbens excludebatur ab audiendo Sacro, quocirca importunè insistens pro licentia, quam mali obstinatio sæpe denegabat, à Superiore extorquebat: qua si non potiretur obtenta, nihilominus adhuc iacens mysteria eius sacrificij mente ruminabat, & venerabatur spiritu, Sacerdotem affectu concomitans, ac si præsens adstitisset.

Quo tempore Regnum Poloniæ æstuabat bellis hæreticorum insurgentium aduersus pium, catholicumque Regem, quid hæc Dei famula non patrauit, quas preces, quæ vota non obtulit Deo pro corroborandis partibus Catholicorum? Quot lacrymarum fluctus non prompsere ab eiusdem oculis auditæ Ecclesiarum pollutiones, dispersi Sanctorum cineres, & deprædata vasa sacri Ministerij? Quin etiam vt illatas templis, nominique Dei iniurias aliquo modo resarciret, tanquam rea commissæ iniquitatis, supplicia corpori inurebat suo. Aliquando ægra non est verita scribere ad quamdam Præpositam, se tanto cordis cum angore intellexisse contumelias, ac ludibria pluribus locis fœdissimè, atque impudentissimè ingesta sacrosanctæ Eucharistiæ, vt ipsa animi ægritudo in corpus emanans doloribus contusam, & tabescentem zelo diuinæ iniuriæ coniecerit in valetudinarium.

Citra omnem controuersiam est tantæ pietatis splendorem

de

de ignita fornace diuini amoris, ſicut lumen ab igne prodiiſſe; tantoperè enim charitate Dei intus excanduerat, vt vndequaque foras erumperent flammæ. Quamobrem Præſul Monaſterij nullum præſentius, atque ſalutarius remedium frigidis in oratione Monialibus ſolebat præſcribere, quàm vt in Præpoſitam oculos coniicerent. *Si cuipiam*, aiebat ille, *deſit pietas, pietatiſque feruor, accedat prope eam, aut contingat ipſius veſtem; non eſt eo efficacior ignis, nec modus incaleſcendi potentior.* Quod non diſſimiliter affirmabat egregius vir Gondrandus, Congregationis Oratorij in Gallia Præpoſitus Generalis, pietate, rerumque penè omnium peritia exculti ſſimus: *Tanta*, inquiens, *pietate, doniſque cæleſtibus diues eſt Anna Margarita Clemens, vt iis diuiſis ſaltem quatuor animæ largè diteſcerent.*

Quapropter cœleſte Numen benigno ſemper oculo conſpexit veneranda obſequia ſeruæ ſuæ, & fidelis cultus præmia multiplicauit. Non rarò vultus orantis inſueto iubare micare viſus eſt, & inſtar Cherubim flammas dare, eodem ferè modo, quo ex conſortio Dei in monte facies Moyſis ſplendida apparuit populo Hebræorum. Sæpe ſæpius ſenſu percepit cœlicos odores manantes de ſacra buccellâ Altaris; aliquando eandem buccellam in præcordia deſcendere inſtar carbunculi igniferi, ignemque ori, ac pectori admouere; nonnunquam os, & ſtomachum eo cibo, tanquam melle dulceſcere. Quæ quidem omnia indubia ſunt argumenta obſeruantiæ exardeſcentis in ara cordis erga Deum, & certiſſima Dei præmia erga famulam ſuam.

Mille pariter artibus diſcipulas ſuas prouocabat ad eadem obſequia cultus Dei, modos proferens altiùs inſinuandæ Religionis, ſiue ſpectemus eam, quæ animo habetur, ſiue honorem illum, qui per externos famulatus defertur. Sagax ſeminatrix frequens pietatis ſemina ſpargebat hortando, docendo, & methodos orandi Dei palam omnibus tradendo; vtque hæc ſemina fructificarent magis, exemplo efficaciſſimo præibat, in promptu, & alta voce ſpeciem orationis ſuæ producens, nonnunquam in binas, ac ternas horas ea dicendi copia, ea mentis ſublimitate, & ardore ſpiritus, vt audientium corda maximoperè in Deum commouerentur. Ne verò conceptus feruor in diſcipulis frigeſceret, excitatis circumquaque tum domi, tum in horto

Digitized by Google

Oratoriis ad facilem precem eas alliciebat, muniens Oratoria ſacris imaginibus, quæ cernentium oculos ad pietatem mouerent, & aſpectu in diuina facillimè raperent : ſi qua laudandi, aut orandi Dei non nota formula ; ſi qua erat indulgentiarum dies, aut Feſti prærogatiua, ſedulò ad communem commonitionem ſatagebat pendere parietibus affixam ſub omnium intuitu eius rei tabellam ; neque apud eam acceptius, aut præſtantius erat donum, quàm ſacrarum reliquiarum ad venerationem, aut imaginum ad ſuſcitandos cæleſtes affectus, aut formula precis aptior explicandis animi votis.

At parum erat zelo religionis ſuæ iſthæc pietatis officia inter ſepta domeſtica concluſiſſe, ni foras protuliſſet varios modos, quibus diuini Nominis gloria apud omnes promoueretur. Quo enim amor ad Deum ardentior eſt, eo ſollicitior extitit, quomodo eum valeat honorare, aiebat quidam. Adnotatum iam olim fuit ab iis, qui primordia vitæ huius ſeruæ Dei attentiùs inſpexere, quod à primis annis, cùm vix elementa fidei, ac religionis Chriſtianæ intellectu conciperet, ſoleret coæuis adoleſcentulis eadem communicare ; grandior verò collectis cœtibus pauperum ſtudio laudabili impertiretur, quam acceperat de Diuinitate notitiam, timorem, venerationem, legis Euangelicæ intelligentiam, morum honeſtatem, & eiuſmodi alias vitæ Chriſtianæ primitias ; gratis accepta gratis donans. An verò credamus in Monaſterio, quod eſt propria, atque nutricia pietatis ſchola, & in quo cuncta militant laudi, cultui, & honorificentiæ Omnipotentis, oblitam eſſe æmulari glorias Dei, & de proximo benemereri? Clauſtris Monaſterij circumſepta, inopes inſcios auditorio aggregabat domeſtico ; myſteria fidei, vt nouerat, dilucidabat ; ritus, rationemque colendæ Deitatis, amorem recti, præceptorum Dei obſeruantiam amanter, ac perſpicuè commendabat. Si quem in hac via prouectiorem offenderet, gradatim ad ſublimia virtutum erigebat. Incedentem per ſemitas contemplationis, data manu per arcana, venerandaque Deitatis Sacramenta hilaris deducebat : ita cum Apoſtolo accommodatas cuiuſque captui eſcas diuidens, vt apud quoſlibet laus Conditoris, & æternæ Maieſtatis veneratio propagaretur. Quo illud etiam honorati nominis adepta eſt, vt quemadmodum ſupremi Numinis di-

gnitates,

gnitates, ac glorias religioſa commendatione vniuerſim apud omnes celebrabat ; ita viciſſim communi omnium voce, Principum etiam virorum, ac Matronarum commendatione, pia, religioſa, & vnicè Deo deuota fœmina proclamaretur.

Præter ea, quæ interiorem pietatem generant, ac nutriunt, curiosè quoque ea adminicula interna contulit, quibus pietas fouetur. Indefeſsè intendit ornatui templorum, quæ ſedes, & thronos Diuinitatis vocitabat; vela, veſteſque ſacras ornandis Eccleſiis, tum proprij Ordinis, tum exteris, acu, & digito aſſiduè pinxit, formauitque ſuo, Phrygionum arte eximia : & quo magis iuuaretur cultus Dei, iuuenculas, nouitiaſque ſuas eadem arte nunquam renuit imbuere; ad laborem ea ratione exacuens, quòd ad decorem domus Dei cederent, docens ex eleganti apparatu magnam Sacerdotibus dignitatem, Altaribus ſplendorem, Eccleſiis maieſtatem, & Deò honoraria dona accedere. Quo fiebat, vt illæ alacriores in officinam ad operationem conuenirent, & lautior euaderet Eccleſiarum pompa ex adaucto opificio Sororum, in quarum omnium brachiis magiſtra cenſenda eſt elaboraſſe. Cùm verò ex inopia res, & opes deficerent, ne optato cultui deeſſet, ad alienam opem erat illi recurſus, emendicando quod parandis vaſis, & quod compingendis veſtibus donaret Eccleſiis egenis. Adde quod cùm munus colendi, atque inſeruiendi Deo iis potiſſimùm adnexum ſit, qui à negotiis, curiſque ſæcularibus ſemoti, in cœnobiis quietam vitam ducunt, diuino famulatui vnicè, & omnimodè mancipati; Anna Margarita pro ſua in Deum pietate ad illius vitæ genus cunctos hortabatur, fallacias ſæculi detegens, & beatam ſortem eorum prædicans, quibus ſingulari priuilegio id gratiæ cœlitus obtigiſſet : ſique ex ſua animi ſententia res ſucceſſiſſet, vniuerſum mundum in vnum cœnobium conuertiſſet, vt ibidem conglobati pſallentium chori, perpetuò Dei opera collaudarent. Nec temerè, aut ineptè à nobis in argumenta erogati Deo cultus aſſumentur familiares, & quotidiani ſermones, quos ſerua Dei de rebus diuinis aſſiduè miſcebat. Etenim cùm verba ſint quidam fœtus naturales conceptionum mentis, vtique ſermo teſtimonium erit minimè ſuſpectum affectus intus in animo exiſtentis ; ſiquidem ſerua

Dei inferebat ſe magno zelo, omni loco, & omni occaſione in eas ſermocinationes, quæ erant de diuinis encomiis; inſuaues autem, ac odio habebat, quæ erant de humanis, caduciſque rebus. Sæpè verba facienti de Deo facies plus ſolito ſplendere, & radios ſpirare viſa eſt. Non rarò quoque accidit, vt diſſerentem de Dei charitate ardor mentis à ſenſibus alienarit, & media verba intercluſerit; vt interim per illud pium, & eloquens ſilentium mens ſua familiari collocutione Creatoris modeſtè, ac reuerenter frueretur.

Poſt Deum Optimum Maximum primitiæ honoris, dilectionis, cultus, & obſequij Deiparæ Virgini reddebantur; recto nimirum, & ſic diſpoſito ordine, vt ſicut Dei Filium Mater ipſa non antecedebat, ita Matrem nullus cœleſtis Curiæ Ciuis præiret. Virgo fuit verè filia adoptiua Genitricis Dei, quam ſummo ſemper honore, reuerentia, & gratis officiis eſt proſecuta. Quin Beatiſſimæ Matri tributum officij Eccleſiaſtici quotidie penderet, morbus tantummodo extremi diei obſtitit; & quin diebus ſingulis, flexiſque poplitibus Mariam cum Angelo iteratis in coronam ſalutationibus veneraretur, non niſi poſtrema hora mortis impediuit. Nouemdiales preces chariſſimæ Matri omni tempore offerebat, & eas potiſſimùm, quas peregrinantium more in diſſito horti Sacello ad eius ſimulachrum deferebat; nunquam retardata aëris intemperie, non frigorum rigoribus, non inceſſus moleſtia, nec hydropiſis grauitate, quoad morti inſuperabilis violentia greſſum omnem abſtulit. Inſatiabili cum voluptate Beatæ Virginis præconia decantabat, inſatiabili gaudio de ea colloquebatur; nec vlla re tantopere recreabatur, quàm addidiciſſe nouam aliquam methodum colendi eam. Ad eandem inter varios huius vitæ caſus fortior erat fiducia, tutiuſque perfugium; illam ſibi, illam afflictis auxilio inclamare ſolita; ſolita etiam viciſſim auxiliatricem habere, cui propterea pro grati animi pignore, poſtrema calami ſui opuſcula conſecrauit. Feſtos, ſolemneſque dies Deiparæ cultui dicatos ritu ſingulari, nouis ſemper rationibus, atque profectibus honeſtauit, & à ſuis cohoneſtari curauit hoc potiſſimùm inſtitutionis genere (quod nouitiatum Beatæ Virginis cognominabat:) per dies octo feſtum antecedentes, perque totidem ſubſequentes indictum

erat

erat ſeuerius ſilentium, perpetuaque animi collectio, vt orationibus, virtutumque exercitationi attentiùs vacaretur. Orationum ſumma erat pro conſtantia religioſæ humilitatis, & ſimplicitatis in ordine, & pro ſpeciali puritate propriæ conſcientiæ, ne aliqua animi leuitate contingeret Deo diſplicere; denique pro felici tranſitu ex hac vita, vt non tam mortis, quàm ſacris amoris ictibus quælibet earum è viuis excederet. Per illorum dierum interualla iuſſum erat cuique, quotidie edere quindecies repetitos actus propoſitæ ſibi virtutis, a[illegible] poſtulandam ab eadem Virgine communionem eius ſpiritus, quo actiones ſuas illa animabat. Porrò in quouis congreſſu, vel colloquio, ſiue etiam in ſilentio frequentiſſimè refricanda erat ſanctiſſimæ Matris, ac Patronæ memoria, tum ad eiuſdem celebritatem, tum vt ex imitatione celeriùs ad apices virtutum ſingulæ proficiſcerentur.

Proximè ad Deiparæ dilectionem, & animi deuotionem accedebat obſeruantia, & cultus erga ſanctiſſimum Patriarcham Ioſeph eiuſdem Deiparæ ſponſum, cuius Oratorium nullo non die inuiſebat, prolixiùs ibidem orans; affirmabatque, eum ſibi ſemper fuiſſe fidiſſimum vadem apud Deum, & eo deprecatore facilè obtinuiſſe à diuina clementia quæcumque expetereret. Tertio loco ſtabat venerabilis memoria ſanctæ Annæ, cuius vt nominis, ſic & virtutum hæres euadere magnoperè ſtudebat; hortationibus quoque, & exemplo compellens ſocias eiuſdem nominis, vt ſpeciatim per octauum feſti plurima virtutum illus honori deuouerent.

Procul à ſcopo narrationis meæ abirem, ſi cuncta religiosè facta erga cœlorum incolas, ſiue ſint angelici ſpiritus, ſiue hominum beatæ animæ, enumeratò, & in longum ducere inſiſterem: latè, & ad omnes Sanctos patebat eius religio, ita communi quodam affectu, & veneratione complectens vniuerſos, vt eorum ferè quilibet gloriari poſſet, extare ſibi in hoc templo erectum, aſſignatumque Altare, necnon ſtatutum feſtum diem, quo peculiariter nominis ſui memoria honorificè celebraretur. Quamobrem laudi omnium Sanctorum ſeriem Litaniarum quotidie perſoluebat.

Minimè tamen liberum mihi eſſe puto ſilentio præterire, quàm amanter, quàm reuerenter nomen, memoriamque Sanctis

cti Patris, ac Magistri sui Francisci Salesij recoleret; nihil ipsi iucundius, nihil erat pretiosius, quàm de hoc Ordinis Parente, ac directore proloqui, sanctitatem sublimè extollere, & cœlestem doctrinam propè ad omnem passum sequi. Læta gloriabatur, cœlitus sibi prærogatum vidisse agentem sacra mysteria, audisse docentem, habuisse correctorem, religiosa indumenta ipso dante suscepisse, & in susceptoris sinum vota Religionis emisisse. Non illi dies, non illi noctes ad rememoranda ab eo accepta beneficia suffecerant. Aurea verò, & superni dictaminis scripta eiusdem nulla non hora, manu, menteque reuoluebat; atque vt ille quantociùs coronæ Sanctorum, tanquam recens, & incomparandi pretij gemma adiungeretur, quotidianis expostulationibus à Deo bonorum operum remuneratore deprecabatur. Qua in re, nec preces, nec operam perdidit, cùm postremis diebus Sanctissimus Dominus noster Alexander VII. eum catalogo Sanctorum apposuerit, ab vniuersa Ecclesia venerandum.

Maximo pariter in honore, ac pretio fuere apud Annam Margaritam, Ioannæ Franciscæ de Chantail documenta, admonitiones, leges, siue scripto, siue lingua prolatæ, vt sicut fuerat in Ordinis fundatione socia, ita fieret honoris, & obseruantiæ particeps, & ipsa discipula haberet ante se ducem, cuius vestigiis accommodaret sua. Sicque habes in hac famula Dei clarissima insignia eius pietatis, quam parentibus exhibere debent filij.

De charitate ad proximum.

CAPVT III.

LAxissimi sinus, & quasi ad omnes proiecta fuit huius seruæ Dei charitas, quoscumque sine discrimine amplectens, pro cuiusvis salute nullum laborem declinans, eo quod nullus esset apud eam contemptibilis, nullus non dignus ope sua; maiora tamen molimina charitatis extitere ad eos, quos longè à diuinis legibus nouerat deuiare, millies ad aram sacrificio

ficio insumi peroptans, vt illos Christo lucrifaceret: vixque enumerari possunt, quot appositi sint Deo beneficio precum, colloquiorumve suorum, qui quamuis magnat difficultates, & impedimenta suadenti quæ recta sunt, obiicerent, tamen non sustinentes pondus, ac robur sermonum eius, manus dare cogebantur; eius quippe verba animata spiritu viuidæ charitatis, instar rapidi torrentis quicquid contrà opponeretur, euertebant. Plerique de Aula, & de comitatu Ducis Aurelianensis, pompis, retibusque sæculi implexi, post colloquia, & hortationes huius seruæ Dei animo voluentes fallacias vitæ anterioris, & intelligentes quantò sit consultius æternæ beatitudini consulere, feliciter de cœno vitiorum, ad munditiam cordis, ad pietatem, cultumque virtutum transmearunt. Nonnullos etiam Ecclesiastici Ordinis, incedentes per ima, & triuia vitæ christianæ, docuit ad altiora, & perfectiora conscendere, insigni cum charitate manuduxit ad sublimes profectus orationis mentalis, statuitque in tam alto exemplaris vitæ gradu, vt eorum plerique optimi euaserint Magistri erudiendis aliis in via Domini. Admiranda sanè fuit ea cordis placiditas, qua pauperes, & ignaros instituebat rudimentis fidei, pioque vsu Sacramentorum, binas quandoque, ac ternas horas huic magisterio impendens. Non omnibus tamen probata erat tam ampla charitas; sed bona pædagoga pauperum pluris faciens opus charitatis, quàm illatas contemptiones, ne hilum quidem subtraxit operæ suæ, cui zelus alienæ salutis plurimùm etiam suauitatis immiscebat. Vix autem quispiam subsidia precum ab ea implorauit, quin optata vota referret, promerente nimirum deprecatricis sincera charitate.

Certissimum quoque est, nullius reiecisse postulationem, vbi postulatis posset aliqua via satisfacere; tanta erat in ea ad benemerendum de omnibus procliuitas, vt non tam charitatem in præcordiis suis, quàm ipsa præcordia charitatis videretur habere. Superior existens monasterij, & maiori pollens authoritate, quocumque liceret modo inopes, ac calamitosos solabatur, aut sua erogans, aut aliundè quæritans. Quis Religiosorum non est vsus munificentia eiusmodi charitatis, vel vt saniùs loquar, non est vsus domestica pauperrate nascentis Monasterij? Mater domi omnibus egens, omnium egestates sub-

leuare ſtudiosè conabatur, perinde ac ſi ingentes theſauros in arca, & manu tenuiſſet. Cum verò alendis pauperibus nihil elargiendum ſubeſſet, detractam ori, ſtomachoque ſuo portionem pro eorum alimonia deferebat. Quid dicam de afflictis aliquo infortunio, & omnia mœſtis? Alienas primùm mœſtitias faciebat per commiſerationem ſuas; quoniam mali commiſeratio, præter id quod eſt potens miſerorum conſolatio, ſtimulusquoque eſt fortiſſimus ad ferendum eiſdem ſubſidium. Quare nil apud eam potius vidiſſes, quàm poſſe mœſtis ſolamen aliquod porrigere, aut verbo, aut facto, aut litteris commendatitiis. Sæpè etiam ne illi mœrore tabeſcerent, non rogata officiis ſpontaneis occurrebat, vt debito charitatis ſatisfieret lautiſſimè. In publicis calamitatibus, præcipuè inter bellorum turbines, pia vota, & labor Præpoſitæ eò primùm tendebant, vt iram Numinis diuini hominum flagitiis violati ſedaret, & eo placato tranquilla fierent omnia. Ideóque continua erat Sororum ſupplicantium proceſſio ad horti Oratoria nudis pedibus, & fune ad collum appenſo; geminatæ preces nocturnæ, duplicata cumflagellis ieiunia, aliaque pœnarum genera, quibus placabilis efficaitur Mieſtas Diuina. Amarè enim tangebatur bona Mater tot extremis mali Reipublicæ; cumque eſſet tenello corde, de communi vaſtatione dolens liquefiebat inter eas anguſtias, vt adnotatum eſt libro primo. Tenuior erat domi annona, aliquid tamen maius conſueto ſolebat ſeponere ſuſtentationi egenorum, vt quo in triclinio anguſtior erat res, eo ditior foret ex charitate liberalitas.

Quamuis autem omnes aliqua re egentes opportunè, & pro facultate Monaſterij aliquem fructum eius charitatis perciperent; ordine tamen, ac ratione quadam (quod prudentis, & bene ordinatæ charitatis eſt) promptior, & officiis amplior erat erga domeſticos. Quotquot religioſum illud contubernium componebant, beneficentiam Matris expertæ ſunt, nec vlla fuit, quæ non ſe diceret eius beneficiis deuinctam. Omni tempore, vel potiùs ad omnem horam facilis ad eam patebat acceſſus, & receſſus; nouerat namque cum Apoſtolo omnibus omnia fieri, vota ſingularum, quantum liceret, ſemper parata ſequi, aut etiam præuenire. Satis erat indigentiam vidiſſe, aut aliqua via internoſſe, vt quamcitiſſimè leuaret, vel opera ſua,

vel

vel si non posset, aliena, vel certè ope à Deo postulata. Summa autem vigilantia excubabat deducendis illis Deo, blandis vtens suasionibus, & valentioribus exemplis: nec quapiam erat inter eas tam duræ mentis, aut rudis ingenij, quam suo imperio, quò vellet, facilè non flecteret. Si qua monitis recalcitrans nimium pertinacem sese præberet, ac deuiam, quacum Mater oleum, atque operam perdere videretur, tantùm abest, vt quicquam de sua erga illam tolerantia, & sollicitudine remitteret, vt potiùs pro necessitate amplificaret, donec firmiter, ac patienter expectata Spiritus sancti motione, obstinatum pectus emolliretur. Non rarò visa est genibus prostratis, lacrymisque cadentibus delinquentem subditam prouocare ad bonam frugem, tam vehementi contentione, vt illa non potuerit eius dictis non subiacere. Visa enim quandoque orans ad ostium cellulæ Sororum, ac etiam ad pedes lectuli misericordiam, & opem diuinam pro earum emendatione implorare. Neque tamen magnitudini zeli sui hæc, & eiusdem modi alia sponte pro subditis facta, suppetiæ tantum suffragantis sibi videbantur, sed actus ex propria debitione, quippe se debitricem æstimabat erga diuinam iustitiam de singularum offensis; ac proinde non minùs pro illis, quàm pro suis flagella, ac supplicia sibiipsi infligebat insons Mater, communia delicta luens, tanquam communis victima Monasterij. Sæpenumero sub sero, expletis laudibus diuinis, clausoque odæo palam sociis audientibus, sæuiens in seipsam diris se flagris discerpebat, eluens in cute sua communes, atque interdum peculiares, vt dicebam, culpas Sororum, nullo vnquam consilio, aut modo passa abduci ab ea supplicij sæuitia. Quoties etiam aduerteret aliquam de sibi subditis non benè, ex animo, aut ex facti pœnitentia paratam ferendæ mulctæ delicti sui, pia Mater, vt filiam redimeret, sibi ipsi inferebat.

Præcipua verò charitatis eius gloria emicuit in ministerio, solatioque ægrotantium: de qua charitatis specie relata sunt prioribus libris illustrissima exempla; veluti quod mediis in colloquiis, & amoribus cum sponso, ad leue suspirium Sororis infirmæ, relicto sponso cucurrit ministra; quod congeminatas vigilias noctium pro nihilo haberet, dummodo infirmis præsto adesset; quod infima, & abiectissima seruitia mater sibi assumpserit,

ſumpſerit, etiam præſentibus miniſtris valetudinarij; quod ſemper prior accurrerit miniſterio; quod denique eloquio, ac verbi dulcedine potentiùs, quàm vnguentis moleſtias morborum leniret. Addam, & hoc inſigne charitatis teſtimonium. Hilari ſemper vultu, & manu ſtrenua, necnon cum ſingulari animi voluptate iſthæc officia peracta fuiſſe, poſtpoſitis etiam ipſis diuini cultus operibus. Seruire enim Deo, aiebat, & infirmis propter Deum, idem eſt.

De mortificatione.

CAPVT IV.

EXequar proximè eius virtutis laudem, quæ ex prudenti affectuum moderatione, legitimaque carnis caſtigatione trahitur, mortificationis vocabulo, in cuiustutela ſtat animæ puritas, pacis ſtabilimentum, & ſpes Regni Cœleſtis; conregnabimus enim, ſi cum chriſto patimur. Siquidem diuina prouidentia famulam ſuam, ne ſtultè ad mundi delectabilia diffluereret, ſpiritu quodam aſperitatis aduersùm ſemetipſam ſic armauit, vt etiam libera, ac licita oblectamenta horreret, nuſquam tantum voluptatis depromens, ac in cruce ſponſi ſui, & in cacumine montis Caluarij.

Primò omnium oculos, animumque ſolerter retraxit à curioſa, & ſuperuacanea inſpectione, ſeu inueſtigatione rerum, ne illarum nouitate, & aſpectu dilaberetur à ſua ſummi boni contemplatione, neue dum foris aucupatur nuntia vulgi, intus Dei colloquiis obſurdeſceret: ſicuti enim ſilentium, rerumque exterarum ignorantia, bonarum eſt cogitationum cuſtodia, ita mentis per inania excurſus, earundem eſt diſſipatio. Quapropter cauta Dei ſerua, ne de ipſius quidem Monaſterij negotiis quicquam ſolebat præter neceſſitatem perquirere. Perturbationes, ſeu affectiones animi tanto robore compreſſerat, vt magis conuulſæ, quàm ſopitæ viderentur: & eæ ipſæ, in quas natura ferebatur procliuior, non magis ſe actibus externis dabant viſendas, quàm ſi ipſis, aut earum motibus

bus caruiſſet. Certè natura erat contradicti impatiens; attamen reprimendo impetus, ſignaque commoti animi, de ſua lenitate non abſcedebat. Poſſedit quippe animi lenitatem eo eminentiæ gradu, vt etiam repentinis caſibus ſibi ſemper eſſet æqualis, ſociis ſemper æqua. Atrocibus iniuriis aliquando impetita à quodam, quem ſibi multis officiis adſtrinxerat, non alio ſe verbo defendit, quàm, *Vetula ſum, digna per omnium manus concuti lapidibus.* Nè quis tamen æſtimet, eam elementa quædam huius virtutis à natura traxiſſe, perueniſſeque ad tantum placiditatis cumulum beneficio bonæ, benignæque indolis: ſi oculos conieceris in poſtremos illius annos, & mentem conſideres tantoperè aſſuetam placiditati, procul dubio innatam, datamque à natura virtutem opinaberis: ſin autem teneros annos, & ipſa infantiæ cunabula reuolueris, dum adhuc in paterna domo educaretur, non defuiſſe ipſi ſpiritum ſuperbiæ, atque iracundiæ, argues ex eo, quod plus cæteris amari, præferrique ſociis, atque ſororibus quæreret, quod eſſet infeſta ſociis, quod non ſuſtineret infici nota, ſeu nomine improbitatis; confeciſſe potiùs ſibi talem, tantamque gloriam lenitatis aſſeres aſſiduitate, & vi actuum, longo conflictu, & frequenti victoria aduerſus iracundiam inſurgentem; præcipuè autem peculiari dono Dei, non ingenitæ indolis priuilegio.

Gaſtrimargiam viriliter edomauit, non eam tantum, qua per ingluuiem ingraueſcit corpus, ſed eam, qua ex epularum delicio mens habeſcit ad cœleſtia. Virgo auſteris gaudens nolebat contagione deliciarum relaxari morum normam caſtiſſimam, nec ſolui propoſitum illud, quo cunctis ſæculi voluptatibus renuntiauerat, vt pleniùs frueretur diuinis. Si quod eſculenti genus vile, tritum, & inſulſum apponebatur, in illud auidiùs ferebatur, reiectis delicatulis. Cùm præter conſuetudinem edulia pretioſiora dono mitterentur, illibata dimittebat, callidè tamen, & occulta cum induſtria, ne voluptati faueret, aut gloriæ. Panis, & aquæ frigidæ frequens illi, & familiaris vſus, familiarior autem in prouigiliis feſtorum, vt quo ſimplicior erat victus, eo efficacior foret oratio. Strictam ieiuniorum legem nil magis in ſenecta, quàm in iuuenta temperauit, non abſque ſpectantium admiratione; ſed illud mirabiliſſus,

quod annis grauata, & morbis, nulla re adeò afflictaretur, quàm mitioribus cibis vti. Audiamus conquerentem in quadam epistola anni 1658. *Ingraueſcente* (ait) *pondere molis corporeæ, etiamſi lento gradu, grauatè tamen incedo. Cadaueritium vultum mihi obiectant omnes: facilè crediderim, oneroſum enim cadauer traho, non gero. Pabulum non odi, deguſto potiùs. Sed oh duram crucem! Oua in Quadrageſima deglutire cogor, & iuſcula pinguia. Oh crucem aſperam! Nouit ipſe Deus, quanta id cum nauſea, & animi faſtidio faciam.* Hæc illa, & alibi plurima eiusmodi. Nam talia subsidia ad vitam necessaria non nisi per vim acceptabat.

Communibus tamen, & quotidianis cœnobij austeritatibus minimè contenta, duriores continuò, & per mille vias quæritabat, quibus naturalis patiendi repugnantia magis, ac magis vinceretur, fieretque satis suæ appetentiæ pœnarum. Quæsitas autem, atque inuentas non arripiebat solùm, sed quantumcumque amaras deuorabat. Sæpè lotis manu sua linteis, de fœtenti, & sordida lixiuia potionem traxit; sæpè ramulis spinarum contexit nuda brachia; sæpè lapillis, ac spinis plantas excruciauit: sæpissimè in ministerio ægrotantium pernoctauit; sanguinolenta flagra ter per singulas hebdomadas; cilicium verò frequentiùs adhibuit. Nullum opus laborioſum visa est subterfugere; ad labores prima, è labore vltima: fatiscere ei corpus visum est sub pondere lignorum, ac lapidum; aquam de puteo irrigandis hortis tantumdem trahebat sola, quantum duæ robustissimæ famulæ. Denique vix vni vitæ momento passa est suam deficere mortificationem. Neque enim hoc loco in medium protraham singulas pœnarum species, quibus corpus suum conflictabat; singulares sunt, & solis mentibus feruentioribus vsitatæ, nec omnes calamus delineare, nec charta omnes potest referre. Vno igitur verbo sic definio; ea seueritate corpus suum torsit, ac si nihil sui fuisset, ab illo plus exigens, quàm ferre posset. Quocirca omni hora lateribus Præpositarum suarum aderat, molestè rogitans aliquod pœnarum genus, quo vetera peccata sua delerentur. Monita verò à sociis, per crebriora flagella inferri aliquam violentiam legibus inter eas institutis; respondit, sibi peculiari priuilegio indultum ab ipsa Ordinis Parente, ac Fundatrice.

Mulctationes hilari semper animo, & ore ridenti adibat, siue

Digitized by Google

ſiue æquiores forent, ſiue rigidiores; nullum vnquam læſi animi, etſi læſi corporis, indicium præferens. Auſim dicere, neminem quantumuis humanæ gloriæ auidum, tam ambitiosè, ac lætanter dignitates, hominumque præconia captaſſe, quàm Annam Margaritam obiurgationes, atque animaduerſiones. Inter repulſas læta, & ſeruata vbique pari animi æquitate. Cùm quis acceptæ ab ea iniuriæ quereretur, quamuis culpa vacaret, verbo primùm placare ſtudebat: quod ſi minus eſſet, ſeſe in genua proiiciens, omnem iram propulſare nitebatur: ita humilitati ſuæ nouam alimoniam, ſociis nouum humilitatis exemplum præbens. Quoties cuiuſpiam innocentiam peſſundari, aut iniquè opprobria probis inuri cerneret, omnem iuſtorum defenſionem ſuſcipiebat. De ſuſcepto patrocinio querelæ, deriſiones, & conuitia inimicorum nullatenus eam ab inceptis retrahebant. Charitas ad ſuſtinendas partes innocentium impellebat, mortificatio cuilibet malo pro eiſdem ſubiiciebat.

Pullulaſſe autem tantam famem patiendi de interna ſui abnegatione, atque de pio aduerſum ſe odio, apud neminem in controuerſia ſit; ſed neque in dubio, hac via eò acquiſitæ patientiæ perueniſſe, vt tandem de nulla moleſtia moleſtiam pati videretur, ſicut epiſtolæ eius manu diuerſis temporibus ſcriptæ fidem aſtruunt. Ea quoque fuit in hac re grauitas conſtantiæ ipſius, vt datas ſibi à nouitialibus rudimentis leges, ac methodos religioſæ auſteritatis, ad vltimam vſque ſenectam cuſtodierit, illas non annis, non officiis, non alia quauis occupatione abſe vel minimùm abdicans; memor in minimis quibuſque rebus, omnia huius diſciplinæ momenta eſſe ſeruanda, ne paulatim ad na[illegible]æ licentias fiat regreſſus: facilior enim eſt à continentia ad incontinentiam, quàm vice verſa tranſitus.

De

De humilitate.

CAPVT V.

NOn hîc iterum celebrare inciplam encomia eius humilitatis, quæ recondita in intimis viſceribus huius ſeruæ Dei baſis fuit cæterarum virtutum, qua per certam, veramque cognitionem ſui, & per cognitionem præpotentis, æternique Numinis, promptè ſe illi in omnibus ſubigebat, ſe autem de nihilo genitam pro nihilo habebat, aut certè reputabat nullius rei rem. Huius humilitatis merita, ſi in hunc locum aduocare tentauerim, huc quoque totus dictorum contextus reuocandus eſſet. Arguent me de re ſuperflua vniuerſæ ſcribentis epiſtolæ, in quibus vix vnam offendes huiuſce virtutis radiis non coruſcantem. Hac duce viam ſibi aperuit ad pretioſa Dei dona, hac prædam fecit ſponſi cœleſtis, hæc illi pro dote fuit ad nuptias vnigeniti Filij Dei: per eam Patri in chariſſimam filiam, & per eandem tranſiit in nidum Spiritus. Sancti Et ne vlterius progrediar, cum humilitate omnia illi bona venere. Igitur ſermo noſter tantum erit de quibuſdam externis actibus ab interna cordis humilitate prodeuntibus.

Bono illi conſilio, & vſui fuit ſolida ieciſſe fundamenta huius virtutis ab ipſis cunabulis religioſi tyrocinij; ſed non minori fuit auſpicio, atque profectui pertinax cura magiſtræ, quæ nullo momento oculos remoueret à cenſura nouitiæ, eam infrà alias ponens, deſpiciens, & mactans continuis caſtigationibus, donec in omni humilitatis diſciplina formaretur, atque firmaretur. In hoc tyrocinio puella ingenij neque vilis, neque exigui, acerbitatem obiurgationum, & imperiorum acriter ſentiebat, nondum enim parata iam virtus ſenſum contemptionis abſtulerat; & nihilominus animi magnitudine, & ſtudio comparandæ humilitatis, contemptionem omnem, ac depreſſionem tranquillè amplectebatur, & deſpectionibus detrita, multò ſe magis ipſa ſolebat deterere. Qua profectò arte, atque induſtria effectum eſt, vt tandem nihil eſſet in eius geſtu, nihil

nihil in voce, nihil in verbo, & actionibus, quod apprimè decorem humilitatis non referret. Quantum deinde gloriæ his triumphis acceſſiſſe putabimus, vbi cuncta ſua pro augenda ea virtute ponenda eſſe deliberauit, & reuerà expoſuit vſque ad extremam vitæ periodum?

Si aliquo caſu contingeret mentionem fieri de ſtirpe, aut de familia ſua (quæ ſanè honeſta erat, ac nobilis) non inſolenti, vel ambitioſo fiebat circuitu ſermonis, ſed ſimplici, familiarique verbo, aliquid ſemper lucis de ſplendore domeſtico detrahente, quo generis ſui non dignitatem, ſed obſcuritatem audientibus obiiceret. Generatim verò tanquam venena modeſtiæ chriſtianæ auertebat vniuerſos ſermones, qui ſibi ad honorem, & ad plauſum verterentur, abhorrebatque maximè ab iis omnibus rebus, quæ aliqualem elationis eſcam, vel apparatum laudis ſibi poſſent afferre. Quam quidem gloriam humilitatis florentiorem facit, quod pluris propriam depreſſionem, & infamiam faceret, quàm adinuentum theſaurum. Quocirca nulla re quis eius beneuolentiam ſibi meliùs conciliabat, quàm per aliquam correctionem; non erat eo potentius philtrum amoris, aut amicitiæ. In annuis viſitationibus Monaſterij, ſi qua de re Viſitator illam ſecretò monitam faceret, ipſa ad luculentius ſui ludibrium conuocatis ſororibus, palam, & alta cum exaggeratione euulgabat, pro nihilo habens ab humana æſtimatione cadere, dum ipſa ab humilitate non caderet; nimirum res ipſas ex veritate, & proprio pondere expendens, non ex hominum vulgari iudicio.

Non rarò petiit ab Ordinis Moderatrice deiici inter famulas domeſticas, tum vt cum illis ferret grauiora pondera famulatus, tum vt in illa infima conditione, tanquam in latiori campo liberiùs excurreret gaudium ſubmiſſionis. Renuente Moderatrice expetitum officium famulæ domeſticæ non eſt ſortita: verumtamen quamdiu vixit, ſeruauit deſiderium, ſeruauit ſpiritum, exhibuit acta, manu, & opere cum illis elaborando, vicem ſuam parandis in coquina cibis explendo, licèt etiam Superioris officio fungeretur: nam & quodcumque foret in famulatu vilius, atque abiectius miniſterium, illud ſibi maxima cum delectatione prærogabat, vt ex maiori operis difficultate, maioris quoque meriti demeteret incrementum.

rem malorum omnium, quæ in Monaſterio fierent, & contra ſe ipſam omnem vindictam depoſcebat. In conuentibus, vbi coram Antiſtite, velut in publici iudicij loco, communes, & domeſticæ culpæ referebantur, aliqua mulcta puniendæ, Mater ipſa, vt cum cæteris rea crederetur, cùm eſſet innoxia, prior cæteris humi ſtrata, ſolumque exoſculata, ſententiam, impoſitamque pœnam ſubibat, quaſi nihil intereſſet noxiam haberi, aut innocentem. Eluxit hac re ſingulare humilitatis opus erga ſubditam pertinacem, & obedientiæ irreuerenter detrectantem; etenim Mater nolens renitenti moleſtior fieri, loco ſe ſummouit, animo contemptum tulit, expectauit alicubi obuiam, ſtatimque in genua coram illa ſe dedit, & offenſa offendente placidior veniam importunitatis poſtulauit. Accidit quoque interdum, vt aliqua de teneriùs abs ſe dilectis, Matrem vel nihili faceret, vel etiam prima derideret (quod ferè inter ingratos fit, non ſine graui benefactorum ſenſu.) Attamen ſerua Dei ſublato omni queſtu, omnique animi perturbatione, pronior ibat in delinquentis amplexum, & æſtimans maius proficiſci beneficium ex iniuria, quàm ab vrbanitate, ampliori-bus quoque obſequiis compenſabat.

Mos eſt apud Sanctimoniales à Viſitatione dictas, vt intra ſolitudinum dies, quælibet ipſarum loco publico, & cæteris audientibus propria quædam errata manifeſtè accuſet. Id Præpoſita noſtra tali apparatu contritionis, & humilitatis, verbiſque contra ſe contumelioſis peragebat, vt ſodales ſpectantes ſquallorem, & deiectionem Matris, non ad ſolam commiſerationem, ſed ad plurimam erubeſcentiam commouerentur. Prodibat in cœnaculi medium, quaſi in tribunal, corpore inclinato, reſti ad collum alligata, grauique ſaxo inde pendente, quo grauitatem criminum ſuorum indicabat. Ibi humi proſtrata, & motibus humilitatis pleniùs indulgens, tam ſeuera enarratione, atque exaggeratione criminationem ſuam inſequebatur, vt etiam in animas commenſalium ingeneraret ſpiritum humilitatis. Inde ſub poſtrema menſarum genuis perpetuò flexis, nonnihil cibi permixtis lacrymis capiebat, panem ſicut cinerem manducans. Verumtamen, qui latiùs pernoſſe cupit quibus infamiæ notis, quáve humilitatis conſtantia leuiuſculas quaſcumque culpas ſuas ſoleret exaggerare,

legat ſuperiore libro annuas epiſtolas, quibus acta vitæ ſuæ, etiam remota ab omnium oculis recenſuit. Habes & hoc memorabile exemplum extenuantis ſponte propriam famam. Dum adhuc viueret, hexomologeſin ampliſſimam manu ſua exaratam inter ſcrinij chartulas ex induſtria repoſuit, vt quotquot poſt obitum legerent, conſiderantes eam ex farragine culparum, deponerent eam opinionem, quam de viuentis bonitate conceperant.

Nec carebit fide, quanto cum plauſu, & animi exultatione demiſſa de Monaſterij præfectura conditionem ſubditarum complexa ſit, quoniam quæ ſunt ſubditarum onera, & famulandi miniſteria poſſet liberiùs gerere, necnon ſuſceptos ſuperiori vita honores, atque prærogatiuas compenſare obedientia, ſubiectione, labore, omnique alia ſeruili ratione. Ita autem ſeſe huic inferiori gradui comparabat, vt nulla anterioris præfecturæ veſtigia referret, ſed potius, vt maius alimentum ſuæ humilitati porrigeret, in nouitiarum diſciplinam retrogreſſa videretur.

De obedientia, caſtitate, & paupertate.

CAPVT VI.

VOluntarium vinculum, quo ſe famula Dei alienis ſub arbitriis adſtrinxerat, facilè eam in omni obedientia continebat: multò autem magis æmulatio ſponſi obedientis vſque ad mortem, cuius viua lineamenta in ſe referre volens, ſtuduit impenſiſſimè obedientiam paribus actis repræſentare. Erat quippe ipſi lex prima, conſtitutis ſibi à Deo maioribus omninò parêre, ſpiritum ipſum potius datura, ſi opus fuiſſet, quàm ab eorum nutibus recederet; ſatius ducens, integra obedientia emori, quàm viuere fracta. Plus millies in nobile ſacrificium depoſuit omnes, etiamſi rectiſſimos ſenſus proprij iudicij, omniaque voluntatis ſuæ decreta, & quicquid haberet virium, ne legibus deficeret Superiorum, quocumque modo innoteſcerent. Quamobrem ſolebat cum ſponſo dicere; *Cibus*

meus

meus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me. Ioan.4. Ad obediendum ſicut non trahebatur guſtu rei, ita difficultatibus non retardabatur. Non ſolita explorare præcepti cauſas, aut merita præcipientis, ſed neque futuram ſibi laudem, aut vituperium ſpectare: vnum pro omnibus Præpoſita dixit, ſat eſt, & inſtar omnium rationum eſt. Neglectis priuilegiis, nil ſibi priuatiùs, quàm aliis aſciuit. Nefas erat quicquam ſine permiſſu dediſſe: quicquid potiùs proprio haberet vſui, liberè cedebat alieno. Ne denuò acta ſingularia dinumerem, diſſuadent exempla paſſim ſuperioribus libris expoſita, alioquin non tam compoſitoris, quàm repetitoris partes agerem.

Nullum fuit reuerentiæ, & boni officij genus, quod diligentiſſimè, proprio licet cum incommodo, maioribus ſuis non perſoluerit. Præpoſitis Monaſterij Anneſſienſis, vbi ſolemnia vota nuncupauerat, quotannis, & vbicumque locorum eſſet, rationes vitæ, diuinarumque communicationum ſincerè reddidit per epiſtolas; ſublatamque volens omnem ambiguitatem obſeruantiæ, atque ſubmiſſionis ſuæ, iuxta peculiare ſtatutum Ordinis, pridie quàm expiraret, litteras ad eius temporis Præpoſitam dedit, quibus de conſtanti ſua obedientia, & ſubiectione moriens proteſtabatur. Iiſdemque litteris benedictionem exorabat ab Epiſcopo Geneuenſi Pæſule peculiariter ſuo, à cuius poteſtate non antea diſcedere vellet, quàm à vita. His ſigillis permanentem eorum ditionem, fidelemque ſuam ſubiectionem ſupremum dum ageret ſpiritum firmauit. Neque ſupprimendum eſt illud inuſitatæ reuerentiæ conſilium, quod ſcribens ad Epiſcopum Geneuæ, vel ad ſuum Directorem, id ſemper flexis genibus, etiam ſi grauis annis, ac morbis, præſtiterit, Dei nimirum authoritatem, & imaginem in eis venerata. Quamuis autem propter notam ſpiritualium chariſmatum affluentiam ſummo in honore, ac dilectione apud vniuerſas Præpoſitas fuerit, non defuere tamen, quæ illam ad fortius virtutis experimentum ſint aſpernatæ, & in poſtremis poſuerint. Verumtamen eaſdem ipſas, ne puncto quidem vno minùs venerata, aut obſecuta eſt, bene ſemper, & honorificè de illis prolocuta. Ad hoc quippe obedientiæ progreſſa, vt chariores haberet amarulentas iuſſiones, quàm prece, aut vrbanitate temperatas.

Quàm valenter incubuerit tutandæ caſtimoniæ, quàm fœliciter ſponſi ſui patrocinio euaſerit omnem carnis immunditiem, ſiue in ſæculo degeret, ſiue in Religioſo Parthenio, plus ex antea dictis clarum eſt, quàm ex dicendis clareſcet. Puellula virginitatem Deo, eiuſque Genitrici vouit; adoleſcentula tædas maritales reiecit, ſpinis pœnitentiæ corpus ſepiuit, tandemque ad cœleſtis ſponſi nuptias integra tranſiuit. Ad has nuptias pro dote attulit ea omnia ornamenta, quæ maximè beneuolentiam filij Dei conciliant; videlicet, inſignem pudicitiam, profundam cordis, ac mentis humilitatem, imperterritam Dei fiduciam, rigidam corporis caſtigationem, caſtum timorem, & amorem dilecti, ac denique arctam ſenſuum continentiam.

Oculos ita moderabatur, vt penè intuendis cœlis adaperiret, clauderet autem diſpiciendæ terræ. Si plures horas in eius colloquium incidiſſes, loquentem audiſſes, aperientem oculos vix ſemel vidiſſes; quos ſi quando ad tollendum tædium detexiſſet, neſcio quid columbinæ ſuauitatis in eis emicabat, vnde puritas animæ elucebat. Aures immota auſcultatio ad ſponſum intus ſermocinantem ita occupabat, vt fermè obtuſas habere videretur; eratque de ea conſtans inter notos adagium: *Bona Mater Clemens quotidie magis obſurdeſcit terrenis tractatibus, ſpiritum nempe gerens plenum diuinis.* Quomodo gaſtrimargiam deuicerit, & delicias ciborum, & omnes illecebras procul abdicarit, paulò ante demonſtratum eſt. Odoratum tantoperè rebus graueolentibus aſſuefecit, vt eum pluribus annis ante obitum perdiderit. Denique nil eius modeſtiæ, corporiſve compoſitioni comparandum fuit: vnde non mireris, ſi mors ipſa integram, fidelemque ſponſo ſuo inuenerit. Ego triplici elogio cuncta claudo: Nihil extra Deum amauit: Nil citra Dei voluntatem deſiderauit: Vnicè autem gloriam, regnumque Dei quæſiuit.

Eam in primis paupertatis partem excoluit, qua ſpiritus hominis humanæ cupidinis ieiunus ad illas diuitias exurgit, quibus Regnum cœlorum non tam emitur, quàm euangelico, liberalique Dei promiſſo rependitur. Pretioſiſſima quæque huius ſæculi, tanquam ſtercora calcabat ſpiritu paupertatis, ſatis, ſuperque locuples cùm abundaret cœleſtibus, æſtimans ſatis opulentam

opulentam paupertatem, cui pro mercede obueniret Regnum. Ideò rerum inopia neutiquam illi corrugauit vultum, quin potiùs vbi maior neceſſitas, ibi frons erat hilarior. In ipſa egeſtate nunquam egena, & ſine diuitiis abundè diues, ſciens non eſſe pauperem, cui quantulumcumque ſupereſſet. Hinc proceſſerat læta commodorum fuga, & ſtricta viuendi parſimonia: nil ſibi ſupra communem menſam tribui paſſa eſt, parum religioſæ paupertati conſentaneum putans, eo non eſſe contentum, quo reliqui. Quicquid erat in victu magis vulgare, contemptum & guſtui acerbum, id ſibi ſeruari ſubdita rogabat, Præpoſita iubebat, tanquam pabulum magis exquiſitum, & dulcius gutturi paupertatis ſuæ. Id verò leue fuit fœminæ deliciarum ignaræ; etiam quæ ad vitam neceſſaria videbantur, non rarò ſubduxit ori, ſtomachóve ſuo, ſtipem à ſororibus poſtea mendicans; felicitatis, ac ſaturitatis loco ponens poſſe exempla Chriſti reſpicere, eiuſque pauperiem ſectari. Ex eadem paupertatis regula ortum habuit veſtitus incuria, repudiatis nouis veſtibus, ſelectis veteribus, ac detritis. Quandoque vt operiretur nouis, ſubtili arte fallendum fuit ingenium mulieris, à cultu veſtimentorum ſatis auerſum; quod illa vbi poſtmodùm reſciuiſſet, de bono opere miniſtram veſtiariam acri reprehenſione exagitabat, atque vbi primùm intelligeret aliquam de domeſticis egere, illuc tranſmittebat, ſingularem lætitiam captans ex eiuſmodi diſpoliatione, qualem ſimiliter aliquando carpſerat in commutatione ſui ſtrati cum altero ſororis valdè deteriori. Si initia Monaſteriorum, quibus præfuit Mater ſimul, & Fundatrix, recolamus, offerent ſe luminibus noſtris anguſtiarum durities mille, quas illa non tam patienter ſuſtinuit, quàm deglutiuit auidè. Erant tunc impendia multa, ac magna, domi res familiaris tenuiſſima, externi ſubſidij ſpes tenuior, quæſtus faciendi artes nullæ; ſola in paupere domo fiducia Dei diues aggredi opus ædificiorum auſa eſt, & paupertate magis duce, quàm copia auri, & argenti ad culmen perduxit. Diſciplina paupertatis docuit eam litteras ad communem lucem ignis exarare, ne oleum inſumeret: libros legere dum veſtes aſſumeret ad euitandam iacturam temporis; proiecta, & iam nulli vſui apta ſarcinare in aliquem vſum, diſperſas lignorum quiſquilias manu colligere, laceros

libros

ibros assuere, & sexcenta alia infimæ seruulæ ministeria sibi arrogare. Fuerat illi, vt alibi diximus, paterna domus fortunis potens, parensque in pauperes beneficentissimus. Hanc hæreditatem se à Patre accepisse tenella adhuc puella probauit, iam tum ientacula sua, & quantamcumque habere potuisset pecuniam distribuens pauperibus. Creuit autem mirificè in cœnobio ardor eius liberalitatis, vbi sæpissimè datas sibi escas cum egenis partiebatur, datura integras, si licuisset. Certè intra bellorum calamitates, nisi obstitissent sociæ, retento sibi frustulo panis cum aqua, de cætero auxisset solatia pauperum, pro quibus etiam circumiens mensas aliquid à commensalibus rogitabat.

Illud postremò præstantioris, sublimioriſque paupertatis genus adnectam, quo cæteris non parua fides aduenict. Cùm enim iamdudum animum plenè euacuasset amore, amplexu, studio, & vsu terrenarum facultatum, ad vtilissimum illum nuditatis cumulum conscendit, vt sese honorum ambitione, humanis amicitiis, curis desideriorum, propriis arbitriis, & voluntatibus, denique seipsa tota expoliarit, vt desinens esse sibi, fieret victima nuda Deo. Quid dicam de illa nuditate, libertateque spiritus, qua sponte, ac lætè sustinuit nonnunquam ablactari familiaritate, suauissimisque, atque castissimis blanditiis sponsi cœlestis? Hæc autem omnia adeò egregiè, atque constanter præstitit, vt nouitas admirationem suscitet, & ne fide careant, veritatem maximè fouet epistolarum suarum sinceritas.

Conclusio.

CAPVT VII.

TAceo quæ dicenda superant de reliquis virtutibus, pretiosisque charismatibus huius sponsæ Christi, quibus rectè composita in semetipsa ardenter ferebatur in Deum, & in amorem proximi; nam præter ea quæ aliqua ex parte antehac indicata sunt, non iis polleo ingenij, aut eloquentiæ diuitiis, vt

cuncta

Digitized by Google

cuncta cogitatione concipere, aut verbo reddere valeam; non vberes influxus diuinæ gratiæ, non grandem illam, & inconcussam in Deo fiduciam; non nitorem conscientiæ, mentis simplicitatem, modestiam vitæ, publicæ honestatis curam, sollicitudinem rei domesticæ iunctam altissimæ contemplationi. Quis autem dignè referat constantiam in aduersis, robur animi in luctis spiritualibus, horrorem vitiorum, solertiam in præcauendis peccatis, vim contritionis de admissis? Quis zelum seuera disciplina persequentem delicta, famem insatiabilem patiendi, fornacem bonorum desideriorum, cumulum sanctarum actionum, appetentiam cœlestis mansionis, aliasque innumeras huius virginis virtutes, quæ sunt indices certissimi eius iustitiæ, quæ humanas mentes perficit, & beat? Ego quidem vereor iterum remigare in tam vasto mari, ideoque nauiculam ad littus compello, placida quiete fruiturus; nisi quod adhuc conuenienter adiici posse arbitror epistolam, quam illa ad Episcopum Geneuensem pro tuenda integritate Regularum sui Ordinis direxerat: hac enim laude zeli etiam ex vniuersæ Congregationis suæ sententia valde floruit.

Epiſtola ad Epiſcopum Geneuenſem Carolum Auguſtum.

EXIGVI meriti, & perpuſilli ingenij mulierculæ adeo Te Epiſcopum, & Præſulem meum, eximiumque defenſorem Regularum noſtrarum. Tu enim poſt progenitores noſtros cura paterna cæteros antecellis, Tu columen es, Tu cuſtos, & caput noſtri Ordinis, cui etiam plurimùm authoritatis confert dignitas, qua fulges ſucceſſor, & nepos Fundatoris noſtri, in quem transfuſum quoque credimus ſpiritum eiuſdem Patris noſtri, patruique tui. Adeo, inquam, Te rogans, velis integra, atque incorrupta permanere inſtituta Ordinis noſtri. Hoc officij à me alienum non putaui, cum fiat vrgente conſcientia mea, & hortante Matre noſtra de Chantail. Peruenit quippe ad aures noſtras non ſine graui animi moleſtia, excogitari, & exponi inter nos nouas quaſdam agendi, & viuendi formulas, antiquis oppoſitas. Miror inquiri, & excitari recentes propoſitiones, præter traditas à Parentibus noſtris, ſiue reſpicias hymnodiam, ſiue conſideres cætera Ordinis exercitamenta; & hac de cauſa vehementer rogamus Te, vt quàm poteris accuratiſſimè tuteris ſtatas inter nos leges, néve vllo modo feras quippiam detrahi, innouari, vel immutari in ſerie Conſtitutionum noſtrarum, in conſuetudinibus iam præſcriptis, neque de datis ad nos reſponſionibus, vel denique de ſimplici, & quotidiano vſu Cœnobij Anneſſiacenſis. Intellexi namque hæc duo poſtrema non tam magni fieri à quibuſdam, quamuis magni ſint & ponderis, & commodi. Obteſtor vidiſſe me hiſce oculis, & hiſce auribus audiſſe reſponſa prædictæ Matris aduerſantia nouis iſtis propoſitiunculis. Audiui cum tranſiret per hanc vrbem ita ſoluentem varia dubia; *Euoluite libellos noſtros, iam ſatis elucidata ſunt omnia: quid iuuat noua placita inueſtigare, & contorquere animos veſtros quæſtiunculis nugatoriis, atque interim quod in Religion*

ligione præcipuum eſt deſerere? Sæpe ſæpius excepimus de ore Matris noſtræ hos ſenſus, & hæc dicta, quæ proculdubio ipſamet acceperat de ore Beati Patris noſtri. Ante omnia audiui dehortantem tam Præpoſitas, quàm ſubditas, nequando ſub ſpecie pietatis per liberiorem cum exteris communicationem imbiberent ſpiritum, aut ductum peregrinum. Longior forem (Maxime Præſul) quàm par eſt, ſi cuncta, quæ mihi ſuper hac re nota ſunt, perſcribere vellem. Sat eſt mentem Matris noſtræ, atque meam aperuiſſe tibi. Vt facerem conſuluit ſtimulus conſcientiæ meæ; memini enim fuiſſe aliquando mihi vitio puſilli animi poſitum, quòd pernicioſum errorem cuiuſdam Præpoſitæ diſſimulaſſem. Ego, quamquam ſim vna ex omnibus indigniſſima, & ad tantum opus ineptiſſima; quia tamen nullam rem tam grauiter fero, ac ſubuerſionem earum legum, quas Parentes noſtros hauſiſſe credimus de cœleſti dictamine, quamcumque poſſum manum naſcenti periculo porrigere geſtio; ea namque eſt inter corporis membra colligatio naturalis, vt etiam infima quæque pro modulo ſuo aliis infirmis ſubueniant. Te à Deo accepimus conſtitutum nauclerum nauiculæ noſtræ: vt eam rectà, ac tutò in portum vſque propellas, ne titubantes diuagemur modò ad dexteram, modò ad ſiniſtram, deprecor vt te fortem hac in re præbeas, & ſtudioſum doctrinæ patrui tui. Rationes omnes Inſtituti noſtri illæſas firmiſſimè ſuſtine, ne qua vel remiſſio, vel ignotus vſus inducatur. Quod tua authoritate ſtatuetur, præponderabit reliquis, nec cuiquam graue erit ſubſequi veſtigia eius domus, quæ cœterarum extitit procreatrix. Fouebis etiam hac via ſuauem inter nos conſonantiam, de qua aiebat quidam, Ordinem noſtrum optimè apud omnes ſentire, propter animorum, ac rituum concordiam. Timendum quippe eſt valdè, ne acceptatis nouis iſtis Regulis diuidantur Monaſteria ex morum differentia, aut etiam diſcrepantia, qua nihil in vna Congregatione æquè eſt peſtiferum. Ego deſiderium vehementius nullum habeo, quàm vt reiectis nouis, priſca ſtatuta Ordinis noſtri, ſanctè, & inuiolatè ſeruentur, ac vigeant. Vale.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google